Estante A. N. H.
Cajón 80.

SVCCVS

EX

CREMINALI

P. FARINACII

EXTRACTVS

SVCCVS
EX
VNIVERSO OPERE
CRIMINALI
P. FARINACII
EXTRACTVS.

N

8/36

D. IOAN. BAPTISTÆ

VVLPINII

I.V.D. CETHONENSIS

SVCCVS

EX OPERE CRIMINALI

P. FARINACII I. C. ROMANI

Celeberrimi Extractus;

OMNIBVS IN FORO VERSANTIBVS

apprimè vtilis, & neceſſarius : cum Indice locupletiſſimo:

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

N. Auroux Sculp.
FRANCISCVS TIT. S. MARIÆ IN VIA S.R.E.
PRÆSBR. CARD. ALBIZIVS COESENATEN.
II. MARTII M DCLIV.

EMINENTISSIMO ET REVER^mo. PRINCIPI

D. FR. ALBIZZIO
S.R.E. CARDINALI,
IOAN. BAPTISTA VVLPINIVS
FOELICITATEM.

PVBLICAM Orbis proditurum in lucem hoc meũm qualecunque sit Opus, aliquandiù penè stetit, cuius ambiguum insignia gloriæ, cuius tutelare nomen in fronte præferret. Ambigenti igitur, huc, illuc oculos aduertenti, & quasi sydus aliquod expectanti statim tua sese, Eminentißime Princeps, Purpura astris intertexta obtulit; cuius fulgore fugatis, vt ità dicam, tenebris è mei latebris ingenij, in publicam hominum faciem inoffenso prodire pede se posse sperauit. Arrisit enim verò mihi talia de te sperantis electio, vtpotè conscio substanti Mœcenatis præsidio obloquentibus momis obnoxium non fore, eóque faciliùs hominum gratiam initurum. Quem enim tam vel audacem, vel ineptum futurum existimem, qui quod tuæ commissum est gloriæ, tuo dicatum nomini audeat aspernari? nec verò abs dedicantis officio erit causas hic paucis attexere, quæ me propè impulerunt, vt hunc meum laborem tuo potißimùm glorioso nomini consecrarem. Et primò quidem altiùs mihi Illustrißimæ tuæ Domus originem repetenti in comperto est, ex ea Nobilißima Albizziorum propagine deductam, quam in Vrbe Florentia, pulcherrimo vernantis Italiæ flore, magnæ verò Hetruriæ Principe, qua militari fulminantem sago, qua ciuili tonantem toga, tùm domi, tùm foris belli Primariis constat ab antiqua historiarum memoria, hodiéque muneribus insignitam. Quam Principem Vrbem cùm mea etiam familia domicilium, sedémque sciam, ac venerer, meum esse duxi vtrique satisfacturus te Principem tuæ stirpis Virum, mihi, meaque Genti Patronum deligere. Eo etiam accedit, quòd cùm te absolutißimum virtutum omnium esse exemplar, & viuam doctrinarum Summam luce clarius pateat, æquum sanè existimaui, tibi hanc

iurium criminalium Epitomen mittere, vt quàm tibi ſimillimum iurium compendium grato animo excipiens, & benigno etiam patrocinantis munere tuereris. Quod magnæ molis opus erat per me ad tantillum volumen redactum vt publico hominum commodo conſulerem, non ſine magno laboris impendio tibi Principi Eminentiſsimo ſacrandum erat ad tantæ dignitatis faſtigium euecto, ſola virtute Duce, ſedulo labore, non comite, ſed ſequaci, quòd tua merita non potuit præuertere, fortuna. Nec enim breui referre poſſum, quos tu labores ſubieris ab inconcuſſi Petri nauigij optimo, ac maximo Rectore Vrbano Octauo impoſitos: Româ Neapolim primùm, inde in Hiſpaniam, & Agrippinæ Coloniam miſſus, Romam iterum accerſitus, vbi ſupremo S. R. vniuerſalis Inquiſitionis Senatui Aſſeſſor datus, Innocentio etiam Pontifice ad duodeuigeſimum annum, tum piè, tum vtiliter inſudaſti in hæreticam prauitatem, ac præſertim Ianſenij impia dogmata Eccleſiæ fulmine intorquendo. Quod profectò mouit Innocentium, felicis recordationis, Pontificem Maximum, vt te ſacro Purpuratorum Collegio cooptaret, vt ſub Innocenti illius Columba, ea aurea redirent ſæcula, quibus ſpectata, & ſolida virtus præmio donaretur. Ne quis verò exiſtimet, te inter ſacros Purpuratos Principes adlectum, aliqua ex parte leuatum laborum pondere, quinimò prægrauatum multò magis comperiet. Nam ceu ſummo Chriſti Vicario Eccleſiaſtici Cœli Atlanti, nouus Hercules, ſocius, & Adiutor aduenires, iis ſacris Cardinalium admiſſus es cœtibus, quibus à ſacra Vniuerſali inquiſitione Oecumenica Tridentina Synodo, ab Eccleſiaſtica immunitate, Propaganda fide, à librorum indice, à rebus tandem Anglicis nomen eſt inditum; quæ omnia in te congeſta fructuum vberem meſſem Chriſtianæ Reipublicæ parant. Quod ad me attinet, vnum à Te exoratum velim, Princeps Eminentiſsime: vt hoc meæ tenuitatis munus excipere ne graueris in noſtræ Tibi debitæ ſeruitutis indicium, ac obſequentis animi argumentum: quod Te facturum haud dubiè ſpero, quippe cùm non alij, quàm beneficentiſſimi influxus à cœleſti tuo Orbe expectari queant. Diutiſsimè Deus Te ſoſpitem ſeruet, vt quibus plurimùm vales, beneuolentiam, & fauorem in Tibi addictiſsimos conferas, quorum in numero ego ſum, qui humillimè ad pedes aduolutus tuos, ſacræ tuæ Purpuræ oras oſculor. VALE.

BENEVOLO LECTORI.

PROSPERVM Farinacium Romanum Iuriſconſultum, Eximium Latrunculatorum omnium magiſtrum,& Ducem, opera eruditiſſima demonſtrant; apertè Iudicia norunt,Rei pertimeſcentes, Iudices Probi,Iuſtiſſimi Principes,Vniuerſalis Reſpublica Ciuilis vno ore,plenáque laude fatentur.Quis enim vllo vnquam ſæculo adeò inſigni, & elaborato ſtudiorum opere omnium literariæ Reipublicæ hominum gradibus ordinibúſque conſuluit? Inſordeſceret laus, denigraretur gloria, Romulidæ huius inſignis, ſi ex mei indocti calami characteribus obſcuris, quicquam commendationis acciperet. Satis ſit ergo dicere haud temerè motum (Lector Amice) ex ingenti mole tantillum Opus conficere, ex Gigante Pigmæum, vt commune omnibus breuitate redderem, & cunctis in ratione facilis methodi proficerem. Extraxeram ad mei tantùm vſum ſucceſſiuè quidem, ac ſummatim diſcerpta inter ſtrepitus fori,furtiuo, vt ita dicam, tempore, quæ tibi ſeſe legenda offerunt. Ad oſtraciſmum perpetuum deſtinanda cætera collegeram: quare tantùm libros, titulos,quæſtiones percurrendo,notabilia practicata,deciſa,tenenda pro verioribus (omiſſis Doctorum decertantium ambagibus) ſelegeram: *Succi* nomen appoſueram, quia expreſſione valida medullam extraxeram. In publicam orbis lucem prodire, nedum non audebam ſed ne me cum quidem cogitabam, quando Amicis quampluribus parendo,& non gloriæ, ſed publicæ vtilitatis percupidus primam partem inchoatam, & rudem, Domino Lucæ Groſſio amantiſſimo Conciui meo Romam tranſmiſi, eam hic melius de me ſentiens, ac ex affectu ſuo mea qualia ſint opera metiens, Eminentiſſimo Principi S.R.E.Cardinali Albizzio eius Patrono generoſo, & optimo ſtudioſorum omnium Mœcenati oſtendit, ex benignitate ingenita Princeps Eminentiſſimus, & Doctiſſimus approbando laudauit,mihíque prouinciam tam grandem ſubeundi approbatione ſua fiduciam attulit; quare Succum non benè depuratum aliquantulo diligentiùs præparare conatus,puriorem (reaſſumpta maſſa ſub torculari) extrahere pro viribus exactiſſimè procuraui. Obtinui tandem, trino peracto menſe, Iunio ſcilicet, Iulio, Auguſtóque æſtuantibus anni huius Chriſtiani 1661. adhuc currentis inter domus anguſtias, animíque turbationes ingentes; nam hoc eodem tempore Matre optima orbatus, lacrymas atramento permiſcendo hanc opellam confeci. An benè? ignoro. Hoc vnum equidem ſcio, ſummo labore, vigiliis non modicis, ſtudiis maximis, curis acerrimis, quæ alacriter inceperam, intrepidè tot tantíſque ærumnis affectus, imò obſtinatè perficere volui. Nil proprio Marte dictum agnoueris, nihil non ex fide Authoris, & nullis alienis admixtis liquoribus, Succum purum guttatim expreſſi: imò, ne quid inſipidum guſtares, ipſis Authoris vſus verbis, vbi permiſſum eſt, explanaui. Sic habes Lector breui percurrendum, quod longo nimis tempore vix poſſes abſoluere. Laborem, & induſtriam affirmare poſſum,fructum non poſſum diuinare, quòd neſciam, an ad palatum tuum Succus expreſſus ſapiat, an votis tuis reſpondeat. Optarem, vt Nectaris, & Ambroſiæ inſtar eſſet: ſed ne tibi nauſeam pareret, ſuauiſſimo Patroni Eminentiſſimi Albizzij nomine condiui. VALE.

SVCCVS

SVCCVS EXPRIMITVR,

EX TITVLIS.

DE

INQVISITIONE. page 1
Accusatione. pag. 21
Delictis, & pœnis. p. 26
Carceribus, & Carceratis. p. 47
Indiciis, & tortura. p. 66
Oppositionibus contra Personas Testium. p. 95
Oppositionibus contra dicta Testium. p. 133
Oppositionibus contra examen Testium. p. 163
Reo confesso, & conuicto. p. 185
Pœnis temperandis. p. 195
Variis, & diuersis quæstionibus. p. 213
Variis, & diuersis criminibus. p. 226
Crimine læsæ-Maiestatis. p. 257
Homicidio. p. 270
Consultoribus, Auxiliatoribus, & Mandatoribus. p. 291
Delictis Carnis. p. 299
Falsitate, & Simulatione. p. 321
Furtis. p. 352
Hæresi. p. 372

APPROBATIO.

LIbrum inscriptum, *Succus ab omni opere de materia criminali pertractato à Prospero Farinacio I. C. Romano extractus, per Ioannem Baptistam VVlpinium*, nihil habere contra fidem & bonos mores, eúmque multiplici, & reconditâ eruditione refertum, dignum iudicamus luce publica, vt chirographis contestamur. Lugduni die 14. Martij 1661.

Io. COLOMBI. Soc. IESV.
Cl. Fr. DE CHALES Soc. IESV.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAutum est authoritate Regis, ne quis in regno suo, aliísve locis suæ ditioni subiectis, intra decem proximos annos: Librum qui sic inscribitur: *Farinacij Succus seu Epitome praxis criminalis per Ioannem Baptistam VVlpinium*, absque LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunensis permissu, imprimat aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secus fecerit, mulcta indicta, provt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis 9. Octobris 1662.

De mandato Regis, Signatum, MABOVL.
Desiit prælum 20. Aprilis 1663.

PERMISSVS.

LIbrum hunc inscriptum, *Succus operum criminalium Prosperi Farinacij I. C. R. à Io. Bapt. VVlpinio I. V. D. Cethonensi*, typis mandari, & in lucem edi, sumptibus LAVRENTII ANISSON, Bibliopolæ Lugdunensis. Ego Regis Consiliarius, & procurator in Lugdunensi præfectura, non impedio. Lugduni die 3. Aprilis 1663.

VIDAVD.

CONSENSVS.

VIso procuratoris Regis consensu, hunc Librum typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat prohibemus: Lugduni die 3. Aprilis 1663.

DE SEVE.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS
PROSPERI FARINACII
SVCCI PARS PRIMA.

EX

LIBRO PRIMO, TITVLO PRIMO; QVÆSTIONE PRIMA, DE INQVISITIONE.

ARGVMENTVM.

Inquisitio quid? quotuplex? Quando & contra quos inquiri possit? & quæ ad validitatem Inquisitionis requirantur.

PRÆMISSIS Doctoribus à quibus generaliter de Inquisitione fuit tractatum, eiúsque variis formulis; Inquisitio, secundùm opinionem
1 Auctoris, est delicti informatio, Iudicis officio, & auctoritate, facta. Vtiliter loquendo stante Doctorum varietate, & multiplici distinctione vsque ad *n.* 5.

Inquisitio alia est generalis; scilicet quæ fit ad generaliter inquirendum contra delinquentem incertum, per gene-
2 rales informationes. Alia specialis, quæ fit contra particularem personam Curiæ notam per denunciationem, accusationem, seu alio quoquo modo. Quoad eius validitatem multa requiruntur, adeò vt secus formata, & ipsa, & processus sint nulla. *n.* 5.

Requiritur primò, probatio corporis delicti saltem in genere.

Requiritur secundò, regulariter quòd interueniat accusator, licèt hodie de ge-
3 nerali consuetudine ex officio per Iudicem formari possit super quibuscumque delictis, ac dicatur remedium ordinarium.

4 Tertiò, debet esse certa, specifica, & clara, continens in se omnes delicti qualitates, & circumstantias; taliter vt Reo 5
defensio non tollatur: obscura enim generalis, & incerta minimè valet. Et ad hoc 6
vt dicatur specifica, & certa, debent in ea exprimi locus, & tempus commissi delicti; siuè simus in crimine falsi, licèt Alij 7
contrà; siuè etiam contra mandantem, vbi sunt exprimenda tempus, & locus, non mandati, sed secuti delicti; tutiùs tamen erit apponere etiam tempus mandati: quæ quidem expressio vt *suprà* facienda est, etiam parte non opponente: & licèt Alij contra; ab hoc non recedas: vsque ad *num.* 15.

Quæ in hoc tertio requisito dicuntur, non procedunt in inquisitione generali, non vbi Statutum deroget Iuris positiui 8
solemnitatibus, nec in delictis, quæ habent tractum successiuum, in quibus locus, & tempus sunt incerta: sic nec in crimine Hæresis, & Læsæ-Maiestatis; licèt alij contrà. Expressio diei nunquam est neces- 9
saria, nisi delictum sit punibile certa hora, vel nisi per Reum (non calamniosè tamen) fieret instantia apponi ad sui defensionem; verùm si Iudex diem ignoret; non tenetur exprimere; vsque ad *num.* 22.

In tantum verò sunt exprimendæ qualitates, & circumstantiæ, quod si vna qua- 9

litas exprimatur, & non probetur, sequi 10
nequeat condemnatio, nec etiam super
qualitatibus expressis; sed Reus sit absol-
uendus, nisi pendente iudicio fiat detra-
ctio illius qualitatis. Alij contrà: sed non
recedas.

Ex quibus infertur primò, quod si de- 11
lictum proponatur in iniquisitione com-
missum in vna persona, & de alia probe-
tur, sequi debet absolutio. Secundò, quod 12
inquisitus vti principalis non puniatur, si
probetur Mandans, vel Auxiliator. Tertiò, 13
quod inquisitus vt Mandans non condem-
netur, si probetur Instigator vel Consilia-
tor. Quartò, quod si de vno delicto for-
metur inquisitio, ac de alio probetur, non
possit pariter sequi condemnatio: & licèt
alij contrà; firma conclusionem. Quintò, 14
quod inquisitus commisisse dolosè, &
scienter; dolo, & scientia non probata, sit
absoluendus, etiam culpâ probatâ. Sextò, 15
quod si contineat inquisitio locum, &
tempus; istis non probatis pariter sit ab-
soluendus: quod intellige dummodo dies
sit apposita Parte non petente, secus si
Parte petente; & licèt alij contrà, non re-
cedas: vsque ad *n.* 31.

Quæ omnia intelligas tantum in deli-
ctis iterabilibus, secus in non reiterabili-
bus: & iterum secus quando inquisitio
continet clausulam, *Super quibus omnibus,* 16
&c. hæc enim operatur, vt etiam qualita-
tibus deductis non probatis sequi possit
condemnatio; sic & quando proceditur
sola facti veritate inspecta, vel quando
adest clausula, *Omni meliori modo*: vel
clausula, *Non se adstringens*, seu probetur
ex confessione Rei: Et demum tunc solùm 17
obmissio probationis qualitatis deductæ
operatur nullitatem, quando scilicet qua-
litas sit aggrauans, delicti alteratiua, &
effectum variationis condemnationis in-
ducens: quia licet multi teneant, iis non
obstantibus, sequi posse condemnatio-
nem, non probata qualitate deducta;
contrarium firma pro veriori: vsque ad
n. 39.

Requiritur quartò, vt indicia præce-
dant inquisitionem, aliàs sit ipso iure nulla: 18
quinimo confessio facta ad inquisitionem
formatam, nullis præcedentibus indiciis,
confitenti non præiudicat, etiam si for- 19
metur de mandato Principis; nisi tamen
Princeps motu proprio id mandaret. Ex- 20
tende, quod nec etiam Iudex habens li-
berum arbitrium hoc facere possit, & secus
inquirens, teneatur ad damna, & interesse
in Syndacatu, & Parti detur iuramentum
in litem, etiam si agatur de crimine Læsæ-
Maiestatis, in quo leuiora quam in occul-
tis admittuntur: vsque ad *n.* 44.

Indicia verò inquisitionem præcedentia
debent esse legitima: quæ autem talia di-
cantur? Author relatis plurium Patrum 21
opinionibus, id Iudicis arbitrio remittit
dignoscendum: veruntamen debet hoc
arbitrium à Iure regulari, adeo vt si per
Doctores indicia insufficientia dicantur,
eis Iudex vti nequeat. Et licet ad inqui- 22
rendum sufficiant leuiora quàm ad tor-
quendum, & hoc nemine discrepante;
attamen ad transmittendam inquisitio-
nem (ex ea enim Reo non comparente 23
potest sequi condemnatio) requiruntur
grauia, & vrgentia: bene verum est, quod
contra homines rixosos, & malæ famæ,
vel in delictis atrocissimis, & occultis, le-
uiora quoque non sunt aspernenda. Hoc 24
vnum specialiter nota, vt ex informatio-
nibus extraiudicialibus, seù notificationi-
bus incerto Authore factis, contra aliquem
inquiri non possit; possunt tamen Testes
nominati examinari, & ab istis delinquen-
tes propositi specialiter inquiri. Quæ verò
in quarto requisito continentur, proce-
dunt solùm quando per comparitionem
Rei oppositum fuit de defectu indiciorum,
& nullitate inquisitionis; secus in contu-
macia: isto enim casu processus, & inqui-
sitio, etiam non præcedentibus indiciis
sustinentur: vsque ad *n.* 49.

Requiritur quintò, fama: sed de hoc 25
vide latiùs *infrà q.* 9.

Requiritur sextò, vt inquisitus non fuerit
aliàs de eodem delicto absolutus, vel per
Principem aggratiatus.

Requiritur septimò, vt debeat inquisi- 26
tio formari à Iudice competenti, cui Reus
sit suppositus, aut ratione loci, aut origi-
nis, aut domicilij, aut delicti. & de hoc
vide latiùs *infrà q.* 7.

Et hinc infertur, quod inquisitio for- 27
mata per Iudicem sæcularem contra Ec-
clesiasticam personam, penitus sit nulla;
cùm sæculares de Ecclesiasticis cognosce-
re nequeant: sic & Iudices ciuiles de cri- 28
mine inquirere non possunt, nisi tale cri-
men incidat in causa ciuili, & taliter sit
connexum, vt absque eo eadem causa
principalis compleri non possit. Et licet è 29
conuerso Iudex criminalis in ciuilibus au-
thoritatem non exerceat, etiam iurisdi-
ctione à Partibus prorogata, potest tamen
in ciuilibus incidentibus se intromittere
ratione connexitatis; adeò vt sibi liceat
condemnare furem, & ad pœnam deli-
cti, & ad restitutionem ciuilem rerum fu-
ratarum. Intelligas dummodo non esset

absoluendus

absoluendus pro delicto, quia tunc ista ciuilis condemnatio in eadem causa Iudici
30 criminali non esset permissa. Sed quando possit criminalis Iudex, omissâ criminali condemnatione, vel absolutione, Principaliter cognoscere, & pronunciare super actione ciuili ex criminali descendente aduersantes opiniones D. D. acerrimè decertantur, quas fœdere distinctionis conciliando dicas, quod *Prima* opinio affirmatiua procedit, quando tota actio ciuilis ex crimine descendens Principaliter coram Iudice criminali intentatur: *Secunda* verò, quando ciuilis &
31 criminalis æquè principaliter proponitur. Cæterum Iudex criminalis Reum ad emendam potest condemnare, si delictum constet per confessionem; secus si per Testes, aut per contumaciam: verùm si per Testes sit conuictus (licet alij contrà) sequi potest condemnatio; quinimò etiam aduersus contumaces, si pœna ciuilis imponatur à Statuto, vel à Lege, vna cum criminali; eo adiecto quod licèt verum sit etiam ciuiliter condemnari, si procedatur ex officio, hoc sanè intelligendum solum Parte petente, & officium Iudicis implorante: vsque ad *n.* 67.

Requiritur octauò, ne sint lapsi viginti anni à die commissi criminis; tanto enim
32 temporis spatio delicta præscribuntur: sic
33 firma, reiectâ Gloss. in *L. Querela, C. ad Leg. Cornel. de falsf.* Nonò vt Reus sit præsens, sed hodie ex generali consuetudine, siuè sit præsens, siuè absens; siuè contumax, siuè comparens; inquiri potest: verùm si sit Carceratus, inquisitionis Copiâ & non traditâ examinatur.

Et quamquam requiratur. Decimò, quod post inquisitionem superueniente
34 aliqua aliâ causâ, aggrauante delictum principale, inquisitio euanescat; hoc tamen non procedit si adsit clausula *Super dependentibus, & connexis*: quia Ius superueniens Actori ex causâ de præterito, confirmat [illegible]icium: vsque ad *n.* 73.

EX QVÆSTIONE II.

ARGVMENTVM.

Quomodo & quando constare debeat de corpore delicti ante Inquisitionem.

CORPVS delicti debet probari antequam procedatur ad capturam,
1 inquisitionem, seù torturam, etiam si inquisitio formetur de Principis mandato: nec dicitur probatum ex eo, quod homo mortuus reperiatur, nisi constet scelere interemptum: quinimò sunt probandæ 2
qualitates, & circumstantiæ: quare si Cadauer esset sepultum, potest effodi. Liquidè verò, & plenè de corpore delicti constare dicitur per inspectionem oculârem Iudicis seù Notarij in delictis facti permanentis; at in illis facti transeuntis, indicia, & coniecturæ sufficiunt: vsque ad *n.* 6.

Adeo corporis delicti necessaria est cognitio, quod si versemur in delictis facti permanentis, eius defectus suppleri 3
non possit, neque per Rei confessionem, siuè confessio sit vera, siuè ficta à lege, 4
vel Statuto, quinimo nec valeat confessio dicentis se occidisse hominem ignotum in nemore, vel prope littus maris, & eum in mare proiecisse: bene verum est, quod isto casu sufficeret fama, si volaret de homine noto interfecto; secus si de ignoto. Et in puncto occisi, & proiecti in mare, etiam quod proiectus sit ignotus, confessio sufficeret, iunctis adminiculis extendendo ad *Assassinos*, & *Malandrinos* solitos similia committere, qui omnes ex eorum confessione non tamen in pœnam ordinariam, nisi alia adminicula concurrerent, sed tantum extra ordinem condemnari possunt: vsque ad *n.* 12.

In delictis occultis, & difficilis probationis, sufficit de corpore delicti constare per coniecturas: prout similiter in 5
delictis facti transeuntis. Et licèt specialiter in crimine furti, varij varia dicant; resolutiuè firma, quod ad inquirendum, assumendum informationes, & ad torquendum, coniecturæ sufficiant, non autem ad condemnandum, etiam post confessionem, nisi eâ verificatâ. Excipe *Mariolos*, *Tagliaborse*, per quos pluribus furtis confessatis, satis est duo, vel tria verificari, ad hoc vt possint ad mortem condemnari; dummodò adsit querela aliquorum, qui se dicant furto læsos: vsque ad *n.* 16.

Coniecturæ autem, quibus, in furtis corpus delicti probatur, *Prima* est, 6
querela partis bonæ famæ, & verisimilia deponentis, quæ satis est ad inquirendum. *Secunda*, Acclamationes furtum passi, illicò secuto furto factæ, concurrente bona fama conclamantis. *Tertia*, fama certa, & de certa re orta in vicinia; dummodo sit legitimè probata. *Quarta*, fractura Ostij, seù capsæ

in qua aderant pecuniæ ; sed debet de fractura constare , & liquere , quod semel ante furtum ibi fuerint repositæ : sed si fuerit capsa , seu Ostium clauibus adulterinis apertum , sola acclamatio hominis bonæ famæ probat corpus delicti. *Quinta* fuga famuli iuncta Domini conquestione. *Sexta* scalæ inuentæ , ad fenestram loci commissi facti. *Septima* , strepitus , seù rumor auditus à Vicinis : vsque ad *n.* 21.

7 In crimine falsi sufficit constare de corpore delicti per iudicia , & coniecturas ; præter quam in crimine falsæ monetæ : de quo euidenter , & per inspectionem oculorum constare debet : adeo vt isto casu, nec sufficiat confessio ad condemnandum.

8 In crimine Adulterij ; Iudex tenetur ex sola querela inquirere , & secuta confessione potest condemnare , nullis aliis præ-
9 cedentibus iudiciis. Extende etiam ad Sodomiam , nisi fractura prætendatur , de qua constare debet : & si secùs , querela non admittitur. Sic pariter in stupro commisso cum Virgine , cuius recognitio fieri
10 potest , & debet per Obstetrices. In crimine Hæresis , & Lamiarum , absque
11 extinseca probatione per solam confessionem dicitur de corpore delicti constare, vt sequi possit condemnatio. Sic in delicti facti transeuntis per famam certam , & de certa persona probatur ; sed isto casu datur probatio contrariæ famæ per Testes contrarios. Sic etiam sufficit constare de homine occiso, licet nomen ignoretur: quod pariter intelligas de facto, incognito fure: vsque ad *n.* 29.

In delictis, quæ possunt etiam talia non esse ; hoc enim casu, licet constare debeat
12 de scelere , satis erit hoc probari per coniecturas ; quacum vna erit , publica vox, & fama : altera , relatio Medicorum , quod in suffocato exemplificatur. Et quia opiniones D. D. in hoc articulo certant ad inuicem , Author noster Iudicis arbitrio relinquendum dicit , vtrum adsit , vel absit delictum : minus semper , & ad exclusionem , quantum fieri potest , interpetrando : vsque ad *n.* 29.

In crimine veneni ; pariter de corpore delicti per indicia , & coniecturas constare satis est , & in præsenti delicto omnino
13 standum est Medicorum iudicio , eorumque relationi , qui specialiter deponere debent ; quem esse mortuum ex non veneno ingenito , sed ex veneno dato , & ad id assignare debent causas medicas extrinsecas. Confitens aliquem venenasse debet interrogari de qualitate , & quantitate veneni , & super ista qualitate , & quantitate adhiberi relatio , & iudicium Medicorum , an fuerit sufficiens , seù apta ad interficiendum : qua deficiente extra ordinem tantum Reus puniri potest.

EX QVÆST. III.

ARGVMENTVM.

Quando possit inquiri contra Mandantem , Auxiliatorem , seù Consultorem , non constito de mandatario , seù principali delinquente.

MANDANS regulariter non potest molestari non constito de mandatario , seu principali delinquente ; imò depositio Testis aduersus Mandantem , nisi de mandatario deponat , nihil valet : Extende ad Auxiliatorem , & declara , quod de principali debeat constare verè , certè , & non fictè: 1 2
sed de consuetudine , & stilo , contrarium practicatur : proceditur enim contra mandantem , etiam non constito de mandatario , dummodo adsint indicia sufficien- 3
tia : sed si Mandans compareat , ei declarari debet persona mandatarij ; aliàs non tenetur respondere. Ratio in præmissis affertur , quia in atrocibus delictis mandatum punibile est pœna extraordi- 4
naria , etiam effectu non secuto : & ideo in prædictis atrocibus , potest contra Mandantem, etiam non constito de mandatario pari passu ad pœnam extraordinariam procedi : si verò Mandatarij persona sit cognita , exprimi debet eius nomen in inquisitione. Et aduertas , quod 5
licèt valeat inquisitio tali nomine non expresso ; attamen isto casu debet inquiri de ætate , statura , vestitu , & de aliis signis ipsius delinquentis ; aliàs enim inquisitio esset nulla , & condemnatio inde secuta contra Mandatarium non exequenda : in prænarratis verò signis , & demonstrationibus , Testes adhibeantur : vsque ad *num.* 10.

EX QVÆST. IV.

ARGVMENTVM.

Semel absolutus, seù condemnatus, quando possit iterum super eodem delicto molestari, & inquiri.

SEMEL absolutus, aggratiatus, seù condemnatus tàm de Iure Ciuili, quàm de Canonico, pro eadem
1 causa iterum inquiri, Vexari, vel condemnari non potest. Sed si iurisdictiones, seù territoria fuerint sub diuersis Dominis, vel in sententia dolus, & fraus interuenerit, tunc non sufficienter punitus ab
2 vno Iudice, poterit ab alio puniri: & hæc est communis opinio. Licèt enim absolutus à delicto simpliciter in iudicium deducto, sine vlla qualitate, non possit amplius molestari, & inquiri ab eodem, seu
3 alio accusatore, etiam qualitatem delicti aggrauantem nouiter proponente, attamen si ista noua qualitas proponatur, antequam nomen Rei sit receptum inter reos, & sic ante litis contestationem, dummodò ante sententiam, tunc admittitur ista secunda accusatio, tanquam grauior, & comprehendens omnes circumstantias delicti: Verùm si qualitas non diuersificet delictum, quamuis pœnam augeat, semel absolutus, amplius molestari non potest. Quod specificè nota si agatur de debilitatione membri, secuta ob vulnus, dequo quis fuerit absolutus: vsque ad *n.* 4.

Milites condemnati, seù absoluti, ab eorum Colomnellis, seù Tribunis in Ca-
4 stris, ampliùs ab aliis Iudicibus pro eisdem delictis militaribus, condemnari non possunt: sed absolutus in foro pœnitentiali, siuè pœnitentia sit publica & so-
5 lemnis, siuè priuata, potest etiam in foro fori condemnari. Et quamuis absolutus à Iudice Ecclesiastico in delictis, quæ sunt mixti fori, non possit à Iudice seculari iterum pro eadem causa inquietari: attamen,
6 si tantum sit punitus aliquâ pœnâ Ecclesiasticâ non ordinariâ delicti, seù præparatoriâ ad pœnam ordinariam secularem, vel monitoriâ medicinali, non principaliter punitiuâ condignè, tunc in atrocibus, & grauissimis, quinimò, & non in ita grauibus, Iudex secularis pœnam condignam in augumentum imponere po
7 test, nisi fuerit liberè absolutus. Et è contra, punitus à Iudice seculari, quia pœna ab eo imposita semper censetur competens, & grauior, non potest iterum puniri per Iudicem Ecclesiasticum, nisi spiritualiter tantùm per censuras. Benè verum est, quod quando in Iudice condemnante, seù absoluente interuenerit aliqua collusio, seù ptæuaricatio, iterata accusatio, & inquisitio non prohibetur vsque ad *num.* 13.
8

Et in proposito, *Prævaricator* dicitur à *variando*, quod est transgredi, & diuersam partem adiuuare proditâ causâ: & hinc non solùm *Accusator*, qui ab accusatione fraudulenter desistit, & vera crimina abscondit, *Prævaricator*, dicitur, sed etiam *Procurator*, qui nisi scripturis, & instrumentis sui Clientùli, causam deserit, & ad aduersarium confugit, secreta causæ pandendo: in quæ crimina etiam Aduocati incidunt: Et licèt disputetur, vtrum prævaricationis, seù falsitatis crimen committant; hoc vnum certum est, quod non leuiter sint puniendi Iudicis arbitrio, & munere Aduocationis, ac Procuræ priuandi. Hoc tamen non procederet, si Procurator, seù Aduocatus videns clientem causam non iustam fouere, redditis scripturis, & mercede, iustiùs aduersarij susciperet patrocinium: verùm hoc de honestate non est faciendum: vsque ad *n.* 17.

Ansiani, seù Parochiani, aut alij ma
9 leficiorum Censores qui tenentur ex officio delicta commissa denunciare; subticendo veras probationes, seù reticendo malefactores, extraordinariè puniuntur: sic & Barbitonsores non referentes ab eis medicatos. Prævaricationis, & collusionis crimen in præmissis, licet non præsumatur in dubio, nisi probetur, attamen coniecturis probari potest, quarum maxima erit conuersatio accusati cum accusatore: vsque ad *num.* 20.

Condemnatus, seù absolutus, ignoran-
10 te eo, qui suam, vel suorum iniuriam prosequitur, potest iterum accusari, adhuc secutis condemnatione, vel absolutione, & ignorantia in proposito probatur, vel per absentiam, vel per iuramentum, sed in practica, ad effugiendas disputationes, solet pars citari ad subministrandum indicia: ex quo postea

11 ſtea non poteſt ignorantia prætendi. Sic abſolutus ab obſeruatione Iudicij, aliis ſuperuenientibus indiciis, poteſt iterum
12 vexari; ſic & pariter relaxatus ſub fideiuſſione de ſe repræſentando, reuocatur ad carceres, dummodo Iudici ita viſum
13 fuerit. Diffinitiuè verò abſolutus ex capite innocentiæ, nunquam reuocatur: vſque ad *num.* 25.

Reus, qui purgauit indicia per tortu-
14 ram, vtrum poſſit ad Carceres reuocari, nec ne? D. D. decertant: ſed Author Iudicis arbitrio remittit, vtrùm ſit abſoluendus, vel ex metu nouorum indiciorum, ſub fideiuſſione relaxandus. Decertatur pariter, vtrum reuocari poſſit abſolutus ob non probatum crimen ab accuſatore? Author firmat eſſe abſoluendum *ex hactenus deductis*, vel *rebus*
15 *ſic ſtantibus*: ſed ſi hoc caſu contra praxim reus ſit abſolutus, vt *Innocens*: vel in dubio à Iudice fuerit dictum *Abſoluimus*; Primo caſu non poteſt reuocari: Secundo autem, ſi res ſit adeo dubia, vt non conſtet ex Actis, Reum veluti Innocentem abſolutum, tunc vtique reuocari poteſt: vſque ad *n.* 28.

Reus abſolutus ab obſeruatione iudicij de Iure Canonico iterum accuſari non
16 poteſt: ſecus de Iure Ciuili. Sic pariter abſolutus per tranſactionem factam cum parte, poterit ab altero accuſari, ſeù per Iudicem nouiter inquiri. Et licet aliqui
17 dixerint, quod per paœm, ſeù remiſſionem habitam à parte, minor pœna veniat imponenda, ſi verſemur in atrocibus contrarium eſt verius; quamuis in leuibus concluſio fortè procedat: verùm ad hoc Statuta locorum ſunt atten-
18 denda. Abſolutus verò per compoſitionem cum fiſco, tutus eſt, nec iterum accuſatur, etiam ab eo, qui ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequitur: ſed abſolutus per tranſactionem in crimine publico, poteſt iterum vexari. Alij contrà; nec meâ ſententiâ immeritò; dummodo tranſactio ſit facta nomine fiſci, & à po-
19 teſtatem habente tranſigendi. Sic pax facta per proximiorem offenſi, licet de Iure communi non impediat, quominus alius ſequens in gradu poſſit accuſare, nihilominus de conſuetudine ſeruator, quod vbi primus in gradu remittit, alteri accuſatio ſit prohibita, licet fiſco reſeruetur actio procedendi quibuſcunque criminibus, etiam priuatis, tranſactione ſeu pace cum proximiore offenſi non obſtante: vſque ad *n.* 37.

Tranſactio facta, ſi ſit nulla, & in Caſibus à Iure non permiſſis, qui enu- 20
merantur à Claro, 8. *fin. quæſt.* 58. & per D. D. in *L. tranſigere*, *C. de tranſact.* non impedit quin procedi poſſit: ſic & abſolutus incidenter, & per viam exceptionis in iudicium deductus, niſi ſit impoſita pœna ordinaria, iterum accuſari, & condemnari poteſt. Extende ad ab- 21
ſolutum à Crimine ciuiliter, & ad proſecutionem Rei familiaris, ſi abſolutio ſecuta fuerit ob non probatum crimen; ſecus ſi ob non commiſſum: quando autem ciuiliter abſolutus poſſit criminaliter condemnari, Author loquitur remiſſiuè ad plures, & præcisè ad *Clar.* §. *fin. quæſt.* 2. In crimine autem intentato per viam denunciationis Euangelicæ abſolutus, non prohibetur iterum accuſari, & puniri pœnâ ordinariâ, quando plenè delicto non ſatisfeciſſet: vſque ad *n.* 42.

Sic & abſolutus, qui poſt ab- 22
ſolutionem poteſt iterum accuſari, condemnari poteſt, ſi fateatur delictum: quod firma ſine hæſitatione: licèt Alij contrà: Declarando tamen, dummodo confeſſio ſit iudicialis, & ſpontanea; confeſſio enim extraiudicialis nihil operatur: quia tantum facit iudicium ad torturam, & hæc inferri non po- 23
teſt, cùm obſtet res iudicata. In delictis verò atrociſſimis Princeps de abſoluta poteſtate (ſecus de ordinariâ) poteſt fiſcum reſtituere aduerſùs ſententiam abſolutoriam: etiam quod fecerit tranſitum in iudicatum, vt illa retractetur ex probationibus de nouo repertis: vſque ad *num.* 61.

***

EX

EX QVÆSTIONE V.

ARGVMENTVM.

Quando post Compositionem iterum possit molestari? Et quæ requirantur ad validitatem Compositionis.

COMPOSITIONEM dari in delictis (licèt Alij contrà) Author noster intrepidè profitetur, quæ definitur Conuentio quædam per Reum cum Præside facta ex causa lite pendente, de dubio criminis Statu, de soluendo fisco certã pecuniarum summam, ad effectum redimendi vexationes litis. Et post dictam compositionem etiam nouis superuenientibus indiciis nemo vexari potest: sed Iudex ad compositionem tantùm deuenire potest, perfecto processu, non autem antea: & eam facere solum in delictis non plenè probatis, secus in probatis, scilicet quando versamur in certis, & liquidis probationibus, veluti quod Reus sit confessus vel conuictus. Iudicibus verò Ecclesiasticis, etiam quod de crimine plenè constet, præsertim in capitalibus criminibus, compositionem facere licet: & propriè dicitur dispensatio, seù commutatio pœnæ: vsque ad *num.* 6.

Quando verò extaret plenè probatum delictum, sed exciperetur de nullitate processus, vel quando adesset iusta causa recedendi à pœnâ ordinariâ, Dabitur compositio, dummodo fiat ante sententiam: quinimo etiam pluries pro aliis delictis compositione facta, adhuc nouiter admittitur: & hoc firma. Licèt Alij contra. Nunquam tamen datur, nisi parte concorda: & secus facta, nec delinquenti suffragatur, necvalet. Ista autem concordatio partis debet esse per consensum expressum, non autem per tacitum; adeo vt nec sufficiat tanta reconciliatio. Et in fortioribus terminis, quando Iure aliquo ad compositionem requiritur partis remissio, adhuc si pars sit incognita, sine remissione compositio erit nulla. Remissio autem in proposito probatur per Testes sine scripturis, & publicis instrumentis: Verùm si pax, aut remissio fuerit facta sub aliqua conditione, nempe, quod offendens per tempus determinatum non ingrediatur Ciuitatem, vel transeat ante domum offensi, secuta inde compositio adhuc sustinebitur, licèt contrauenerit obligatus, ingrediendo, seù transeundo. Et hoc vnum specialiter nota, quod licèt per deficientiam remissionis compositio sit nulla; illâ tamen secutâ, fiscus ius perdit; & solùm instante parte procedere potest: & ab hac conclusione in iudicando non recedas. Quamuis Alij contra. Verumenimuerò, parte instante, processu resumpto Reus torqueri potest, siuè compositio intercesserit per Iudicem, siuè per gratiam à Principe: vsque ad *num.* 12.

Compositio in quibuscunque delictis enormibus datur, non existente plena probatione; præter quam in delicto Læsæ-Maiestatis, & Raptus Virginum: seù quando contra personam ipsius Principis, vel sui status tranquillitatem quis machinatur. Et compositio facta à Iudice, interueniente dolo, seù collusione, nihil valet: & dolus, ac collusio præsumitur quando soluta fuit parua pecuniarum summa, respectu qualitatis delicti maiorem requirentis, quinimò inducitur etiam precibus, & fauoribus, nec non metu Iudicis, id deposcentis, qui tali casu teneretur pœna concussionis & extorsionis; non solum si per vim & metum extorserit, verùm etiam si pluriès citauerit ad hunc finem; licèt non sequeretur compositio. Et licèt dubitent nonnulli, vtrùm compositio facta in carcere valeat? resolutiuè dicas valere, quando carer erat iustus: vsque ad *n.* 17.

Compositio, seù transactio facta cum Parte, seù cum fisco, nullam inducit delicti, super quo transigitur, confessionem: sed si fuerit facta in delicto non transigibili, extra iudicialiter, publico interueniente instrumento, facit iudicium ad

torturam. Sed si extra iudicialiter in delicto transigibili sequatur, tunc nulla ocitur probatio, nisi concurrentibus fama, & adminiculis. Verum quando pax fuit inita gratuitò, nulláque recepta mercede, etiam in delicto non transigibili, nullam inducit probationem: quinimò etiam si aliquid fuerit datum, vel promissum, ad effectum liberationis: Sic pariter nulla oritur confessio per compositionem quando expresè negatur delictum, vel quando non constat de corpore delicti; etiam quòd versaremur in delictis non transigibilibus. In quocunque verò casu iure transigibilis, vel non, indistinctè nunquam solus tractatus, pace non secuta, indicium producit: quidquid Alij contra: vsque ad *n.* 23.

17

Per supplicationem, vtrùm inducatur confessio, necnè? distingue; aut supplicatur in casu transigibili, & non oritur: aut in non transigibili de Iure, & tunc si petitio veniæ, est iudicialis, & solemnis, nec petatur benignitatis causâ, ad cautelam, vel ad se redimendum à vexatione, plenam inducit probationem: Si autem extraiudicialiter, nulla inducitur confessio. Quando verò petitur absolutio ab excommunicatione; pariter distingue: aut agitur de paruo præiudicio, & dicitur probata excommunicatio, saltem præsumptiuè: aut agitur de magno præiudicio, & tunc si iudicialiter; & solemniter petitur, oritur tacita confessio, secus si petatur extraiudicialiter ad solam cautelam cum protestatione, & ità conclude: quidquid varij varia dicant.

18

19

20

EX QVÆSTIO. VI.

ARGVMENTVM.

Gratia à Principe concessa delinquentibus quando valeat, & seruanda sit.

SEMEL à Principe de aliquo delicto aggratiatus non potest amplius molestari, seù inquiri à quocunque Iudice, quia gratia Principis seruari debet, imò Bannito capto, & gratiam ostendente debet audiri, impeditâ sententiæ executione: verùm si gratiam allegaret, & Iudex termino non dato ad docendum de ea sententiam consummari mandaret, & postea de gratia appareret, non effugeret talis Iudex pœnam extra ordinariam. Et adeo verùm est, talem aggratiatum non posse ampliùs molestari, quod etiam minimè possit tamquam Testis de aliis interrogari, dummodo non sit gratiatus conditionaliter, quia tunc posset etiam torqueri ad socios indicandos *n.* 1.

1

2

3

Principes superiorem non recognoscentes, absque dubio habent potestatem aggratiandi; in tantùm vt nec Papa possit aggratiare Laïcum in territorio immediato istorum Principum Superiorum. Barones verò, Comites, & alij inferiores Feudatorij superiorem recognoscentes, nullam habent aggratiandi facultatem in delictis capitalibus quoad pœnam corporalem, licèt secùs sit quoad bona & pœnas, quæ eis applicantur, quas remittere posse, firma pro Communiori. Et licèt per generalem Regularium concessionem, adhuc non veniat indulgendi facultas, etiam in priuilegium Coronæ, & eius supremæ, ac præcipuæ potestatis, vt multi dixerunt: Contrarium est verius: quia Feudatarius inuestitus cum mero, & mixto imperio, ac omnimoda, & perpetua iurisdictione creatus Dux, Marchio, vel Comes, censetur ei absque alia expressione concessa facultas aggratiandi: & licèt talis facultas liget tantum Principem concedentem, non autem eius Successorem; hoc tamen limitandum, nisi id Princeps fecerit *motu proprio*, & *ex certa scientia*: vsque ad *num.* 9.

4

5

6

Iudices Ordinarij, nec Bannitos remittere, nec gratiam delinquentibus facere possunt: etiam si Bannum sit ex causa Ciuili, imò nec famam restituere: Quod extende etiam ad Præsides, & Legatos, præcipuè in Statu Ecclesiastico, ex Bulla Pij IV. 104 *Bullar. p.* 1. *fol.* 810. vbi omnibus indistinctè est ablata facultas faciendi gratias in homicidiis: vsque ad *num.* 15.

7

Principes supremi, etiam superiores non recognoscentes, gratiam facere non possunt de homicidiis deliberatè commissis; nec non de cæteris aliis delictis, parte non concordata, vel habita pace: & id hodie de generali consuetudine totius Orbis seruari testatur Author. In delictis verò, in quibus nõ requiritur partis remissio, seu consensus,

8

consensus, Princeps gratiam facit. An
10 verò gratia facta à Principe delinquenti, extendatur ad bona: Et an Clericus condemnatus in priuatione beneficiorum, & postea ex gratiâ restitutus, recuperet eadem beneficia? Author te remittit ad Odd. *de restit. in integr. p. 2. q. 95. artic. 1. & q. 99. n. 85. ac q. 92. n. 28.*
11 Sed in hac materia duos casus principales distingue: Primus est circa bona confiscata, non autem in tertium alienata. Secundus, circa bona conficata, & alienata.

Quoad primum, gratia Principis trahitur tantùm ad personas, non autem ad
12 bona, nisi gratia esset libera, seu plena, aut Princeps dixerit, *Plenam*, vel *Plenariam gratiam facimus:* Aut nisi gratia esset concessa ob iniustitiam condemnationis, seù ex capite innocentiæ, vel esset concessa ante sententiam, aut Princeps esset solitus, etiam bona confiscata restituere, seù restituisset in pristinum Statum, vtendo
13 singulariter verbo, *Restituo.*

Quo verò ad secundum casum de bonis alienatis, & per Tertium possessis, etiam quod gratia restitutionem bonorum contineret, non traheretur ad alienata; quamuis de iis expresè supplicatum fue-
14 rit. Extende, etiam quod declaretur Bannum, & sententiam esse nullam; etiam quod rescriptum dicat; *non obstante quacunque condemnatione, quæ pro non facta*
15 *habeatur, & irrita sit.* Sed si sequantur alia verba prægnantia, scilicet, *ita quòd habeatur pro non facta, nec de ea obiici possit:* tunc trahitur ad bona alienata. Extende iterum, nodum, si in Tertium bo-
16 na peruenerint, facto, & contractu ipsius. *Principis*; verùm etiam ex dispositione *Legis*: Articulus iste perdifficilis est; quare Author non loquendo resolutiuè, &
17 remittit ad Odd. *d. q. 991. artic. 1. n. 7. & artic. 2 per totum.*

Limita tamen propositum casum, vt
18 non procedat quando in restitutione essent apposita verba, *plenè, plenius*, vel *pleniſſimè*, aut *in omnibus, & per omnia:* & tamen in practica, quidquid dicant Theologi, similis restitutus nec bona alienata, nec pretium eorum recuperat à fis-
19 co. Et in quocunque casu, quo Reus recuperet ex gratia bona alienata, vel non alienata; non tamen recuperat fructus perceptos: quidquid Alij contrà, ab hac conclusione non recedas; eam tamen limitando in fructibus, vel collectis extantibus, & in aliis casibus remissiuè ad Odd. *q. 99. artic. 14. & inde omnib. seq.*

Regulariter per simplicem indulgentiam non censetur restituta fama, secùs per restitutionem in integrum gratiosam. 20
Verùm si scire volueris, an, & per quæ verba censeatur Princeps concessisse simplicem gratiam, & quando in integrum gratiosam restitutionem? vide Odd. *cit. q. 94. artic. 4. & q. 96. artic. 1.* ibique inuenies, an quilibet Princeps possit ad famam restituere? vsque ad *n. 45.*

Impetrans gratiam de delicto, debet exprimere non solùm ipsum delictum, sed etiam omnes delicti qualitates aggra- 21
uantes, quæ vel Principis animum verisimiliter retrahere à gratiæ concessione, vel difficiliorem concessionem reddere possent: aliàs gratia vitiatur, si de istis qualitatibus exprimendis, iure reperiatur constitutum. Ex quo, rescriptum gratio- 22
sum de aliquo delicto, putà de homicidio, in quo non fit mentio de gratia habita de alio homicidio, vti nullum, & inualidum, nihil impetranti suffragatur: Quod intellige, vt procedat, quando gratia habita de primò delicto, seù homicidio, fuit valida; secùs si inualida: & dummodò gratia prima contineat simile delictum, secus si fit diuersum, & separatum; quia tunc Iudex debet supersedere in executione, & Principem consulere: vsque ad *n. 50.*

Ex generali Principis abolitione non comprehenduntur crimina enormissima, 23
putà assassinium, falsitas, delictum Læsæ-Maiestatis, crimina, quæ à Iudice in officio commissa, nisi de iis in specie loquatur. Item non trahitur ad delicta futura, nec ad liquida, & Notoria, non porrigitur ad iam Carceratos, nec ad accusationes nondum institutas. Verùm prædicta omnia intelliguntur in concessione abolitionis; non autem in indulgentia: aliud enim est Abolitio, & aliud Indulgentia: Abolitio enim non extin- 24
guit crimen, sed tantùm iustitiam Iudicij, eaque à Principe conceditur ob aliquam publicam lætitiam, & ideò transacta lætitia, infra triginta dies potest accusator de nouo accusare. Indulgentia verò fit cum causa, extinguit crimen, & comprehendit omnia delicta, etiam enormissima: vsque ad *num. 61.*

***

EX QVÆST.

EX QVÆSTIO. VII.

ARGVMENTVM.

Delinquens vbi puniendus ? Quando ad competentem Iudicem remittendus ? & quando inter Iudices præuentio locum habeat.

1 VBICVMQVE Reus non est suppositus iurisdictioni Iudicis inquirenti ? vel ratione delicti, vel ratione originis, aut domicilij ? tunc ab eo puniri minimè potest. Verum hoc non procedit quando Reus consensit in Iudicem competentem, illius iurisdictionem prorogando per contestationem litis, vel quando Iudex requirens Reum sibi transmitti per priùs transmisisset Iudici requisito informationes super delicto, quia tunc tacitè in eius iurisdictionem consensisset, & amplius non posset remissionem Carcerati, petere. Ex vtroque enim casu, tam per Reum, quàm per Iudicem dicitur prorogata iurisdictio.

Aduertas tamen primò, quod non prorogatur per Reum ex sola permissione de se examinando, etiam si fateatur, quia non sponte, sed compulsus id videtur facere. Secundò, non ex eo solùm quod Iudex contra aliquem procedat ad bannum in contumaciam. Tertiò, quod prorogatio Rei non præiudicat Actori coram competenti Iudice accusare volenti. Quartò, quod in prorogatione requiritur consensus per scientiam, non per ignorantiam: vsque ad *n.* 3.

4 Ratione conuersationis decennalis potest quis à Iudice illius Ciuitatis puniri, licet illi non sit subiectus ratione delicti, vel originis seù domicilij: sed ista conuersatio debet esse per integrum decennium. Et de dicta commissa, tempore, quo quis conuersatur: vsque ad *n.* 6.

5 Fur si in loco reperiatur cum re furata, potest ratione contrectationis ibidem puniri, licet illi foro non sit subditus. Alij contrà. Tu dicas quod hoc casu debet eijci de loco, vbi fuit captus, & aliqua pœna
6 mulctatus, liberari: at si fuerit requisitus Iudex, debet illum concedere requirenti.
7 Raptores verò non possunt allegare priuilegium fori, si quod habent. Assassinus vbicunque reperiatur, potest à quocunque impunè occidi, & offendi: quod extende ad publicum latronem, & stratarum derobatorem; qui omnes à quolibet Iudice puniri possunt; dummodò per declaratoriam constet esse tales. Curia verò Romana nunquam solet delinquentes remittere, sed in ea omnes, vbicunque deliquerint, extra ordinem puniuntur: vsque ad *n.* 12.

Vagabundus vbique locorum puniri 8
potest de delicto vbicunque commisso, & in proposito vagabundus vulgò appellatur is, qui nullam exercet artem, & modò hùc, modo illùc vagatur. Bannitus verò statim quod est bannitus, vagando per orbem, pedem non figendo, 9
& domicilium non eligendo, reputatur 10
pro vagabundo; & à quocunque Iudice potest puniri. Sic & Hæreticus coram pluribus, & diuersis Iudicibus processari, & vbicunque locorum puniri. Similiter & Officialis à loco officij aufugiens, vbique puniri poterit de delictis in officio commissis: vsque ad *num.* 17.

Condemnatus pro homicidio animo 11
deliberato, præmeditatè, per industriam; & maximè per insidias, ac proditoriè commisso; in qualibet parte Mundi capi, & puniri potest. Alij contra, & verius.

Verùm verò Iudex domicilij, seù 12
originis cognoscere possit de delicto, per eius subditum commisso extra suum territorium, an verò teneatur ad Iudicem loci remittere ? duæ sunt opiniones: Affirmatiua scilicet, & Negatiua; & vtraque multùm fundata. Verùm ambæ sustineri possunt, declarando, & limitando, vt *infrà*: Et quia prædicta Quæstio duas Partes habet; Vna, quæ respicit potestatem procedendi: Altera, quæ respicit remissionem delinquentis.

Quoad primam partem, verius est, Iudicem loci originis, seu domicilij posse procedere contra suum subditum delinquentem extra territorium: & ab hoc non recedas.

Limitando tamen primò, quod non possit procedi per inquisitionem, sed tantum Parte accusante. Secundò, quod si Iudex loci originis, vel domicilij non requisitus præuenerit in captura, & multo magis si in cognitione causæ, non teneatur vllo pacto captum delinquentem extra suum territorium ad Iudicem loci delicti remittere, siuè processerit per inquisitionem, siuè per accusationem. Tertiò, quando

Iudex

Iudex loci delicti non est negligens in inquirendo, & procedendo contra delinquentem, tunc dicas non posse Iudicem originis cognoscere.

Verum si tenere volueris affirmatiuam opinionem, quod possit de delicto extra territorium cognosci, quæ verior & probabilior est de mente nostri Doctoris; conclude quod talis Iudex non teneatur delinquentem ad locum delicti remittere, etiam post sententiam vsque ad *n.* 24

Sed an absolutus condemnatus, seu aggratiatus in loco delicti, possit iterum inquiri, seu molestari in loco originis, do-
13 micilij vel è contra? distingue, quod aut loquitur in gratia; & tunc si locus est subiectus eidem Principi, vbique locorum valet: si verò loquitur in absolutione, seu condemnatione, tunc si interuenit fraus, potest inquiri in alio loco; si verò sub eodem Præside, & Principe, non potest iterum molestari, etiam si territoria sint diuersa: Et quidquid Alij contrà, non recedas. Bene verum est, quid si non esset satis punitus, posset puniri ad supplementum, prout in vno loco condemnatus in contumaciam, & alibi absolutus, ista absolutio esset nulla, præcipuè in Statu Ecclesiastico, vigore Bullæ Pij IV. editæ Anno 1565.

Iudex autem, qui nullam in Reum ha-
14 bet iurisdictionem, nec ratione delicti, nec originis, seu domicilij: non tenetur Reum remittere ad Iudicem competentem: cùm hodie de consuetudine remissio non concedatur nisi à Iudicibus existentibus sub eodem Principe, & nisi fiat à Iudice sub diuerso Principe existente Vrbanitatis: quinimò Iudex sub eodem Principe non tenetur remittere, nisi constet de iurisdictione remissionem petentis, & præcedat summaria cognitio, quod delictum fuerit commissum in iurisdictione requirentis; nec debet fieri, nisi tantum in causis grauibus & atrocibus; & quolibet casu fieri expensis petentis, non autem Carcerati, nisi reperiatur culpabilis, & adhuc culpabili existente, nisi sit soluendo expensis instigatoris, vel Curiæ: vsque ad *n.* 39.

At si Reus fuerit captus in alieno territorio ab extraneis executoribus, debet re-
15 laxari, & in pristinum Statum reponi, etiamsi in persequendo fuerit captus: sic quando Carceratus inquiratur de pluribus delictis, in pluribus Tribunalibus, remissio fit post expeditionem processus, & si vtraque pœna ab vtroque Iudice imponenda sit æqualis, & incompatibilis, putà mortis, seu triremium, præfertur Iudex capturæ: si autem vna sit maior, altera minor illata; & consummata minori; datur locus maiori. Vbique verò, quando remissio fieri debet, processus remittentis est reiterandus à petente remissionem: quod procedit in Testibus, scripturis, & aliis luribus, & actis factis, & productis coram Iudice remittente; quæ omnia euanescunt. Confessio verò coram Iudice remittente facta, cùm semi plenæ probationis sufficit tantum ad torquendum, non autem ad condemnandum: sed si remittens esset Iudex competens in delicto, de quo agitur, & remissio fieret ex Vrbanitate, tunc esset standum processui remittentis, vsque ad *n.* 44.

Specialiter verò, si delictum fuerit commissum in duobus locis: in vno, putà inchoatum; in altero perfectum, cui demandetur cognitio, scilicet, an Iudici loci, 16
vbi inchoatum, an verò vbi perfectum? pone tres casus singulares. Primò, in delictis inchoatis in vno loco, & perfectis in alio tam respectu agentis, quam patientis. Secundò, in delictis inchoatis in vno & perfectis in alio, respectu agentis tantum, vel patientis tantum. Tertiò, in delictis in vno loco inchoatis, in alio perfectis nec respectu agentis, nec patientis. In primò casu, vterque Iudex erit competens. si actus inchoatus à principio erat illicitus, sicut si licitus: quia hoc casu Iudex consummati delicti erit tantum competens. In secundo casu pone duo exempla: primum in eo, qui existens in vno Territorio, emisso sclopo, alium est alio territorio accîdit; & tunc vterque Iudex est competens: Quid-
quid alij contrà. Secundum exemplum in 17
eo, qui existens in vno territorio, mandat fieri delictum in alio, si quæras vbi sit puniendus mandatarius? reiectis varijs D. D. opinionibus, communiter, & resolutiuè dicas, aut agitur de pœnâ ordinariâ consummati delicti, aut de pœna extraordinariâ ratione mandati, quæ quando sumus in atrocibus, imponitur, etiam effectu non secuto; & tunc Mandans, & mandatarius possunt puniri in eodem loco mandati, ibi enim dicitur commissum delictum, vbi illud tractatur. Si verò agitur de pœna ordinaria delicti consummati, tunc si simus in casu, in quo mandatum de se, & affectus puniatur pœnâ ordinariâ, delictum punitur in loco mandati: Si verò simus in mandato, quo non executo non imponitur pœna ordinaria, tunc si mandans sit subditus loci mandati, ratione originis, vel domicilij, ibidem vterque potest puniri; vsque ad *n.* 51.

Quando delicta in confinibus duarum terrarum

terrarum sunt commissa, vterque Iudex est
18 competens, & vterque in solidum agere poterit, quia vterque locus dicitur offensus, sed inter plures Iudices, qui de eodem delicto inquirere possunt, datur locus præuentioni, ita vt præueniens cessare faciat iurisdictionem alterius: Quod extende, siuè agatur inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem, siuè inter habentes merum, & mixtum imperium, siuè in habentem simplicem iurisdictonem, & tam in delegatos, quàm ordinarios, siue in Ciuilibus, siue in Criminalibus: & siue in profanis, siue spiritualibus.

Declara tamen quod hæc non procedant, nisi quando realiter fuit præuentum per capturam, quæ præfectur præuentioni verbali; licet præuentio verbalis sit præcedens reali, etiam per temporis spatium. Aduertendo tamen, quod hoc procedat in verè capto; secùs in sponte comparente, qui non potest se constituere, nisi in loco, vbi citatus fuit, & eò magis si condemnatus alibi, se constituerit: quia tunc non prohibetur Iudex, qui primò realiter citare incepit suum perficere processum: & hoc quidem casu talis Reus esset remittendus: sed quando quis reperiretur citatus, & condemnatus in eodem loco vbi spontè comparuit, etiam quod illa citatio, & damnatio sic posterior, tunc realis præuentio præfertur in pluribus Iudicibus, qui sunt sub eodem Domino, & iurisdictio eorum ab eodem fonte procedit, realis præuentio non præfertur reali præcedenti, sed ad Principem est recurrendum: verùm quando Reus captus consentiat, vt eius Causa videatur coram Iudice, qui eum carcerari fecit, sine dubio illic est terminanda: si verò opponat de præuentione verbali, erit remittendus. Quando verò verbalis, seu realis præuentio inter se præferantur, si Iudices sint sub eodem Domino, potest Iudex, qui Reum habet in manibus exequi sententiam condamnatoriam alterius Iudicis, etiam irrequisitus, secus si sint sub diuersis Principibus vsque ad *n.* 53.

Quæ autem de præuentionibus diximus, intelligas habere locum partè opponente, aliter secus. Imò quod vltra oppo-
19 sitionem si adhuc procedatur, sit necessaria appellatio. Minusquè Reus contumax de præuentione opponere potest; non enim absurdum est, quod quis in contumaciam possit condemnari à duobus Iudicibus sub diuerso Principe, & cogi ad soluendum vtramque condemnationem: nisi ante secundam, soluisset primam: aut nisi comparuerit, & reficiendo expensas de præuentione opponeret, *n.* 55.

Per citationem inducitur præuentio, non autem per simplicem inquisitionem: quæ quidem citatio debet esse vera, & le- 20
gitima; secus si nulliter, & non legitimè facta: imò talis præuentio per citationem contra vnum ex complicibus seù sociis, non extenditur contra alios. Quod si duo Iudices existentes sub eodem Principe præueniant eadem mora, tunc ad Principem recurrendum: Quod si sub diuersis Principibus, citatus habebit electionem. Et in proposito concludas. Primò, quod præferatur, qui maiorem habeat iurisdictionem. Secundò, quod data æqualitate iurisdictionis stabitur iuramento citati, cuius citatio sit anterior. Tertiò, quod citatio personalis præferatur. Quartò, Iis cessantibus, datâ in omnibus æqualitate, electio Iudicis spectabit ad Reum; quo renuente, Iudices debent concordari; & nisi concordentur, sorte est dirimendum. Sed præuentio nihil operatur quando est fraudulenta, seu affectata: & talis dicitur per spontaneam constitutionem Rei. A secundo Iudice præcedente, & inquirente contra Reum cum grauiori qualitate quam sit in inquisitione Iudicis præuenientis, non impeditur processus secundi Iudicis. Cætera ad materiam vide per Decian. *In suo tract. crimin. Tom.* 1. *Lib.* 4. *cap.* 20.

EX QVÆST. VIII.

ARGVMENTVM.

De foro competenti inter Clericum, & Laicum. Quando Clerici sint sub iurisdictione laicali? & è contra, Laici sub iurisdictone Ecclesiasticâ.

REGVLARITER tam in criminalibus, quam in Ciuilibus, clericus à Iudice laico iudicari non potest: 1
trahénsque Clericum ante Iudicem secularem, causam amittit, & à communione arcetur. In causis spiritualibus, & Ecclesiasticis exemptio à iurisdictione laicali, est de Iure diuino; in cæteris, de Iure positiuo: nec consuetudo contraria, etiam immemorabilis, tollit talem exemptionem, quamuis Papa de tali consuetudine conscius, toleraſſet. Sed licèt consuetudo non possit in totum exemptioni præiudiciare, potest tamen in aliquibus casibus particularibus,

laribus,& ex rationabili causa eam restringere : quia Papa licèt non possit, quoad omnes Clericos , exemptioni derogare,
3 potest tamen quoad singulos. Episcopus verò nunquam potest derogare, imò nec causas criminales. Laico contra Clericos committere ; sed nec Ciuiles : data facultate imponendi censuras aduersus Iudices laicos causas occupantes : vsque ad *n.* 5.

Priuilegia fori competunt etiam primâ Tonsurâ initiatis, & quibuscunque alicui Ecclesiæ inseruientibus : sed per Concil.
4 Trident. *sess.* 2. 3. *cap.* 6. initiatus non gaudet, nisi habeat beneficium Ecclesiasticum,seu incedat in habitu ; & Tonsura; & alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat,aut in seminario Clericorum,vel in aliqua schola, quasi in via ad maiores
5 Ordines suscipiendos versetur. Clericus Coniugatus ad hoc vt gaudeat priuilegio fori, necesse est, vt alicui Ecclesiæ inseruiat delicentia Episcopi, quòd non sit bigamus, ac incedat in habitu, & Tonsura; & hoc casu tantum exemptus in Criminalibus, non autem in Ciuilibus : quinimo nec etiam liberatur à Gabellis, Collectis; aliisque Principis secularis obsequiis ; licèt gaudeat priuilegio fori, ac etiam Canonis, *si quis sua dente* vsque ad *n.* 9.

Clerici verò generaliter non possunt
6 renunciare priuilegio fori, etiam cum iuramento ; & de voluntate ipsius ad forum seculare trahi, etiam si fateatur, se esse laicum, & quamuis accedat consensus Epis-
7 copi. Hæc exceptio in competentiæ quandocunque potest opponi, etiam post sententiam coram Iudici seculari : sed hoc casu debet à Iudice Ecclesiastico in expensis condemnari : eóque fortiùs præmissa procedunt in causis spiritualibus, in quibus secularius nullatenus sine Romani Pontificis licentia se intromittere potest, adeo vt confessio facta coram Iudice seculari in casu spirituali, nihil contra confitentem
8 probet. Causæ verò spirituales sunt quæcunque de Ordinibus, Gradibus, Sacramẽtis,Obseruationibus,aliisque Ecclesiasticis rebus tractant : & quidquid denique inter quoscunque Christianos contingens ortum habeat ab aliquo, quod specialiter ad Ecclesiam pertineat. Hæc igitur computantur inter causas spirituales, scilicet delicta Hæresis, Sacrilegij, Vsurarum, Adulterij , Simoniæ , Periurij : Causæ Electionum, Postulationum, Depositionum, Dignitatum, Officiorum, Canonicatus, Decimarũ,Matrimonij, Natalium,
9 Iuris patronatus, legitimationis:Et in causis Clericorum Iudex laicus procedere nequit siuè agatur reali, siuè personali actione,præterquã in causa feudali, in qua corã Domino feudi laico, Clericus potest conueniri ; siuè agatur possessoriè, siuè petitoriè, dummodò non agatur criminaliter. 10
Sic & generaliter in omni causa possessorij, in qua etiam quod de re Ecclesiastica tractatur laicus est competens, nisi istæ causæ debeãt iustificari per titulum;seu versemur in possessorio Adipiscend. vsque ad *n.* 24.

In causis spiritualibus laicus nec Arbiter esse potest, nisi simul cum Clerico:po- 11
test tamen esse Arbiter, (non tamen tanquam Iudex se intromittere valet, siue principaliter,siuè incidenter agatur) quando quæstio in causa spirituali incidens esset Iuris, secùs si facti, nectens inter laicos : præcipuè quando in quæstione facti esset inhibitus: Et generaliter,etiam quòd causæ spirituales non sint meræ spirituales; sed aliquo modo cadant in laicos, in iis quæstio in facto incidens, ad Iudicem secularem spectat ; vt putà Matrimonij, Periurij, Vsurarum, & similium:*num.* 25.

Indistinctè nec ex officio,nec ad instan- 12
tiam partis, siuè corporaliter,siuè pecuniariè non potest Clericus puniri à Iudice laico de falso,aut de accusatione calumniosa sibi porrecta ; licet possit de falsitate cognoscere ad effectum expediendi causam 13
principalem.Pro quocumque enim crimine, etiam enormissimo,& atrocissimo,non est sibi subiectus. Sed vbi contingat quæ- 14
stio inter laicum, & Ecclesiasticum Iudicem de iurisdictione, putà vtrùm quis sit Clericus, nec nè ? Iudex Ecclesiasticus cognoscit:& tali cognitione pendente, Curia secularis silet, sed Clericus per secularem captus in habitu seculari,penes eum remanet, donec sit terminata discussio, eodem 15
Iudice seculari vocato, & citato. Et quia Clericatus qualitas non præsumitur,dicens se Clericum,id probare debet: Quomodo verò hoc probetur ? Dic primò quod probatur per scripturam, litteras Episcopi, seu Instrumentum ordinationis. Secundò, per Testis, deperditâ scripturâ. Tertiò, quando non agitur de alicuius præiudicio, vnicus Testis sufficit, secùs si agatur de præiudicio,& iurisdictione. Quartò,quoad effectum remittendi Clericum ad Iudicem Ecclesiasticum, sufficit Clericatum probare per præsumptionem ; dummodò tanta sit, quod iunctis adminiculis, in aduersarium transferat onus probandi contrarium. Quintò, quando Clericus non incedens in habitu vult se probare beneficiatum, ad effectum effugiendi forum seculare,debet vltra titulum beneficij pro-

bare possessionem : vsque ad *num.* 46.

16 Familiares Episcoporum etiam seculares, à Iudice laico non possunt puniri, eóque fortiùs si sint familiares Cardinalium, licèt in Curia Romana aliter seruetur. Rustici autem Ecclesiæ, & Clericorum, non

17 gaudẽt fori priuilegio, & propterea de damnis datis in locis prohibitis, etiam cum animalibus Ecclesiæ, poterunt coram Iudice seculari conueniri, præterquam in tribus casibus, relatis à Decian in *tract. crimina. lib. 4. cap. 9. tom. 1.* Monachus verò noui-

18 cius si ante professionem delinquat, non potest nisi à Iudice Ecclesiastico puniri. Et adeò Clericus à potestate securali est exemptus, vt Episcopi, & cæteri Ordinarij, nisi id tueantur, ab administratione deponi possunt, & criminaliter puniri, siuè isti Clerici sint seculares, siuè de quacunque Religione, etiam Eremitæ, & equites Hierosolimitani. Extende ad quamcunque Vniuersitatẽ Ecclesiasticam, nisi de secularibus tantùm fuerit composita: verùm si constet etiam de Clericis, & istorum sit maior pars, Ecclesiastica censetur, & à Iudice Ecclesiasti coindicatur: vsque ad *n.* 46.

Quæ omnia limitando dicas non pro-

19 cedere in Clerico incorrigibili, qui etiam non præcedente degradatione, potest à Iudice seculari puniri, istóque casu, non ad voluntatem Ecclesiæ, sed secundùm leges Ciuiles : Et hæc omnia de plano, & sine

20 difficultate procedunt. Incorrigibilis dicitur Clericus. Primò si sit depositus : iuxta *cap. cum non ab homine.* Secundò, quod iuxta dispositionem *dicti cap.* Sit propter aliquod delictum depositus, vel propter incorrigibilitatem excommunicatus, & anathematizatus. Tertiò, quòd Clericus qui in enormibus se immiscet, & perseuerat, vel post trinam monitionem non incedit in habitu, & Tonsura, dicatur in-

21 corrigibilis. Clericus ergo in enormibus se exercens potest à Iudice seculari puniri iuxta dispositionem *cap. perpendimus, de sentent. Excomm.* debet intercedere trina monitio. Alij contrà, & veriùs firmantes, quod etiam nulla intercedente monitione puniri possit. Sed ad hoc vt quis dicatur se in enormibus exercuisse, vnicum delictum non sufficit, plura requiruntur, & necesse est vt in enormibus deprehendatur : Sed deprehensus dicetur. Primò, si captus in flagranti. Secundò, si antequàm opponat de priuilegio Clericali delictum

22 fateatur, aut Deo sit conuictus, seu delictum sit notorium. Enormia delicta quæ dicantur? vide *infrà quæst.* 18. Et pro nunc scias ad effectum prædictum enormia ea dici de Iure Canonico, quæ ad normam plenè redire non valent, & in quibus semper aliquid remanet in pœna : vsque ad *num.* 59.

Clerici non incedentes in habitu, & 23
Tonsura, trinâ præcedente monitione, nisi resipiscantur, priuilegio fori non gaudent. In Apostata verò, monitio debet esse specifica, & personalis, nisi esset facta in Synodo sub expressa comminatione. Sed ad hoc, vt conclusio procedat, non sufficit incedere sine habitu tantùm, verùm etiam sine Tonsura: & in Coniugato necesse est, vt etiam præter Tonsuram deferat vestes 24
Clericales, & cæteras vestet honestas. Sufficit tamen gestare habitum, & Tonsuram tempore delicti, licet ante, vel post dimiserit; imò satis est reassumere etiam post delictum, dummodò sit ante capturam, seu condemnationem. Hæc aduertas, quod quando ex aliqua iusta causa non deferatur, non dicitur per hoc amissum priuilegium, ideoquè vnica omissio non priuat, sed requiritur perseuerantia, & vt publicè æstimetur pro laico : habitura autem sufficit esse secundum consuetudinem Prouinciæ : vbi gestatur; dummodò Clerico sit adæquatum : vsque ad *num.* 70.

Clericus degradatus, efficitur de Curia 25
seculari, & à Iudice seculari potest puniri. Degradatio duplex est, verbalis, & actualis : Verbalis quando Iudex pronunciat sententiam contra Clericum, eum priuando Clericalibus Ordinibus, quæ magis propriè dicitur Depositio. Actualis, quando personaliter priuatur, exuitur, & spoliatur Ordinibus Ecclesiasticis : quapropter in proposito loquendo intelligat semper de Degradatione actuali, non autem de verbali; ex qua nunquam secularis Iu- 26
dex super Clericum acquirit ius. Actualis Degradatio in tribus casibus permissa est; scilicet in hæresi, in falsitate commissa in litteris Apostolicis, & in conspiratione contra Episcopum. Quoad *hæresim* requiritur relapsus in crimine *falsi*, de consuetudine non seruatur : in *conspiratione*, requiritur incurrigibilitas. Quo verò ad *homicidium*, omnes concludunt, Clericum non degradari, sed in Monasterium detrudi ad pœnitentiam agendum : quam si agere noluerit, seu aufugere tentauerit, ad perpetuos carceres damnatur. In homicidio verò *qualificato*, puta Sacerdotis, proditorio, & per insidias, ac in similibus enormissimis delictis, magna est inter D D. decertatio, multi enim tenent, quod non detur Degradatio, quãuis homicidiũ fuerit commissum in personam Papæ, Alij verò

dicunt

dicunt imponi, etiam per homicidium commissum per industriam, & per insidias, Author noster id totum Iudicis arbitrio remittendum putat consulto Pontifice: vsque ad *n.* 81.

Clericus assassinus potest à Iudice seculari puniri etiam absque vlla degradatione.

28 Extende etiam quod non sit secuta mors. Et iterum extende ad Clericum defensorem, receptatorem,& Occultatorem bannitorum: & non solum si simplex sit Clericus, verum etiam si sit Princeps Prælatus, seu quælibet Ecclesiastica persona,non expectata incorrigibilitate, sed ipso Iure, & ipso facto,dummodo de Assassinio constet, & vbi Assassinus fuerit ab Ecclesiastico Iudice bannitus, diffidatus, & condemnatus: vsque ad *n* 87.

Clericus non simpliciter citatus, sed *si*

29 *sua putauerit interesse*,coram Iudice laico compareat, illius sententiæ & iudicio stare cogitur: verùm si non compareat, sententia, & acta erunt nulla, & comparendo, si opponat. Declinatoriam exceptionem;

30 idem erit.Clerici verò,qui prohibita sibi à Canonibus officia, sordidásque artes, non obstantibus monitionibus factis, exercent, priuilegium fori amittunt, & possunt à Iudice seculari puniri.

Exquo infertur.Primò,quod ex Chirurgiæ arte pro negligentiis, & culpis in ea commissis,puniantur à Iudice seculari. Secundò, ex armorum, & militiæ exercitio fori priuilegium amittant,& arma militaria deferentes, si tertiò moniti non desistant à delatione,possint à Iudice laico puniri. Tertiò, quod deferentes arma possint à Birruariis Curiæ secularis capi, & Episcopo tradi puniendos. Quartò, loculatores, Histriones, & Scurræ fori priuilegio non gaudeant.

Sic & Clericus coram Iudice laico re-

31 conueniri potest,præterquam in causa criminali, vel quando procurasset laicus per fraudem conueniri à Clerico coram laico, quando reconuentio tangeret causam spiritualitatis, vel illi annexam, & in aliis relatis per Scribentes *in cap. at si Clerici, de Iudic.* vsque ad *n.*104.

Qui ad effugiendam delicti punitio-

32 nem efficitur Monachus vt euitet secularem iurisdictionem : vel qui per fraudem Ordines susceperint:à Iudice laico puniuntur: Quidquid alij contra firma pro communiori:& in proposito vide *Bull.* Sexti V. *in ordine* 73. *versu. cæterum quoniam*: vbi loquitur etiam de grauatis pro alieno in præiudicium fisci, & creditorum,Religionem ingredientibus. Sed intellige, quod Iudex secularis possit tantùm puniri in pecunia;non autẽ in corpore: & sic sit Iudex causæ, non autem personæ. Clericus verò primæ Tonsuræ etiam absque degradatione, si sit effectus Clericus post delictum, potest puniri corporaliter à Iudice seculari: quidquid Alij indistinctè dicant:& signanter Monachus effectus post delictum, nec adhuc in Sacris constitutus, Curiam secu- 33
larem non euadit. Quando autem Clericatus dicatur per fraudem post delictum assumptus?multi dicunt,quod est,si post diffamationem,inquisitionem,accusationem? & eò magis post citationem, contumaciã, & condemnationem. Alij contrà, tales aduersantes opiniones fœdere distinctionis conciliãt,vt Prima opinio procedat,quando constat Clericum assumpsisse habitum post inchoatum processum:Secunda verò quando id ignorãt,sed fuerit Clericus effectus;si verò de neutro constet,recurritur ad coniecturas, de quibus statur Iudicis arbitrio, & si nullæ adsint coniecturæ, cui potiùs iudicandum pro ignorantia. Verùm si quis efficiatur Clericus statim post delictũ, præsumitur fraus. Sed ponè,quod quis dicat, se Clericum effectum ex voto, idquè asserat cum iuramẽto:eo casu videtur fraus excluſa : sed tu distingue, quod si votum non probetur, nisi per asserentis iuramentum, dicatur fabulosum:si verò cum iuramento concurrant adminicula, semiplena probatio, seu præsumptio, tunc eidem sic iuranti standum est: vsque ad *n.*113.

Non obstantibus præmissis plures sunt casus, in quibus Clericus potest carcerari. 34
Primò, quando agitur de delicto commisso,Clericúsque capitur ad effectum remittendi ad suum Iudicem, dummodò sit de fuga suspectus: sed hoc casu à seculari non potest retineri in carceribus vltra viginti horas. Secundò, quando capitur, vt obuietur delicto futuro. Tertiò,quando capitur statim delicto commisso. Quartò,quando capitur in flagranti crimine. Quintò,quando Clericus potest impunè offendi,& verberari. Sextò, quando Clericus factus sequestratarius, seu Depositarius de mandato Iudicis Ecclesiastici.potest enim in dicta causa à Iudice seculari compelli pro consignatione sequestri, seu Depositi. Septimò, in causa Iuris *Congrui*, & in causa Afficti domus.

Regulariter è contrà, laicus non potest conueniri coram Iudice Ecclesiastico, nisi in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, siue principaliter, siuè incidenter. Et quid in Criminalibus, præcipuè in causa *Hæresis*, & *Simoniæ*? vide vsque ad *n.*127.

Crimen Sodomiæ, Adulterij, Blaſphe-
35 miæ, Stupri, Concubinatus, & Sacrilegij; ſunt mixti fori, ac de iſtis tàm Laicus, quã Eccleſiaſticus cognoſcit inter eos, data præuentione. Extende ad Sortilegium, niſi ſapiat hæreſim; quia tunc priuatiuè ſpectat ad Eccleſiaſticum. Quando autem ſapiat hæreſim: vide *infrà q.* 20. Vtrùm verò crimen *Vſurarum* ſit mixti fori, vel merè Eccleſiaſticum? variæ ſunt D. D. opiniones, eorúmque Tres principales inter ſe diſcrepantes: ſed ſecundum Authorem concluſiuè loquendo, dicas. *Primò*, quod ſi agatur de quæſtione facti, tunc abſque dubio, & nemine contradicente, Vſurarum cognitio ad Iudicem ſecularem ſpectet: & ideo ſi Vſura ſit notoria, ita vt pars non inficiatur, allegando contractum vſurarium, agatúrque tantum ad repetitionem vſurarum, & quæſtio ſit ſuper ſolo calculo, tunc ſecularem Iudicem competentem eſſe dubitandum non eſt. Secundò, de Vſuris inter Hæbreos Iudex ſecularis eſt compepetens. Tertiò, quando de Vſuris diſponitur per Statutum, Edictum Principis, vel Ciuitatis ſecularis. Quartò & licèt diſputetur, quod ſi vſurarum quæſtio non facti, ſed Iuris ſit, Eccleſiaſticus cognoſcat; attamen verius eſt de mente noſtri Authoris ad Iudicem ſecularem inter ſeculares ſpectare. Et tandem conclude, huiuſmodi delictum eſſe mixti fori: vſque ad *n.* 141.

In cauſa *Iuramenti* etiam inter laicos
36 Iudex Eccleſiaſticus eſt competens, etiam quod Iuramentum ſic præſtitum pro obſeruatione contractus, verùm hoc non procedit in hærede Iurantis: quia quoad ſpiritualitatis vinculum, perſonale eſt: poſſet tamen talis hæres conueniri ad exonerationem animæ defuncti, facta debita ſatisfactione, prout etiam cepto iudicio in foro Eccleſiaſtico, in eodem proſequi poſſet
37 contra hæredem. Periurus etiam laicus non à ſeculari, ſed ab Eccleſiaſtico Iudice punitur. Quod tamen intelligas de iurante falſum ſuper partito litis deciſiuo iuranti à parte delato: vnde ſecus in teſte falſum iurante. Sic & Abſolutio iuramenti ad effectum agendi, ſeu excipiendi, non poteſt, niſi à Iudice Eccleſiaſtico impartiri: & ex tali abſolutione idem Iudex Eccleſiaſticus remanet Iudex in cauſa reſciſſionis contractus: quod tamen non ſeruatur in practica. Quinimo Iudex laicus de validitate abſolutionis cognoſcere poteſt, quando euidenter conſtaret de nullitate, ſeu iniuſtitia: vſque ad *n.* 156.

Cognitio cauſæ matrimonij ad ſolum
38 Epiſcopum ſpectat, etiam inter laicos: quinimò nec in laico compromitti poteſt, ſiue principaliter, ſiuè incidenter agatur: etiam ex capite arbitramenti; vel ad tori ſeparationem ob fornicationem, adulterium, Lepram, vel ex quacunque alia cauſa, etiam Legitimitatis: ſi quæſtio ſit Iuris, ſecùs ſi facti; quia tunc laicus eſſet competens, præcipuè niſi ageretur inter coniuges. vſque ad *num.* 151.

Verùm verò laicus ſimul delinquens
cum Clerico ratione connexitatis poſſit à 39
Iudice Eccleſiaſtico puniri decertatur: ſed communis eſt dari præuentionem. In cæteris verò caſibus, Author loquitur remiſſiuè ad Aufrer. *in tract. de poteſt. ſecul. ſuper Eccleſ. perſont. reg. 2. part. vltim.* & ad alios quam plures.

EX QVÆSTIO. IX.

ARGVMENTVM.

Inquiſitio fama non præcedente quando formari poſſit.

INQVISITIO regulariter fama non præcedente formari non poteſt à quocunque Iudice, ſiuè ſit ordinarius, ſiuè delegatus; & ſiuè procedat ad querelam 1
partis, ſiuè ex officio. Quæ quidem fama debet habere initium à fide dignis, & non maleuolis perſonis; adeo vt inquiſitio nulla ob defectum famæ, non conualidetur, etiã quòd Teſtes in ea producti plenè probarent delictum. Et quod magis eſt, non valet Statutum mandans contra non diffama- 2
tum poſſe inquiri. Talis fama debet eſſe vehemens, clamoroſa, & ſcandaloſa; ſed hæc non requiritur in inquiſitione, quæ formatur ad denunciam publici Officialis: & de generali conſuetudine tandem hoc non ſeruatur: vſque ad *n.* 22.

EX QVÆSTIONE X.

ARGVMENTVM.

Delicta qualiter, & quanto tempore præſcribantur? Quando morte delinquentis extinguantur? quando etiam pœna ex temporis diuturnitate minuatur.

REGVLARITER delicta tam publica,
quàm priuata, ſpatio viginti annorũ 1
præſcribuntur, & aduersùs talem præſcriptionẽ non datur reſtitutio in integrũ: imò Iudex, qui præſcriptione tutum cõdemnat, capitaliter punitur. Falſi crimen tali ſpatie præſcri

præscribitur : Sed hoc fallit. Primò, fauore Ecclesiæ. Secundò, In præscriptione Statutaria, quæ non comprehendit crimen falsi, nisi de eo expresè faciat mentionem. Alij contra, & verius, de mente Authoris; si interuenerit vsus Falsitatis. Tertiò, fallit tandem quoad excipi-
2 endum, & licet verbum *Quicunque* comprehendat omnes casus; attamen *falsi* crimen non comprehenditur sub generali oratione, licèt generalis oratio comprehendat etiam casus priuilegiatos, & speciales: vsque ad *n.* 11.

Delicta etiam occulta quinimò notoria, & confessata, simili spatio præscri-
3 buntur, & præscriptio currit à die delicti, non autem à die scientiæ nisi delictum fuerit taliter occultum, quod per quamcumque diligentem inuestigationem non possit de eo notitia haberi; quia tunc cur-
4 rit à die scientiæ. Adulterium, stuprum, incestus, lenocinium, & alia delicta carnis quinquennio præscribuntur. Sed fallit. Primò, in Adulterio iterato. Secundò, quoad excipiendum. Tertiò, in stupro commisso cum vi. Quartò, in adulterio cum incestu simul. Quintò, quoad pœnam spiritualem, & in foro conscientiæ, & tandem præscriptio non currit post sententiam. Iniuriarum actio prætoria, anno tollitur: Ciuilis autem triginta annis præscribitur, etiam si fuerit præscripta cau-
5 tio de non offendendo. Actio de dolo pariter biennio præscribitur, nec datur restitutio, libelli famosi crimen non anno, sed viginti annorum curriculo tollitur: quidquid alij contrà, firma pro communi: vsque ad *n.* 24.

Statutaria præscriptio minoris tempo-
6 ris quàm legalis valet etiam quoad interesse Ciuile extenditur ad inquirendum, & ad accusandum, si de accusatione expresè loquatur, secus è contrà. Præscriptio iti-
7 dem interrumpitur per querelam, vel per inquisitionem, & tunc à dicta die inchoatur. Non cadit in crimine Hæresis, Læ-
8 sæ-Maiestatis; suppositi partus, Parricidij, Assassinij, Simoniæ, Apostatatus, Concussionis, Abortus, nec in aliis exceptis criminibus. Non currit quoad declarationem pœnæ impositæ. Ipsa debet op-
9 poni, aliàs non prodest. Actio ciuilis ex crimine descendens, durat vsque ad triginta annos, sic & pœna applicata fisco Ecclesiæ Romanæ, pari temporis spatio præscribitur: vsque ad *n.* 34.

Delicta regulariter morte extinguun-
10 tur vnà cum pœna: & ideo ab hæredibus eadem pœna exigi minimè potest, siuè sit corporalis, siuè priuatiua Status, siuè pecuniaria: post mortem enim delinquentis statim extinguitur delictum, siuè sit priuatum, siuè publicum: & siuè in casu, in quo vnus teneatur pro altero, tàm de Iure communi, quàm Statutario.

Excipe crimen Hæresis, de quo quis potest accusari etiam post mortem: quia pœnæ, quæ Hæretico imponuntur, gene-11 raliter quatuor sunt. Prima damnatio memoriæ defuncti: Secunda, excommunicatio etiam mortui: Tertia, impositio pœnæ confiscationis bonorum: Quarta, exhumatio Cadaueris, vt careat Ecclesiastica sepultura: Sed hoc procedit, dummodò constet plenè de Hæresi, nec extenditur ad mortuos fautores, & receptatores Hæreticorum. Crimen Læsæ-Maiestatis similiter morte non extinguitur, si sit commissum contra Principem, vel Rempublicam Romanam: secùs si contra Principes inferiores: vsque ad *n.* 44.

Prælatus successor in dignitate non te-
netur ex delicto sui Antecessoris, nec 12
pœna transit ad fideiussorem mortui delinquentis, quamuis pœna transeat post sententiam ad hæredes, nisi ab ea fuerit appellatum, vel mors secuta sit pendente termino ad appellandum; Sed intelligas, quando pœna confiscationis bonorum, seu pecuniaria venit in consequentiam delicti; secùs si principaliter in sententia fuerit imposita pœna bonorum, quia tunc indistinctè transit post mortem ad hæredes. Et li-
cet morte delinquentis post litem contestatam delictum non extinguatur; hoc intellige, si agatur de delictis priuatis, secùs si de publicis: imò etiam in delictis priuatis si ciuiliter agatur ad pœnam, dummodò contestatio fuerit valida. Sed quidquid
multi multa dicant, contra contumacem 14
contestatio non requiritur, quia ex contumacia resultat confessio ficta, ex qua oritur condemnatio: Contra verò Comparentem contestatio inducitur ex responsione ad interrogationem Iudicis super delicto, eiúsque inquisitione, non autem super processu informatiuo: vsque ad *n.* 55.

Per mortem Rei confessi, vel conui-
cti, pœna delicti transit aduersus eiusdem 15
hæredes, & ab eis exigi potest quælibet pœna pecuniaria, & confiscationis bonorum principaliter imponenda; non autem si veniat in consequentiam delicti tantùm. In crimine verò notorio, hæres pariter te-
netur ex delicto defuncti, & ad eum pœna 16
pecuniaria transit Reo mortuo post sententiam contumacialem; licet confessio ficta morte confitentis soluatur. Qui qui-

17 dem hæres tantùm de eo tenetur, quod ad ipſum peruenerit; quamuis quoad actiones pæualet, & ad actionem Rei perſecutoriam, quæ intentatur ad intereſſe, & ad damna, teneatur de Iure Canonico, non
18 de Ciuili. Hæres ergo non tenetur vltra vires hæreditarias: etiam quod inuentarium non confecerit. Quod extendo ad hæredem Vſurarij, quia cùm duo remedia competant ad vſuras recuperandas, vnum ſcilicet de Iure Ciuili, quod eſt condictio indebiti: alterum de Iure Canonico, quod eſt Iudicis officium: quando hoc vltimum intentatur ad exonerationem animæ Defuncti, hæres non tenetur; ſecus quando primum de Iure Ciuili: vſque ad *n.* 69.

Pœna ipſo Iure impoſita tranſit in hæ-
19 redes, etiam quod non præceſſerit declaratio, dummodo ſit impoſita ipſo Iure: ſic & hæres in crimine furti tenetur, & in crimine peculatus: ſed ſimilis hæres innocentiam Defuncti probare poteſt. Pœna Repetundarum, ſcilicet quando Iudex, durante officio iniuſtè recepit aliquas pecunias, vel Res à ſubditis, & litigantibus: tranſit in hæredes, quoad pœnam bono-
20 rum. Amplia in crimine Aſſaſſinij, quoad pecunias receptas ex tali crimine ab hæredibus repetendas, etiam lite non conteſtata: & etiam quando pro pœna delicti cauſatur exceptio: hoc eſt quando delictum opponitur in modum exceptionis: prout ſimiliter, ſi agatur de dolo commiſſo in ipſo contractu, de crimine Apoſtatatus à fide, Deſertionis militiæ, Homicidij ex cauſa ſucceſſionis, & fraudatæ Gabellæ: vſque ad *n.* 76.

Et licèt pœna corporalis morte extin-
21 guatur: tamẽ practicata, & magis communis eſt opinio, quod in delictis atrociſſimis, ad aliorum exemplum, terrorem, Iudici arbitrium ſit, Cadauer delinquentis mortui, & in vita condemnati, ſuſpendi facere. Qui verò ſibi mortem conſciuit, ſiuè tædio vitæ affectus, ſiuè memoriâ ſceleris patrati, non ſuſpenditur. Cæterùm quando memoria defuncti damnari, vel eius bona confiſcari poſſunt, & ſic contra hæredem procedi ad pœnam pecuniariam, hoc effici poteſt & debet intra quinquennium à die mortis defuncti, non autem vltra. Hoc tamen non habet locum in hæreſi, de qua poteſt cognoſci intra quadraginta annos, & omni caſu proceſſus eſt formandus contra memoriam defuncti, & illius hæredes citandi: vſque ad *n.* 83.

Regulariter ex diuturnitate temporis
22 delicti pœna minuenda eſt, & delinquens extra ordinem plectendus. Diuturnitas erit, vel octo, vel ad ſummum decem annorum: quod procedit ſiue delictum ſit momentaneum, & non iterabile, ſiue ſucceſſiuum: & ſiuè delinquens fuerit accuſatus, & proceſſatus, ſiuè non. Alij contrà: ſed firma concluſionem. Diuturnitas verò debet conſiderari à die commiſſi delicti, & iſta verior opinio. Excipe delictum Aſſaſſinij, Hæreſis, Læſæ-Maieſta- 23
tis, Apoſtatatus, Simoniæ, & alia ſimilia, in quibus diuturnitas nihil operatur. Et demum ipſa diuturnitas pœnam minuit, dummodò delinquens poſt commiſſum delictum fuerit bonæ, & laudatę famæ: vbi ergo poſtea in honeſtè viuendo alia commiſerit ſcelera, diuturnitatem non operari diminutionem pœnæ firmiter eſt credendum: vſque ad *n.* 91.

EX QVÆST. XI.

ARGVMENTVM.

Contumax bannitus, & condemnatus quando comparent, ſeù captus, ad ſe excuſandum, defendendum, & ſententiæ executionem impediendum admittatur.

CONTVMAX de Iure communi
non poteſt haberi pro verè confeſ- 1
ſo, prout abſens damnari non poteſt ad pœnam in pœnis relegationis maiorem: præterquam in crimine Læſæ-Maieſtatis, & aliis delictis exceptis. Bona verò contumacis pariter de Iure communi 2
adnotantur: ſed ſi infra annum compareat, illa recuperat: ſecus poſt annum; licèt quoad perſonam etiam lapſo anno audiatur. Sed hodie de generali conſuetudine pro quocunque crimine quis diffinitiuè condemnatur, etiam in pœnam mortis, & confiſcationis bonorum: licèt ſi compareat ante ſententiam, omnia reſoluantur in vim ſimplicis citationis: ſed ſi condemnatus ad manus Curiæ perueniat poſt ſententiam, eadem ſententia, abſque alio proceſſu executioni demandatur. Ex 3
vigore autem Bullarum Summorum Pontificum, condemnatus habet annum ad comparendum; quo elapſo, ſi fuerit captus, ſententia contra eum realiter, & perſonaliter executioni mandabitur. Et licèt bannitus poſt ſententiam audiatur, ſi velit docere de eius innocentia per contrarias probationes. Hoc ſanè intelligendum,

niſi

nisi Statutum, seù lex contrarium disponeret, prout in Statu Ecclesiastico iuxta dispositionem Bullarum : vsque ad *num.* 14.

Positionibus non respondens, licet habeatur pro confesso, admittitur tamen ad probandum contra hanc fictam confessionem: & ita sententia lata ex præsumptiuis, & priuilegiatis probationibus nunquam transit in iudicatum, ac potest ex fortioribus probationibus retractari, quia exceptio innocentiæ nunquam à Statuto sublata censetur, & Iudex tenetur eam inquirere. 4

Sententia verò lata ex falsis probationibus, retractatur ope restitutionis, sed quia bannum, quod hodie contumacibus datur est mortale, sententia non potest per eumdem Iudicem retractari, etiam quod ei postea constet de innocentia : sed Princeps est consulendus: vsque ad *n.* 12. 5

Et quamuis exceptio innocentiæ nec à Statuto, nec à Principe excludatur, nisi ratione publicæ vtilitatis ; vnde contumax condemnari non possit, nisi præcedant plenæ probationes de delicto, secundum Ius Commune ; non tamen hoc sequitur ex constitutionibus Pontificum, secundum quas sufficiunt indicia, dummodo sint legitima, hoc est sufficientia ad transmittendum inquisitionem : quoniam si secus, sententia non erit exequenda, sed vel pœna commutanda, vel Reus torquendus, vel absoluendus : sed quando torquetur, moderatè quidem torquendus est. Bannitus verò de consciis potest interrogari, & super isto, si illos neget, torturam infligi sine præiudicio sententiæ. Quod sanè intelligendum, dummodò adsint indicia de complicibus, ac dummodo tortura sit admodum leuis, non excessiua : vsque ad *n.* 19. 6 7

Iudex non potest damnare contumacem, vbi constat de eius innocentia, eo minus contra ipsum exequi sententiam, quæ antequam exequutioni detur contra Bannitum, debet fieri recognitio eiusdem, ac ipse fateri se esse eiusdem nominis, & cognominis ; nec non ille idem, qui de maleficio arguitur, & est descriptus in banno. Eóque fortiùs, si in inquisitione, & banno fuerit erratum in nomine, cognomine, Patria, seu aliqua demonstratione, tunc enim, licet sustineatur inquisitio si de identitate corporis inquisiti constet: ad hoc tamen vt constare dicatur, habenda est recognitio illius personæ, eò magis, si plures eiusdem nominis, & cognominis aderant, quia hoc casu constare potest per condemnati confessionem, seù etiam ex citationibus factis domi eiusdem capti, vel in personam eiusdem executis; non tamen dicta citatio sufficeret, nisi alia indicia concurrerent : eliditur tamen per confessionem omnis quæstio: Et licèt Alij contra firma pro communiori : vsque ad *num.* 25. 8 9

Minor regulariter, nec Contumax reddi, nec banniri potest, nisi sit in vero dolo : & sicut excusatur in delicto ab omittendo, ita non comprehenditur in Statuto contra Ius commune, & quod punit factum de Iure communi non punibile: sed in Statu Ecclesiastico per constitutionem Pij IV. minor ætas viginti annorum, dum tamen maior quatuordecim, habetur pro maiore : & ex Bulla Pij V. Generaliter extenditur ad quæcunque delicta : vsque ad *num.* 33. 10

Bannum quod nullum est, exequi non potest : & nullum dicitur, si fuerit latum ex præcedenti nulla inquisitione, vel nisi sint seruati termini soliti, aut sit latum sine citatione, quæ hoc casu debet esse trina ; vnica non sufficit: ipsiúsque banni copia debet dimitti, quæ contineat tenorem inquisitionis, & fiat personaliter, vel saltem domi. Vagabundus hoc casu citatur ad valuas Curiæ, ibi dimissâ copiâ : sic pariter citantur forenses. Sed Iudex, licèt non possit contra bannitum captum exequi sententiam, aut nullam, aut notoriè iniquam : nullum tamen absoluere nequit, nisi à Principe sit admissus ad nouas defensiones. 11 12

Potest bene bannitus captus opponere exceptiones, quas si à principio opposuisset, non subisset iudicium : ex quo infans, furiosus, vel alter qui poterat impunè delinquere, si fuerit bannitus, & condemnatus, contra eum sententia lata non est exequenda. Sic exceptio, quæ incontinenti offertur probari, impedit executionem : vsque ad *num.* 62. 13

Bannum datum à Iudice incompetenti est nullum, & exequi non potest, quare non immeritò capto condemnato, adhuc dandus est terminus ad se defendendum, vt tanquam contumax excusetur, si habuit iustam causam non comparendi, seù aliquod aliud impedimentum. Iustáque causa erit absentia 14

tempore citationis, Infirmitas, Carceratio, seù Citatio ad locum non tutum, ratione inimicorum capitalium ibi existentium vel
15 Iudicis minarum, & sæuitiæ, quæ probatur per famam. Sed in proposito aduertevt tunc demum iusta causa excuset, quando Reus miserit Procuratorem, seù excusatorem ad docendum in actis causam impedimenti, nec non de hoc protestetur, quia protestatio ad hunc effectum admodum est necessaria, & quatenus impedimenta sint notoria, Probatione non indigent; si secus, probari debent per excusatorem. Verius tamen est, quod etiam prædictis non executis, adhuc tamen si condemnatus venerit in *fortiis* Curiæ, possit nihilominus impedimentum allegare, & probare, eoque probato Iudex aduersus sententiam restituere debet, saltem consulto Principe. Sic firma, & tene menti: quidquid Alij contra: vsque ad
16 *num.* 60.

Sententiam latam à Iudice vnius territorij non potest exequi Iudex alterius, si territoria sint sub diuersis Principibus; verum si eidem Principi sint subiecta, absque alia requisitione potest exequi. Et licet multi velint, vt ad hoc sit necesse Iudices esse sub eodem Præside, in Statu Ecclesiastico id non practicatur, & indistinctè vnus Iudex potest exequi sententias capitales alterius, cum sufficiat locos esse subiectos Sedi Apostolicæ, vigore Bullarum Iulij II. Leonis X. Clementis VIII. Pij IV. & Pij V. Sed adhuc non debet exequi, nisi viso, quod sententia sit lata ritè, & præcedentibus legitimis indiciis, & sic habito, & viso processu, quoniam si contineret pœna vltra condignum, etiam
17 non esset exequenda: vsque ad *n.* 62.

Bannum afficit condemnatum quoad delictum principale, non quoad qualitates delicti, & admissus ad sui faciendas nouas defensiones, auditur in probatione innocentiæ: verùm solus Princeps sic admittit, & quatenus per Iudicem ex officio (quod
18 nunquam facere debet) admitteretur, si absolutus esset, vtique valeret absolutio. Sic admissus non auditur, nisi refectis expensis contumacialibus, & hæc sola contumacia, & bannum facit indicium ad torturam, nisi talis comparens, & admissus esset minor, aut ageretur de banno dato à diuerso Iudice in viro bonæ famæ in sententia nulla, quando Contumax fuit impeditus comparere, seu quando Comparens eneruasset omnes fisci probationes, siue eidem à Principe fuisset remissa contumacia. Et licet fama bona tollat omnia indicia, non tollit indicia specialia delicti, sed tantum indicia malæ famæ: vsque ad *num.* 77.

Quidquid sit de Iure; de generali consuetudine, si Reus admissus ad nouas defensiones, si post annum compareat, etiam quod absoluatur, bona confiscata non recuperat: Benè verum est, quod si compareat ante sententiam, tunc sine dubio per simplicem comparitionem, non expectatâ aliâ absolutione, bona adnotata recuperat; sed non releuatur, licèt admissus ad nouas defensiones, ab onere probandi suam innocentiam: quod si non effecerit, sententia executioni dabitur: quidquid Alij contrà; quinimò etiam si compareat post primum bannum, quando per Iudicem fuit declaratus confessus, vel si habitus à Statuto: vsque ad *n.* 102. 19

Et generaliter bannitus tenetur probare suam innocentiam, quando sententia fuit 20
lata ex plenis præcedentibus probationibus, vel ex indiciis indubitatis; non autem si compareret ante terminum banni, seu quando Princeps expressè remisisset contumaciam. Testes verò contra Contumacem examinati, ipso post sententiam comparente, repeti debent: & in proposito, vtrùm bannum, & contumacia operentur quoad pœnam criminalem, seu etiam cumulatiuè ad damna, & interesse partis? decertantibus opinionibus, distingue affirmatiuè procedere quando condemnatio restitutionis emanat ex eodem Statuto, seu lege: negatiuè quando procedit è con- 21
tra. Et tandem dicas, quod licet admissus ad nouas defensiones, debeat suam innocentiam probare; non tamen fiscus potest aliis nouis probationibus eiusdem Rei delictum detegere. Author contrariam opinionem fouet, & sic practicari indistinctè fatetur: quare & ego sic firmo pro veritate.

LAVS DEO.

SVCCVS

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.
PROSPERI FARINACII.
PARS SECVNDA.
EX
LIBRO PRIMO, TITVLO SECVNDO, QVÆSTIONE XII. DE ACCVSATIONE.

ARGVMENTVM.

Ad accusandum quæ personæ admittantur, & quæ repellantur.

AD materiam accusationis, licet essent multa generalia præmittenda, tamen quia hæc alibi videri possunt, & præsertim penès Clar. §. *fin. quæst.* 12. & *plurib. seq.* & apud Decian. *Tract. Crim. Lib.* 3. *cap.* 1. 2. hic non repetuntur. Et pariter, licet videatur superfluum & inutile, quærere quinam ad accusandum admittantur? cùm hodie de generali consuetudine, etiam nemine accusante, possit procedi in quocunque delicto, ergo multò magis inhabili accusatore intercedente; attamen in illis locis, vbi, cessante consuetudine, seruatur Ius commune, vel in quibus adsunt Statuta, quod Iudex ex officio non possit procedere, valde vtile erit: vsque ad *n.* 4. 1

Et licet in querela non requiratur ille solemnis libellus, & subscriptio ad pœnam Talionis; debet tamen continere nomen querelantis, & querelati; Iudicis, & commissi Criminis, quibus loco, anno, & mense patratum fuerit, ac diem datæ querelæ: quibus deficientibus, vbi Ius commune seruatur, circumscripta consuetudine non valet. Regula ergo sit, quod in priuatis delictis non admittuntur ad accusandum, nisi ij, qui suum, vel suorum iniuriam prosequuntur; in publicis autem quemlibet permittitur accusare, quinimò, & in priuatis, quando fisco pœna applicatur: vsque ad *n.* 9. 2 3

Filius familias in Criminali Iudicio, tàm agendo, quàm se defendendo, potest sine Patris consensu comparere; Clericus verò, licet ad publicam vindictam accusare non possit, tamen ad persequendum suam propriam, vel Ecclesiæ suæ offensam admittitur, nisi veniat imponenda pœna sanguinis, aliàs efficeretur irregularis: & quamuis à principio protestaretur; attamen, si pœna mortis, vel mutilationis membri imponeretur, seu super hoc testificaretur, irregularitatem non effugeret. Laicus ad accusandum Clericum, siuè ciuiliter, siuè criminaliter agatur, quamuis esset Patronus Ecclesiæ, non admittitur, nisi in criminibus exceptis, aut in dilapidatione bonorum Ecclesiæ, vel nisi esset publicus denunciator. Milites nostri temporis non repelluntur, sic & Minores, dummodo maiores annorum quatuordecim. Mulier autem, licet ab accusando repellatur principaliter, attamen admittitur ad sui, vel suorum prosequendam iniuriam: & propterea Ius accusandi super necemariti defuncti illi non denegatur, extendendo ad alios nouem casus scilicet. Primò, in Crimine Læsæ-Maiestatis. Secundò, in Crimine Annonæ. Tertiò, in accusatione suspecti Tutoris. Quartò, in accusatione falsi testamenti. Quintò, in crimine Hæresis. Sextò, in crimine sacrilegij. Septimò, in crimine Simoniæ. Octauò, in dilapidatione bonorum Ecclesiæ. Nonò, in Commatre, 4 5 6 7

matre, quæ accusare potest occisorem Compatris sui: vsque ad *num.* 16.

Infamis infamia facti repellitur ab
8 accusando de Iure Canonico, secus de Iure Ciuili, infamis verò infamia Iuris, nullo Iure accusare potest, nisi quando sui, vel suorum iniuriam prosequatur, vel nisi versemur in criminibus exceptis. Criminosus, nondum accu-
9 satus, seu diffamatus, de Iure Ciuili non repellitur; secùs de Iure Canonico: de quo, nec etiam constitutus in peccato mortali admittitur. Sed Criminosus simpliciter accusatus, cuius nomen adhuc inter Reos receptum non sit, potest indistinctè accusare: Sic & condemnatus, nisi per condemnationem incurrat infamiam, ac pariter inquisitus de crimine post absolutionem obtentã.
10 Socius criminis in delictis tãtummodo exceptis admittitur; Excommunicatus verò ex vtroque Iure generaliter, & indistinctè reiicitur, dummodò sit excommunicatus excommunicatione maiori.
11 Inimicus de Iure Canonico in totum repellitur, de Iure Ciuili suspectus tantùm reputatur; Indistinctè non admittitur, etiam in atrocissimis, præterquam in crimine hæresis stricto modo sumpto. Extende, quamuis sit inimicus de recenti reconciliatus, & non solum inimicus meus, sed etiam Amicus inimici mei, dummodò assiduè cum eo versetur, & cohabitet. Sic & Pauper, quando non habeat in bonis quinquaginta
12 aureos, vel non sit bonæ famæ. Ad accusandum alieno nomine, nemo pariter admittitur: Sic & sanguine coniunctus, eius sanguine coniuctum accusare non potest, præterquam in leuibus, vel quando suam, vel suorum iniuriam prosequitur: vsque ad *num.* 53.

Et generaliter limitando supradictas conclusiones, vtique non procedunt, quando pars non opponit, imò de in-
13 inhabilitate debet excipi ante litis contestationem; nisi inhabilitas proueniat à Iure gentium, vel naturali, quia tunc etiam post litis contestationem, quandocunque opponitur. Iudex ex officio repellit omninò, & prorsus
14 inhabiles, vt putà Iudæum, Hæreticum, Infamem, & similes, qui repelluntur odio ipsius personæ. Sic & admittuntur generaliter, quando suorum, vel propriam iniuriam prosequan-
15 tur. Decertatur in proposito, quando quis dicatur suorum iniuriam prosequi, sed certum est, suorum appellatione consanguineos non venire, nisi vsque ad quartum gradum; vel ad summum vsque ad Sextum, vltra quem reputantur pro extraneis: sed in præmissis vide latiùs Decian. *p.* 1. *Lib.* 3 *pertot.* & præcipuè *cap.* 4.

EX QVÆST. XIII.

ARGVMENTVM.

Quis præferatur ad accusandum super nece Defuncti, & prosequendo suorum iniuriam.

IVs accusandi super nece defuncti competit consanguineis proximioribus exclusis remotioribus: ex 1
quo, primo loco filij præferuntur in accusando, & transigendo, quamuis ab hæreditate paterna abstinuerint: ea ratione, quia scilicet in eis adhuc remanet existentia suitatis. Et in tantum 2
Ius accusandi competit proximioribus, vt licèt hæres teneatur mortem defuncti vindicare, & non vindicando eius priuetur hæreditate; si tamen cum dicto hærede concurrat consanguineus, iste præferendus, etiam quod non sit hæres; & hoc casu hæres non accusans, non per hoc hæreditate priuatur. Ne 3
intelligas quando diximus, hæredem teneri mortem Defuncti vindicare, hæc esse effecturum cum armis: sibi enim hoc tantum licet viâ Iuris, accusando; & hodie pœna priuationis recessit ab Aula, cùm videatur esse delictum in omittendo: ex quo Minor excusatur, & effectus Maior non tenetur: prout generaliter, quando hæres super nece defuncti accusat, si ex defectu probationum succumbat, sententiam contrariam reportet, non tenetur appellare, imò nec accusare, nisi certò sciat quis sit Reus, & delictum possit probare: vsque ad *num.* 12.

Ad accusandum Defuncti necem, vltra proximiores, admittuntur Affi- 4
nes: sed in hoc tria tempora sunt aduertenda. Primum, quando iniuria est facta ante affinitatem contractam. Secundum, quando affinitate contracta, & durante. Tertium, quando post dissolutam affinitatem. In primo casu, 5
Affines ius accusandi non habent. In secundo, non competit. In tertio, Ius neque vindicandi, neque accusandi datur.

datur. Vxor verò super nece Viri non
6 solum in accusando præfertur hæredibus, & Consanguineis, sed etiam in faciendo pacem, & transigendo super eadem nece : quinimò volunt aliqui etiam præferri filiis in pace facienda; quod est dubitabile : licèt Vir, si agatur de morte vxoris, præferatur filiis etiam communibus : sed verius est, etiam filios concurrere debere. Quod tamen de vxore dictum est, non procedit in vxore transeunte ad secunda vota, & in vidua luxuriosè viuente. Quanquam vxor binuba prælationem non amittit, nisi quoad filios ; nec etiam quoad hos, si nupserit de licentia occisi, vel filiorum. Comparet, & filius spiritualis ad inuicem super eorum nece ac-
7 cusare possunt. Monachus verò vtrùm admittatur, necnè, dubium est, sed resolutiuè dicas, quod ante factam professionem possit accusare, transigere, ac
8 pacem facere, tam de injuriâ sibi illatâ, quàm etiam suis ; secùs post professionem emissam. Sic Monacho interfecto, vel iniuriato, requirenda est pax ab ipso Monasterio, vel & Monacho offenso, cumulatiuè : nec ipse absque Monasterio pacem facere potest. Similiter Episcopus, pro iniuria illata Ecclesiæ, non potest absque consensu
9 Capituli transigere. Et hoc vnum specialiter nota, quod si iniuria sit facta Patri Monachi, Monachus desuper non admittitur ad faciendam pacem, sed hoc Ius remanet penès alios filios offensi, quibus deficientibus pariter Monacho excluso, restat Ius penès Monasterium : vsque ad *num.* 26.

Concurrentibus consanguineis in pari gradu ad accusandum admittuntur
10 in Solidum : sed primo loco præfertur magis Coniunctus, aut sanguine aut familiaritate : sic & amici quoque defuncti, & ad accusandum, & ad faciendum pacem super nece Amici defuncti, dummodo strictissimè sint amici: ea ratione, quia amicitia, & coniunctiò
11 æquiparantur : filij autem Adoptiui, & eorum Adoptiuus Pater, nec accusandi Ius, nec vindicandi habent, nisi ageretur de filio adoptato, seu arrogato ab aliquo ex ascendentibus. Minores viginti quinque annis non admittuntur, nisi cum Tutoris authoritate. Quod multo magis procedit in Posthumo, pro quo dum est in ventre, nec Tutor ad-
12 mittitur. Spirij autem, illegitimi, seu Bastardi, quando admittantur, forma has Conclusiones. Primò, quod Ius accusandi spuriis non competat, ex publico scorto natis. Secundò, quod nec competat Adulterinis, & Incestuosis, nisi Patrem certum habeant, & tanquam talem nominent. Tertiò, quod nec spuriorum, Patrem non recognoscentium, filij legitimi admittantur. Quartò, quod tales spurij admittantur tanquam extranei, & cæteris extraneis præferantur. Quod, admittantur ad accusandum super nece eorum Matris, super qua etiam pacem facere possint : licèt Alij contrà. Sextò, naturales nati tempore, quo inter Parentes Matrimonium adesse poterat admittuntur, & cæteris præferuntur de communissima opinione. Septimò, quod filij legitimi possint facere pacem super nece eorum Patris in omnibus casibus, in quibus ipsi possunt accusare. Et licet in omnibus præmissis opiniones Patrum decertentur ; ità resolue, ac vide Authorem, obiectis respondentem, & bene hanc materiam disputantem : vsque ad *num.* 75.

EX QVÆST. XIV.

ARGVMENTVM.

Pax à quibus habenda sit, stante Statuto, quod pacem habens, mitius puniatur.

PROXIMIORES Defuncti in ter-
minis propositis Ius transigendi, 1
seu pacem faciendi retinere dicuntur: at si eodem gradu sint plures occisi proximiores, sufficit pacem habere à Maiori eorum parte : quod non procedit, quando Statutum mandaret, quod pace habitâ delinquens prorsus pœnam euaderet, tunc enim ab omnibus proximioribus est habenda, si Statutum id mandaret occasione pacis habitæ, tunc, licèt non possit in totum pœnam adimi, potest tamen illa minui, & reduci ad pecuniariam. Tunc demum valet pax habita à maiori parte consanguineorum in eodem gradu existentium, minori parte contradicente, quando omnes simul ad ineundam pacem in aliquo loco fuerint congregati, & conuocati ; secùs si separatim, & particulariter pax huiusmodi data fuerit: quia tunc non valet: etiam quòd

fuerit

2 fuerit habita à maiori parte. Quando verò lucrum ex pace proueniens sit æqualiter commune omnibus proximioribus, valet pax habita à maiori parte, secus quando ipsorum Paciscentium maior pars tibi tan-
3 tum detulisset. Sed si essemus in casu plurium hæredum, vtrùm omnes concurrere debeant ad paciscendum, an vnus, vel maior pars requiratur? variæ sunt opiniones: verior tamen illa est de mente Authoris, nempe quod sufficiat habita à maiori parte concurrentibus requisitis, quæ in consanguineis, & dummodo maior pars non distinguatur respectu numeri personarum, sed quotæ hæreditatis, in qua succedunt: vsque ad *n.* 18.

In tantum verò pax debet haberi à pro-
4 ximioribus, vt etiam eam facere possint, etiam si non sint hæredes: ideóque Statuto requirente pacem ab hæredibus Defuncti, intelligendum est de hærede sanguinis, non bonorum: & dato, quod concurrant, hæredes extranei, & consanguinei; non extranei, sed consanguinei sunt præferendi: & id verius, & æquius; licet
5 Alij contra. Feminæ autem, si sint proximiores, & ad faciendam pacem admittantur, & ab his habita, absque dubio valida est; etiam in casu Statuti excludentis fœminas à successione: quidquid Alij contra. Sed exstantibus Masculis in pari gradu, præferuntur fœminis, nisi fœmina sit hæres Consanguinei occisi: vsque ad *num.* 23.

Pax habita à vulnerato, ante mortem, non valet, secutâ morte ex vulnere: nisi ratificetur post mortem à Consanguineis eiusdem. Ratio est, quia pax habita à vulnerato, non trahitur ad causam mortis, nisi vulnus esset mortale: præcipuè quando Statutum requireret pacem ab hæredibus. Verùm quando vulneratus
7 dedisset pacem cum clausula, Etiam si mors sequeretur, valet, nec est reiteranda: prout etiam valeret, si constituisset Procuratorem ad eam ineundam post mortem. Sed quidquid sit de Iure: Contrarium seruatur de consuetudine, secundum quam pax habita à Defuncto non admittitur, nisi ratificata à Consanguineis, & hæredibus: sed circumscripta consuetudine, valeret, habita vt *suprà*: etiam Statuto disponente, quod ab hæredibus habeatur: vsque ad *n.* 33.

Pax habita à Patre pro iniuria facta filio, ipso filio viuente, & eo inuicto, valet de
8 Iure: sed de cõsuetudine, præcipuè in atrocibus, & iniuriis personalibus, non valet: sic, & habita à filio sine Patris consensu, nihil offendenti prodest in casu Statuti minuentis pœnam propter pacem: licèt secùs sit, quoad odium, & rancorem, quem solus filius, etiam inuito Patre remittere potest. Quando verò iniuria sit illata ab aliqua coniuncta personæ ipsius filij, tunc Pater eam remittere nequit: 9
ideo, si filius sit emancipatus, aut aliàs non sufficit, nisi accedat consensus filij: Quapropter Mater non habet Ius faciendi pacem pro filio. Et tandem similiter, quando Pater esset vilis, abiectæque conditionis, filius autem aliquo titulo decoratus; vel si Pater esset furiosus, vel absens, aut ageretur de iniuria filio facta, ob violationem thori, aliauè graui; Pax habita à solo Patre non sufficere. In vxoricidio facto à Patre, non prodest pax habita à filiis eiusdem vxoris, nisi habeatur à filiis ipsius mulieris, ex altero. Matrimonio: & istis deficientibus, à consanguineis ipsius vxoris: licet Alij contra; sed firma pro veriori: vsque ad *num.* 49.

EX QVÆST. XV.

ARGVMENTVM.

Pax habita à minore, seu ab eius Tutore, & Curatore, quando valeat.

INFANS pacem facere non potest, neque ipse solus, neque cum interuentu Tutoris: maior verò infante, 1
potest cum authoritate Tutoris, vel Curatoris: vbi ergo minor non potest facere pacem, nec etiam potest alicui pro eo facienti consentire: Sed quia pax semper est minori vtilis, etiam quod in ea remittantur damna, & interesse, & quamuis Tutor 2
pro habenda pace donet res Pupilli, ideo minor potest facere pacem, etiam sine statutariis solemnitatibus, cùm istæ non requirantur, etiam quod Statutum loquatur de renunciationibus, seu remissionibus: ex eo quia Statutum requirens solemnitates in contractibus minorum, non extenditur ad vtiles contractus: vsque ad *num.* 24.

Mulier Tutrix potest dare pacem, filiorum nomine, sine statutariis solemnitati 3
bus: adeo vt, nec minor restituatur aduersus pacem, etiam quoad damna, & interesse: quia restitutio sine læsione non datur: & in pace læsio non consideratur. Tu- 4
tor ergo potest semper facere pacem pro Pupillo, quia illi semper expedit; quinimò

pax

pax facta à minore, sine Tutoris interuentu, dummodo sit iurata, valet. Sic, & facta ab impubere, præuio Iuramento; Iuramentum enim firmat Minoris Contractum inualidum, interueniente tamen
5 Iudicis Decreto. Ex quo Minor ob ruptam pacem punitur, tanquam pacis Violator, si eam rumpat in maiori ætate: secùs si in minori: vel si pax esset nulla: nullum enim quid esse, & non esse, æquiparantur: & nullum quod est, rumpi non dicitur, ergo quod nullum est, non facit committere pœnam, quia pœna adiecta in contractu nullo, eo irrito, euanescit.
6 Tutor verò licèt non possit bona pupilli donare, fauore tamen pacis, cum Iudicis Decreto, hoc sibi est permissum. Et pro Pupillo pacem facere potest tam cum certo, quàm cum incerto Patris occisore: & licèt ante confectum Inuentarium, & decretam administrationem bona Pupilli administrare nequeat, attamen potest facere pacem, cùm vtilia, & quæ dilationem non recipiunt, facere possit. Sic quando Tutor, siue Pupilli Curator specialis pro eo facit pacem vtilem, putà quando ob Aduersarij potentiam inimicitia esset periculosa, valida est: secus si pacem damnosam, seu ignominiosam. Sed in practica, hæc distinctio non admittitur: semper enim pax præsumitur vtilis, nunquam damnosa, seu ignominiosa, & sic seruatur: vsque ad *n.* 63.

EX QVÆST. XVI.

ARGVMENTVM.

Accusator falsus quando, & quomodo puniatur.

REGVLA sit (omissis disputationibus habitis in præmissa materia) de eius authoritate loquendo, quod Ca-
1 lumniatus, seu falsus Accusator extra ordinem Iudicis arbitrio puniendus sit, nec non ad damna, expensas, & interesse, per Accusatum passa, condemnari debeat; & vigore Bullæ Pij V. *in Bullario p. 2. fol. mihi* 426. per calumniam accusans, ad pœnam Talionis teneatur: licet hæc pœna hodie sit sublata, & eius loco successerit pœna extraordinaria.

Extende regulam ad eum, qui accusationem non probauit, vel ab ea destitit, qui in expensis condemnatur, nisi vltra querelam, aliud nihil Curiæ subministrauerit: secus, si aliqua iudicia ex quibus iusta causa oriatur.

Extende iterum ad Instigatorem, Sollicitatorem, fisco adhærentem: vel vt Alij 2
dicunt, Promotorem: quos de calumnia teneri, & vti tales ad damna, expensas, & interesse, ac etiam Sullionatus crimine, extraordinaria pœna Iudicis arbitrio plectendos fore. Quod procedit in quolibet 3
ministrante Testes contra inquisitum; licet fuerit protestatus, nolle facere partes Accusatoris.

Restringe ad publicum Denunciatorem, seu ad Sydacum Maleficiorum, qui non tenetur probare accusationem, sed tantum Testes verisimiliter informatos inducere: Quare, vbi quis non ex necessitate Officij, sed spontè ad denunciandum, siuè in actis iudicialiter, siuè extra iudicialiter ad aures Iudicis accederet, vt sunt Exploratores, siuè spiæ, qui, siuè sint in præsumpta, siuè in vera calumnia, semper sunt condemnandi, nisi iusta causa eos moueat ad denunciandum: & interueniente vera calumnia, extraordinariè condemnantur, iuxta casum, & personarum qualitates: vsque ad *n.* 18.

Fiscus, seu Procurator fiscalis, qui indebitè aliquem vexat vel per calumniam 4
instigat Iudicem ad inquirendum; nedum tenetur actione iniuriarum ad damna, expensas, & interesse de suo proprio resarcienda, sed etiam concremari debet: ex *L. vniuersi*, *C. vbi Cauſ. fiſc.* sed hæc pœna ignis hodie non seruatur: verùm si adsit dolus, seu fraus, extra ordinem punitur. Prout pariter sic plectitur Iudex, affectatè, & per calumniam procedens. Quo verò ad Accusatorem calumnioſum; 5
condemnandum esse, vt *suprà*: nec non Iudicis Officio mercenario in eadem sententia, in qua accusatus absoluitur: quinimò etiam per viam principalis actionis, & contrariæ accusationis, post sententiã prolatam, & terminatum principale negotium, & habito sufficienti iudicio, ad capturam potest procedi, & ad torturam deueniri. Hæc autem non sibi vindicant locum, quando Accusator iustam causam habuit, 6
& id Iudicis arbitrio remittitur, considerato processu, actis causæ, aliisque circumstantiis. Et tandem ex semiplena probatione tollitur calumniæ præsumptio, & calumniæ pœna euitatur, nisi iste calumniator calumniari consueuisset, vel Reus ad sui defensionem in totum elideret, semiplenam probationem Accusatoris. Quod tamen intellige, dummodo tempore accusationis, contraria illa Rei probatio fuisset Accusatori nota, aliter secus: vsque ad *num.* 48.

Excusatur similiter Accusator ille, qui à Testibus deceptus fuit, qui scilicet promiserant se in causa plenum testimonium laturos, post modum verò nihil deposuerunt,
7 Sic & ille, qui ratione sanguinis, & immenso dolore ad accusandum mouetur: vt putà, si Parentes de morte filij, vel è cõtra: vir de morte Vxoris, vel adulterio, & iis similibus: istis enim casibus si succubuerint, non puniũtur, nisi essent in vera calumnia.

Extende ad delicta atrocia; & ad Mulierem, propter sexus imbecillitatem: & ad eum, qui accusationem suam probauit per Testes inhabiles; & ad illum, qui pro sua accusatione habuit occisi relationem. Excusat etiam Accusati diffamatio, & magis generaliter, quæcunque iudicia, vel ad torquendum sufficientia, aut saltem ad inquirendum. Et licet generaliter quælibet causa, etiam bestialis, fatua, temeraria, ac iniusta excuset à dolo; id tantum locum habet in delictis extra iudicialibus, secus in iudicialibus, prout est delictum calumniæ, in quo requiritur semper iusta causa. Et denique ista iusta causa excusat, quando Accusator aliquo modo scit Accusantem deliquisse, secus è contrà: præcipuæ quando ageretur de delicto in se commisso: quia tunc, cùm non possit de eo ignorantiam prætendere, à præsumpta calumnia non excusatur. Imò fama, iudicia, præsumptio, semiplena probatio, Principis rescriptum, & alia similis causa non excusat, quando Accusator sciens quem non deliquisse, illum tamen temerè de delicto accusauit: vsque ad *finem*. 8 9

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.
PROSPERI FARINACII
PARS TERTIA.
EX
LIBRO PRIMO, TITVLO TERTIO, QVÆST. XVII. DE DELICTIS ET POENIS.

ARGVMENTVM.

Quanta sit Iudicis Potestas in pœnis arbitrandis,

PRÆMISSA per Authorem disputatione arbitrij Iudicis, continuando nostram
1 Succi extorculationem: Regula vera & Communis est, quod in imponendis pœnis, Iudex habet à Iure concessum arbitrium, illas iuxta delictorum qualitates, & circumstantias minuendi, augendi, & immutandi, nedum in pœnis Legalibus, sed etiam Statutariis; & non solum quando Iudex, seu Officialis iurasset seruare Statuta, quia semper censetur excepta authoritas Legis, & Principis; sed etiam in consuetudinariis, minoribus, ordinariis, Maioribus, extraordinariis, Accessoriis, impositis ipso Iure, vel à Statutis continentibus dictiones, *Præcisè, omnimodè*, & similes. Quinimò etiam Iudices, qui super delictis dispensandi facultatem non habent, possunt tamen dictas pœnas augere, seu minuere, siue Iudex procedat per Inquisitionem, siuè per Accusationem, nec ab ista arbitrata, seu commutata pœna datur appellatio. Eòque fortiùs, si Iudex à lege, homine, vel statuto habeat liberum, & absolutum arbitrium, restringendo, quod hoc habeat locum in causis leuioribus, vbi parcum præiudicium infertur; secùs vbi maximè excedatur, quia licèt isto casu prohibita sit appellatio, non tamen prohibetur recursus ad Principem; vsque ad *num*, 83, 2

In

In tantum ergo arbitrium Iudici est delatum, & arbitrando etiam possit pœnam 3
mortis imponere: quinimò etiam in crimine Læsæ-Maiestatis, dummodò delictum sit adeo atrox, vt Iudex ex circumstantiis, & qualitatibus ad sic arbitrandum
animum dispoſuerit. Ex quo licet dantem 4
alapam Officiali in officio existenti, siuè post Syndicatum, puniri debeat, arbitrariè; attamen huic sic percutienti, pœna mortis potest imponi ex arbitrio, si talis Officialis percutiatur ratione Officij, & eius contemplatione: secùs, si ex odio priuato, seu particulari inimicitia. Et in pro-
posita, Officialis percussus non esset Iudex 5
competens de simili iniuria sibi illata, nisi offensa esset notoria; putà facta sedenti pro Tribunali, vel coram Populo, aut etiam coram decem hominibus; tunc enim esset competens, dummodo fuisset illata ratione Officij: sed etiam hoc casu Superior benefaceret, causam delegando.
Quod verò diximus de arbitrandi pœna 6
mortis, hoc sanè intelligendum, quando delictum fuit consummatum, non simpliciter attentatum, seu non secutum; prout, si Statutum imponeret pœnam pecuniariam, & postea Iudicis arbitrio, tunc ista pœna arbitrio remissa, non extenditur ad mortem: præcipuè, si Statutum haberet dictionem, *Plus, & Minus*. vsque ad *n.* 52.

Et generaliter in arbitrandis pœnis, 7
Iudex debet sequi id, quod solitum, & consuetum est; nec à solita, & consueta pœna recedere: & hinc est, quod non posset pœnam mortis arbitrari, quando lex, seu Statutum daret arbitrium moderatiuum. Et generaliter tale arbitrium mi- 8
nuendi, seu augendi pœnas competit Iudicibus Superioribus, non autem Pædaneis, & inferioribus, nisi isti arbitrarentur Consulto Principe. Arbitrium verò in omni casu expendi potest ante, non autem post Sententiam: & sententia debet exprimi causa auctæ, vel minutæ pœnæ, non quidem ad sententiæ validitatem, sed ad sui excusationem, nè teneatur in Syndicatu pro excessu: & tunc sufficit tantum in 9
genere exprimere. Iudex verò delegatus non potest augere, vel minuere pœnas. Et tandem non datur hoc arbitrium, quando Statutum prohibet Iudici, nè pœnam al- 10
teret, vel minuat; seu quando verba Statuti pœnalis diriguntur imperatiuè ad Iudicem; vel quando adesset aliquod aliud Statutum mandans Statutorum verba intelligi ad litteram, & prout iacent: vsque ad *num.* 71.

EX QVÆST. XVIII.

ARGVMENTVM.

Delictum quid, & quotuplex sit? In quo differat à crimine, & maleficio? ex quibus causis pœna augeatur? Quid sit contumacia, & quomodo puniatur.

DELICTVM est nomen generale, differt à crimine, seu maleficio, sicut genus à specie; Delinquere enim idem est, 1
quàm peccare: Aliquando fit dolo malo, & mala intentione, aliquando per ignorantiã. Crimen est illud, quod propriè committitur dolo malo, & praua intentione. Maleficium accipitur pro damno, iniuria, & facinore, non contrahitur nisi cũ dolo, & malo animo: differt à delicto, & à crimine, quia crimen requirit vltra dolum, & malum animum, etiam contentionem. Plenius de iis videre poteris apud Decian *p.* 1. *L.* 1. *& L.* 2. *c.* 3. Aduerte igitur. *Primò*, quod delicta dicuntur etiam maleficia. *Secundò*, quod delictum, crimen, & maleficium confunduntur. *Tertiò*, quod vbi non cadit pœna, ibi non est delictum.

Delicta alia sunt publica, alia priuata: quod valdè vtile est scire; quia in pu- 2
blicis, vnusquisque accusare potest, & ex illis oritur infamia, secus ex priuatis. Omne delictum verò, quod principaliter respicit offensam Dei, dicitur publicum, & 3
vnusquisque de eo potest accusare. Sic, & omne delictum pariter commissum in offensam Principis. Ex quo publica delicta dicũtur *Crimina*: vt Læsæ-Maiestatis, Hæresis, Adulterij, Homicidij, Panicidij, Peculatus, falsi testamenti, Vis publicæ, vel priuatæ, Ambitus, Repetundarũ, Annonæ, falsi instrumenti. Omne delictũ cõmissum 4
in priuatam personam, dicitur priuatũ, nisi *Lege* contrarium caueatur: & in iis tantùm iniuriatus potest accusare, siuè ciuiliter, siuè criminaliter agatur: priuata ergo delicta sunt, crimen iniuriarum, furti, damni, arborum furtim cæsarum, bonorum raptorum, & similium. Verùm de Iure Canonico omnia delicta sunt publica, & in omnibus Iudex ex officio potest procedere; sed vtrùm sit publicum, vel priuatum? est attendenda consuetudo loci: vsque ad *n.* 17.

Delicta alia sunt merè Ecclesiastica, 5
alia merè secularia, alia merè Communia, alia mixta. Merè Ecclesiastica, sunt, quorum cognitio priuatiuè reseruata est Iudicibus Ecclesiasticis etiam, si sint commissa per laicos. Merè secularia quæ si sint commissa à laicis, solum secularis Iudex cognoscit. Communia, quæ commissa à 6
laicis, vterque Iudex cognoscere potest. Ite-

rum delicta quædam sunt nominata, quæ-
7 dam innominata. Nominata, quæ à Iure habent particulare, & determinatum nomen, vt *furtum*, *Adulterium*, & similia.
8 Innominata, quæ præter delictum possunt committi: Ex quo infertur, quod in delictis nominatis, probatis actibus, vnde delicta nomen sumpsêre, probata resultant in genere delicta commissa; secus in delictis innominatis, quia vltra probationes actuum, debent probari qualitates, inferentes ad delictum, aliàs non dicitur delictum pro-
9 batum in genere. Item delicta alia ordinaria dicuntur, alia extraordinaria. Ordinaria, quæ à *lege* certam, & determinatam habent pœnam: Extraordinaria, quæ non habent determinatam pœnam, sed extra-
10 ordinem, Iudicis arbitrio puniuntur. Tandem delicta alia consistunt in committendo, alia in omittẽdo: grauiora quidem sunt ea, quæ committendo fiunt: vsque ad *n.* 22.

Contumacia committitur omittendo,
11 scilicet non comparando: quapropter Contumax mulctari potest, cum ius dicẽtibus, ne eorũ Tribunalia contemnantur, & ipsorum authoritas eludatur, datũ sit illis pœnali iudicio propriam authoritatem tueri. Verùm, licet Contumacia appelletur delictum, non tamen propriè est delictum: &
12 licet Contumax mulctari possit, tamen pœna, & mulcta non debet esse immoderata, & excessiua: quia si talis sit, nulla est: & exceptio nullitatis quandocunque opponi potest, & opposita executionem impedit.
13 Mulcta inde per Iudices arbitrio indici potest iuxta facti, & personarum qualitatem; non tamen arbitratur, de amissione totius causæ, nec valoris eiusdem, eóque minùs de pœna vitæ, vltimi supplicij, pœnæ corporalis, seu confessatorum criminum, aut confiscationis bonorum: & hinc multa insolita, & non consueta de stylo Curiæ dicitur iniusta, quia Iudex debet sequi quod solitum, & consuetum est: vsque ad *n.* 38.

Contumax potest citari ad comparen-
14 dum sub pœna carcerationis, vel bãni: non comparens carcerari, ac etiam banniri. Iudex verò Ecclesiasticus insuper potest cõminare pœnam excõmunicationis, & nisi sufficiat, etiam inuocare Brachium secula-
15 re, at si Contumax Clericus per annum in excommunicatione, & contumacia perstiterit, si fuerit sic redditus Contumax, & excõmunicatus pro causa Criminali, poterit tãquã suspectus de hęresi beneficiis priuari.

Prædicta non procedunt primò, quan-
16 do Contumaces ex aliqua iusta causa, seu impedimento comparere non potuerunt. Secundò, quando fuerint citati ad comparendum in loco nõ tuto, & talis dici potest ex metu Iudicis minantis, Inimicorum, Belli, Pestis, Tempestatis maritimæ, & similium: imò satis est ad hoc qualis qualis timor, quælibet parua causa, quodlibet paruum impedimentum: vsque ad *n.* 44.

Et hinc Contumax non potest mulcta-
ri, nisi præfixo sibi priùs termino ad se de- 17
fendendum, eóque vltra terminum Contumaciæ iterum citato ad allegandum, & dicendum causam quare mulctari non de-
beat. Et demum præceptum debet esse iu- 18
stum, quia iniustum, & absque vlla præcedente suspicione emanatum, nec valet, nec Reus citari potest ad se examini subiiciendum. Ius mulctandi residet penès iurisdi-
ctionem habentem: vnde Arbiter, Procu- 19
rator Cæsaris, Delegatus inferioris Magistratus mulctare non potest: vsque ad *n.* 49.

Extende quod solùm Contumax verus
non autem fictus mulctari potest, ex quo 20
per contumaciam Procuratoris non mulctatur Dominus. Quisnam sit Contumax verus, & quis fictus? vide per Bart. & alios
Scribentes *in L. fin. ff de in integr. restit.* Et 21
tunc demum Contumax mulctari potest, dũmodo in præcepto sit inserta causa, qua monitus, seu citatus requiritur ad comparendum. Ex quo colligitur, vt post formatã inquisitionem, seu accusationẽ, Reus possit moneri ad comparendum pro nonnullis concernentibus interesse causæ, & fisci, etiã sub pœna confessi, & conuicti criminis, aliter non expressa qualitate criminis, ante verò accusationem citari non potest, nisi
sub pœna pecuniaria. Denique mulcta ex 22
causa paupertatis, seu ex quacunque alia potest componi, commutari, seu relaxari, & ab impositione mulctæ indebitæ, & iniustæ datur appellatio: vsque ad *n.* 59.

Delicta alia dicuntur excepta, alia non
excepta. Excepta, quæ sub generali legis 23
dispositione non continentur, sed semper excepta censentur, vt Hæresis, Læsæ-Maiestatis, falsæ monetæ, Simoniæ, fraudatæ Annonæ, fraudati census, Dilapidationis, Sodomiæ, famosi furis, Sacrilegij, Maleficij, & similiũ. Delicta insuper alia dicuntur
læuia, alia grauia, enormia, seu atrocia. Aliqua grauiora, atrociora, & magis enormia. Et demũ aliqua grauissima, atrocissima seu
enormissima. Grauitas, & leuitas delicti, quę 2
dicatur? remittitur Iudicis arbitrio, cognosciturex illius qualitatibus, & circũstantiis, ratione persõę, offensę, armorũ, partis corporis Læsæ, causæ, loci, tẽporis, & euentus.

Infertur ergo *Primò*, delictum mali
exempli, tanquam pernicioſius Reipublicæ, grauius reputari. Secundò, Delictum de nocte commissum, itidem grauius, quàm commissum de die. Tertiò,

delictum

delictum clam cõmissum quam cõmissum palã: & magis clãdestinũ, quàm publicum. Sed in hoc distingue, aut agitur de causa
26 delicti, & sic de animo delinquentis, aut de euentu ipsius delicti: si de animo delinquentis, iterùm distingue; aut sumus in iis, quæ sunt de genere prohibitorum, aut in iis, quæ sunt de genere permissorum, sed aliquando prohibitorum: Primò casu, non magis delinquit qui clam delinquit, quàm qui palam delinquit, & omnes puniuntur pœna naturali delicti commissi: Secundo verò casu magis dicitur delinquere, qui clam, quàm qui palam delinquit. Infertur quartò, quod delin-
27 quens per hypochrisim, faciens malum sub specie boni magis delinquit, quàm qui nulla fictione peccat. Infertur Quintò, quod delinquens, seu accidens proditoriè, magis delinquit, quàm qui non prodito-
28 riè. Et in proposito proditorius homicida dicitur is, qui hominem veneno necat vel qui eum occidit, qui suus inimicus non est, seu qui homicidium illud committit in quo tripliciter proditio consideratur, scilicet, prodendo Principem, vel Rempulicam, socium, vel Amicum, seu susceptum in fide.

Primò, igitur Proditor est, qui propter timorem tacet, & veritatem non defendit.
29 *Secundò*, qui alterius crimen sibi solùm notum, & málitiosè detegit. *Tertiò*, qui proximum circumuenit, & callidè seducit vt illum in periculum salutis trahat. *Quartò*, qui fraterna discordia infectus, iura charitatis, & veritatis, spernit. *Quintò*, qui secretum sibi commissum publicat. *Sextò*, qui vnum fingit se publicè facere, & aliud secretò gerit. *Septimò*, qui facit contra fidem datam. Octauò, qui dum se amicum ostendit, postea damnum, iniuriam, vel machinationem infert. *Nonò*, qui se ad hostes transfert, vel litteras eis mittit in damnum Rei publicæ, vel Domini sui. *Decimò*, qui infamat Dominum suum, vel aliquid contra eius honorem facit. *Vndecimò*, qui arcem, vel fortalitium suæ fidei commissum hostibus tradit. *Duodecimò*, Vassallus, vel Subditus permittens in Terram sui Domini venire ipsius Domini Inimicum. *Decimotertiò*, Iudex, qui iustitiam pro pecunia barattauit: vsque ad *num.* 80.

Consuetudo delinquendi est consideraba-
30 bilis qualitas, aggrauans delictum, & delinquentem, vt grauiùs puniatur: licet grauitas, seu leuitas delicti cognoscatur ex qualitate pœnæ, illi à Iure impositæ. Verùm quæ sint grauia, vel leuia, resolutiuè dicas, Iudicis arbitrio remitti. Omnia verò 31
delicta commissa sine dolo, sed vel ex temeritate, vel ex culpa, reputantur leuia, prout è contrà, commissa cum dolo, & appensatè, dicuntur grauia. Graue reputatur vulnus in facie illatum, ex quo perpetua remansura sit Cicatrix: eóque gra- 32
uius, si inferatur in Mulierem, præsertim non nuptam: & quamuis talium cicatricum regulariter non fiat æstimatio, attamen in muliere, & ex circumstantiis æstimari possunt: & eò magis generaliter, si offendatur oculus, impediendo, vel tollendo virtutem visiuam: quia hoc casu incurritur etiam Irregularitas, quæ pariter incurritur per enormem læsionem: vsque ad *num.* 101.

De Iure Canonico illa dicuntur enormia, & sic grauia, & atrocia delicta, quæ 33
post peractam pœnitentiam dispensare non consueuit Ecclesia, sed semper aliquid remanet de pœna, quod impedit Ordinis Clericalis executionem, & beneficiorum retentionem; prout est Homicidium, Hæresis, Simonia, Duellum; Mutilatio membri, os capitis factum, Magna sanguinis effusio, & similia: de quibus *in c. miror 50. distinct. 50. in cap. si quis omne, 1. quæst. 1. & cap. erga 1. q. 1. cap. at si Clerici, extr. de iudic.* prout etiam sunt omnia, perquæ delinquens infamiam incurrit, vt sunt delicta carnis: vsque ad *n.* 103.

Delicta tandem alia sunt notoria, alia occulta, & difficilis probationis. Notoria, 34
quæ aliqua tergiuersatione cælari non possunt. Occulta, & difficilis probationis; quorum probatio à communiter accidentibus, non faciliter haberi potest: prout sunt dolus, fraus, Simulatio Contractus, falsitas, Partus suppositus, Incendium, Adulterium, Simonia, Sodomia, Furtum, Tractatus de homicidio, Matrimonium clandestinum, Tortura, occultatio seu laceratio scripturarum, Delicta nocturna, & alia, de quibus infra *q. 86.*

EX QVÆST. XIX.

ARGVMENTVM.

De multiplici pœnarum distinctione genere, & materia.

PŒNÆ aliquæ sunt corporales, aliquę incorporales: & ex Corporalibus 1
alię sunt capitales, alię nõ capitales. Pœna capitalis alia est mortis naturalis, & vltimi

ſupplicij; alia mortis Ciuilis, alia deportationis, ſeu relegationis. Quando Statutum, vel Iudicis ſenſentia mentionem facit de pœna capitali, in dubio, pro Communiori, intelligitur ſemper de perpetuo exilio; ſed ſi imponatur pro delicto, in quo de Iure intret pœna mortis naturalis, de morte naturali intelligitur. Sic, & quando pœna capitis impoſita eſt, vna cum pœna publicationis bonorum; & pariter, quando lex, vel Statutum in aliquibus caſibus expreſſit pœnam *mortis*, & poſtea ſubſequendo in alio, nominet pœnam *capitis*, tam de Iure Ciuili, quàm Canonico pœna *capitis*, non eſt mortis naturalis, ſed tantum amiſſionis dignitatis, & depoſitionis: vſque ad *n.* 8.

2 Pœna gladij, ſeu ferri, vltimi, nouiſſimi, vel amariſſimi ſupplicij, laquei, ſuſpendij, vel furcæ, intelligitur de morte naturali: & eſt cæteris aliis ignominioſior. Pœna *mortis*, de Iure Canonico intelligitur pœna *excommunicationis*: quia pœna mortis naturalis non infligitur. In diſpoſitione verò hominis, appellatione *mortis*, venit mors naturalis: loco pœna damnationis in metallum, ſucceſſit pœnæ Triremium: loco pœnæ Deportationis, & Relegationis, ſucceſſit pœna exilij, quæ capitalis eſt. Bannum noſtri temporis, ſecundum communem loquendi vſum, nil aliud dici poteſt, quàm eiectio à publico bono, & Ciuitate. Aliquando imponitur perpetuum; aliquando temporale; & aliquando ad bene placitum: & hæc pœna non ſolum capitalis; ſed etiam ab effectu, corporalis dicitur: vſque ad *n.* 18.

3 Damnatio ad Beſtias, pœna ignis, præcipitationis à ſaxo Tarpeio receſſerunt ab Aula, & illorum loco ſucceſſit pœna arbitraria. Verùm pœna ignis, quæ etiam hodie in atrociſſimis eſt in vſu, imponitur, & comburuntur Rei falſæ monetæ, Transfugæ ad hoſtes, Reuelator conſiliorum Principis, qui facultatem de predationis, Barbaris, in Romanos dederit, Sacrilegi, ſerui qui cum Domina rem veneream habuerunt, vel ſaluti Domini ſui inſidiati ſunt, Aruſpices; Incendiarij; Iudæi, qui cum ſaxis, vel alio modo auſi fuerint inſurgere contra illum, qui baprizabatur, vel voluerit baptizari; Notarij, qui falſum conficiunt Inſtrumentum immunitatis; Sodomiæ, Hæretici.

4 Membrum, ſtrictè intelligendo, licet dicatur à *metior metiris*, ſumitur pro illa parte corporis, quæ habet certum officium deputatum, & quæ in corpore noſtro diſtinctam habet operationem: vnde digitus propriè non poteſt dici corporis membrum, & conſequenter Statutum puniens abſcindentem membrum, non habet locum in abſcindente digitum. Verùm pœna amputationis membri, impoſita à Statuto, vel in ſententia à Iudice, non expreſſo membro quod amputari debeat, licèt varij varia, reſolutiuè dicas, reſpiciendum eſſe delictum, pro quo talis pœna impoſita ſit: Si enim delictum eſt commiſſum de ambulando intelligitur, de pede: ſi loquendo, de lingua: ſi ſcribendo, de manu dextera: ſed ſi delictum cum omni membro committi poſſit, arbitrio Iudicis remittitur; quod ſic intelligendum eſt, vt ſemper minuat.

Et ex hoc infertur, quod ſi ſic condemnatus, eſſet maximus Pictor, vel Muſicus; loco manus, linguæ, vel oculorum, poſſit impetrare, vt pes ſibi amputaretur, tanquam minoris præiudicij. Vbi autem amputationis membri imponenda ſit, manus ſcilicet, pedis, vel oculi, de Iure Communi; Author loquitur remiſſiuè: & quoad amputationem manus dicit, imponendam eſſe. *Primò*, Notario fabricanti falſa inſtrumenta. *Secundò*, frangentibus pacem. *Sertiò*, exactoribus Tributorum, qui illicita, præter ſibi debita, excutiunt, & non deſcribunt. *Quartò*, ſeruo deprehenſo, & fugienti ad hoſtes. *Quintò*, tenenti libros Hæreticos, & eos non concremanti: & apud nos pœna amputationis manus imponitur Reis, qui atrocia delicta cum manibus ſuis committunt, arbitris Prudentis, & ſeueri Iudicis. Sed quando pœna amputationis manus Lege, ſeu Statuto decernitur, non diſtinguendo de quali manu, intelligitur de manu ſiniſtra, ſi delinquens erat *dexter*, & de dextera ſi delinquens è contra erat *ſiniſter*. Hoc Author non admittit, imò dicit eſſe amputandum membrum, cum quo quis deliquit, & *in fine* dat cautelam, vt Princeps hac de re conſulatur. Verùm ſi Reus vnam tantùm manum habeat, vel ſi duas, vna tamen ſit arida, vel inutilis, quæ manus ſit amputanda, hinc inde opiniones decertant; verùm reſolutiuè dicas, in contingenti caſu, Principem eſſe conſulendum: vſque ad *n.* 28.

Pœna fuſtigationis, pœna mitræ, vel pœna berlinæ, hodie frequentes ſunt, & licet non ſint capitales, infamiã inferunt, & æqui parãtur morti. Fuſtigatio magis afficit corpus quã pœna mitræ, & forſan magis infamat: ex quo hodie imponi ſolet furibus, Mariolis, Inciſoribus burſarum, Truffatoribus, Teſtibus falſis, Blaſphematoribus, 5

matoribus, & similibus facinorosis, vilibus, & Infamibus personis. Pœna torturæ frequens est, & sæpissimè pro leuibus delictis imponitur: videlicet pro ludo, armorum delatione, & similibus, viles personæ torquentur in publico, honestæ vero, secretò. Pœna perpetui carceris, licet de Iure Ciuili videatur sublata, ne perpetua seruitus inducatur, attamen ex consuetudine practicatur: & licet Iudices Ecclesiastici, si condemnarent ad carcerem pestiferum, seu mali aëris, Irregulares euaderent, attamen aliquos reperire est, qui absque huius, Irregularitatis metu, crudeliùs quam par sit id practicantur: vsque ad *num.* 31.

Pœna indignationis Principis incurritur per eos, qui Principis mandatis, & 6
præceptis non parent: eorum pœna est arbitraria, vsque ad mortem inclusiuè. Crimen Stellionatus cadit, vbicunque deficit titulus criminis carentis proprio 7
nomine, quia dicitur delictum continens in se diuersa, & distincta facta, cuius pœna est arbitraria; & genericè habent locum in quocunque actu facto cum dolo in alterius præiudicium, dummodo dolus sit in committendo, secus in omittendo. Hæc pœna est subsidiaria: quia vbicumque dolus commissus in aliquo contractu, possit purgari actione de dolo Ciuili, cessat accusatio criminis: vsque ad *n.* 37.

De Iure Canonico etiam multæ pœnæ 8
inuentæ sunt, quarum prima est Excommunicationis, & succedit loco *mortis*, vt *suprà* diximus. Hæc pœna duplex est, scilicet Maior, & Minor, Maior excludit à perceptione Sacramentorum, & à Communione fidelium: Minor excludit tantum à perceptione Sacramentorum: & licet per variationem causæ materialis, varietur effectus, tamen semper est eadem, scilicet separatio à Communione, & Sacramentis tam actiuè, quàm passiuè. Dupliciter infligitur, vno modo, seruatâ formâ *cap.* 1. *de sent. Excommunicat. in* 6. Aliò modo seruatâ formâ *cap. debet*, 11. *quæst.* 3. vt scilicet debeant stare duodecim Sacerdotes coram Episcopo, qui lucernas ardentes in manibus teneant, & in conclusione Excommunicationis istas in terra proiicientes, pedibus conculcent, postea Epistolam Excommunicatorum, nomina continentem per Parochias destinent: & hæc, propriè dicitur *Anathema*, & Mucro Episcopalis. Iterum Excommunicatio aliquando fertur ab homine, & aliquando à Canone vt in *cap. si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. & per Gloss. in *cap. eos*, *de sent. Excommunic. in* 6. & in *Clementin. Pastoralis*, *eod. tit.* Ab Homine fertur sententia propter contumaciam, vt in *cap. nemo Episcopariam*, 11. *quæst.* 3. & in *cap. de illicita*, 24. *quæst.* 3. *& capite nemo*, 2. *quæst.* 1. *cap. illud*, *distinct.* 42. Verùm quando hæc sententia ferri possit ab homine propter crimina? adeas Foller. *in pract. Crim. Canonic. num.* 140. *fol.* 289.

Pœna priuationis Officij, Dignitatis, 9
vel Beneficij, quæ imponitur per Ecclesiasticos, & quandoque per seculares, vide *infrà*, *secci parte* 2. Et pro nunc facias generalem conclusionem, quod delinquens in Officio, dignitate, seu munere, priuetur Officio. Et isto casu delinquere in Officio quis dicitur, vbicunque fauore, Colore, Authoritate, prætextu, vel contemplatione Officij delinquitur. Hæc verò pœna non incurritur ipso Iure, nisi à Iure sit expressa: & *ipso Iure* dicitur inducta, quando agitur de pœna prohibitiua, respectu Officialis, vel quando verba sunt directa in Partem, & non in Iudicem, & eo ipso Iudex priuatur Officio, statim quod est condemnatus de delicto: vsque ad *n.* 48.

Degradatio duplex est, Vna scilicet 10
actualis, Altera verbalis. Et in genere sumpta, idem est, quod Depositio: quare verbalis Degradatio vel aliud est, quàm perpetua remotio à ministerio Altaris. Actualis verò, quando Clericus per sententiam non solum deponitur, & priuatur Ordinibus Clericalibus, sed etiam actualiter, & personaliter degradatur, exuitur, & spoliatur Ordinibus Ecclesiasticis. Quando autem in Iure, vel in ali- 11
qua constitutione reperitur imposita pœna Degradationis, intelligitur de leuiori, scilicet de Verbali: & vbicunque generaliter de Iure Ciuili imponitur pœna mortis, de Iure Canonico in ipsius locum subrogatur pœna Depositionis.

Pœna Suspensionis de eodem Iure Canonico pariter multùm frequens est, & in duobus præsertim à pœna Depositionis differt. *Primò*, quia illa est perpetua, hæc temporalis. *Secundò*, quia Depositio semper est vniformis, semperque priuat depositum ab administratione Altaris: Suspensio verò non est semper vniformis, nam tot sunt suspensiones, quot sunt actus legitimi.

Pœna pecuniaria hodie est in vsu tam penès Ecclesiasticos, quàm laicos Iudices, quæ ex arbitrio imponitur, & hoc ideo Arbitraria vocatur: vsque ad *num.* 52.

EX QVÆST. XX.

ARGVMENTVM.

In quibus Casibus, & quando pœna mortis inferatur.

POENA mortis primo loco impo-
1 nitur blasphemantibus, si blasphemia iuramento sit annexa: cæteris enim facinoribus detestabilior est: ex lata significatione sapit hæresim: turpissimum est dictum, atrocius homicidio, & quolibet alio peccato nefandius; est enim quasi Periurium Iure diuino pœna mortis dam-
2 natum. Hoc crimen committunt, & pœnam incurrunt generaliter, qui Deo tribuunt quod ei non conuenit, vel ei detrahunt quod conuenit. Tribus modis detrahitur Deo, videlicet. *Primò*, quando derogatur eius Sapientiæ. *Secundò*, quando
3 eius Omnipotentiæ. *Tertiò*, quando eius Iustitiæ. Blasphemare ergo dicitur ille, qui affirmat de Deo falsum, vel de Deo verum negat. Blasphemus insuper est, & tanquam talis punitur qui dicit *Dio non può far quæsto Dio non lo farà mai*: nisi sint de illis, quæ implicant contradictionem. Item ille, qui dicit, *Lo farò al dispetto di Dio*: & hæc quidem inter atroces blasphemias connumeratur. Dicitur & blasphemare ille, qui dixerit *Deum tædeat, Deo displiceat*, si huiusmodi verba sint prolata super facto licito, quod Deo displicere non potest. Non dicitur Blasphemus ille, qui, cum veniat ad verba altercatoria cum altero, dicat *Mi la renderai se ci si apponta sse la nostra Donna*. Ratio est, quia per hæc nihil derrahitur beatitudini, & potestati Beatæ Virgini. Generaliter
4 verò ille dicitur Blasphemus, qui in Deum, vel eius contemptum iniuriosa, Obscæna, & turpia verba profert: sic & ille, qui iurat per Caput, per oculos, per pedes, per Corpus, per Capillos, per iecur, per sanguinem, seu per alia Dei membra, ex quo Deus, Spiritus est: secus si hæc diceret de Christo, seu de eius Matre Virgine Sanctissima: verum si iuraret per membra Christi, quæ in hominibus reputantur pudibunda, diceretur Blasphemus: quod etiam sibi vindicat locum in Blasphemante Beatissimam Virginem, ac etiam Sanctos; licet Blasphemantes in Sanctos non pœna mortis, sed mitiori, vt putà linguæ
5 amputatione sit puniendus. Blasphemans insuper, & regulariter dicitur Hæreticus. Distinguendo tamen, quod duplex sit blasphemia, vna scilicet hæreticalis, alia non. Hæreticalis scilicet, quando per eam derogatur omnipotentiæ diuinæ, vel puritati Beatæ Mariæ Virginis, vel generaliter quando aduersatur veritati Catholicæ. Nõ hæreticalis, quæ imprecatur Deo, Virgini, seu Sanctis aliquod malum: vel quando in eorum contemptum iniuriosa verba proferuntur. Blasphemia hæreticalis, aliquando profertur cum fide, aliquando sine fide. *Sine fide* dicitur prolata ab iis, qui & exteriori verbo, & interiori hæreticaliter blasphemant, vt sunt Iudæi, & cæteri Infideles: *Cum fide*, quando Christianus, & Catholicus sic blasphemat. Blasphemi etiam dicuntur Iudæi, vituperando Fidem Catholicam, de ea turpiter loquendo, seu maledicendo; & hoc casu debent à Iudice seculari puniri: vsque ad *num*....

Pœna mortis imponitur tantùm blas-
phemari consueto: & ex bino actu licet 6
regulariter inducatur consuetudo, attamen in proposito non inducitur, nisi per trinas interpolatas vices. Verùm, si aliquis iusto dolore motus, blasphemauerit, mitiùs punitur: sed ad hoc vt iracundia excusetur, de- 7
bet probari alienatio mentis, proueniens à iustâ causâ: Sic & punitur valdè mitiùs Blasphemans per ebrietatem: Et tandem quidquid sit de Iure nunquam in praxi pro qualicunque atroci blasphemia verbali imponitur pœna mortis, sed tantùm Triremium. Sed vtique pœna mortis imponeretur, facto Blasphemantibus, scilicet percutientibus, deturpantibus, euertentibus per contemptum Imagines Dei, Saluatoris, Virginis, vel Sanctorum: nisi facti qualitas, seu aliqua circumstantia subsit, quæ aliud suadeat, & minuat delictum: vsque ad *n.* 71.

Sortilegium duplici modo describitur:
Primò, quod sit superstitio quædam illuso- 8
ria, & summè noxia, quâ vtitur homo ceù Dæmonis ministerio: vel quod Sortilegus is sit, qui Diabolicam religionem profes-
sus, noxia quæque superstitiosa, aut elu-
soria, Dæmonis instructionè, componit. Sortilegiorum sunt tres species: Diuinatiua scilicet, Amatoria, & Venefica. Diuina-
tiua, per quam Sortilegi futura, & ignota vaticinari conantur. Amatoria, quando 9
sortilegium committitur propter amorem libidinosum, ad flectendum pudicum animum, siuè hominum, siuè Mulierum. Venefica, per quam diuersæ fabricantur & 10
ingeruntur infirmitates, morbi, & calamitates hominibus vel etiam brutis animantibus, ex quibus, vel mors statim

causatur,

causatur, vel corpus maleficiati paulatim conficitur. Sortilegiorum prædictorum duplex est professio, tacita, & expressa. Expressa, quando cum ipso Dæmone est facta expressa professio seu pactio. Tacita, quando promissio, non ipsi Dæmoni facta est, sed alteri Sortilego Magistro, nomine Dæmonis acceptanti. Sortilegiorum quædam sapiunt manifestam hæresim, quædam verò non hæreticalia dicuntur. Hæreticale dicitur, quando imploratur auxilium Dæmonis ad cognoscendum, & faciendum ea, quæ de sui natura scire, aut facere ipse non potest: non hæreticalia, in quibus Dæmon inuocatur ad faciendum, seu cognoscendum ea, quæ facere, & cognoscere potest, diuina virtute non reprimente. Omnia verò sortilegia quæ fiũt à Sortilegis expressæ professionis, sunt hæreticalia, quamuis inuocetur Dæmon; quia talia dicuntur respectu operantis: & indistinctè quando ibidem interueniat aliquis Hæreticus, vel rebaptizetur aliquis puer, vel misceatur Hostia sacrata, & isti, vt hæretici puniendi sunt; siue sortilegia fiant ad amorem, siuè ad præsciendum futura, siuè ad infirmitates inferendum. Non hæreticalia sortilegia exercentes, secundùm consuetudinem extraordinariè puniuntur ad arbitrium, tàm de Iure Ciuili, quàm de Canonico, & siuè Sortilegus sit Clericus, siue Laicus. De Iure verò Canonico puniuntur etiam sortilegia facta ad bonum finem, scilicet ad recuperandam sanitatem, etiam quod in iis immisceantur Sanctæ, & Deuotæ Orationes; eoque fortiùs si adhibeantur characteres, & nomina ignota, schedulæ breues, ligaturæ; hæc enim omnia, & similia, tanquam superstitiosa, licet sine dolo, & ex sola simplicitate, & culpa ignorantiæ, etiam, sed mitiùs, puniuntur.

11 12 13 14 15 16

Sacerdotes causa doloris spoliantes Aras, extinguentes luminaria cõsueta, vel quid simile facientes funeris causâ, honore, & dignitate priuantur, & efficiuntur infames. Sic pariter, si Missas *Defunctorum* celebrent pro viuentibus, causâ inimicitiæ, ad hoc vt illis mortem imprecentur; seu si celebrent Missas superstitiosas, vel super rebus ad sortilegia destinatis; aut vasibus sacris, & vestibus in sortilegiis abutantur: seu celebrando, nefandas, & turpes preces Deo offerant. Incantatores serpentum, qui in incantationibus inuocant præsidium Dæmonum, siuè tacitè, siuè expresè actus superstitiosos agant, de Iure Canonico puniuntur.

17

Astrologi, qui sic futura prædicunt ex certa scientia, quasi quod signa illa, per quæ futura coniectantur, sint causæ rerum, necessitatem imponentes futuris, isto casu sunt hæretici, ac vt hæretici puniendi: Signa enim Cælestia non sunt causæ rerum finales, imponentes necessitatem humanis rebus agendis, aut homini; sed sunt signa quædam indicatiua rerum futurarum, secundum communiter accidentia, per quasdam regulas, & naturam Corporum Cælestium: in quibus plerumque falluntur vel peritissimi Astrologi, & quibus non subiicitur necessariò Natura humana, quin possit illa euitare, & vti libero arbitrio. Si verò isti Astrologi demonstrent, seu prædicent demonstratiuè, præsumptiuè, seu inclinatiuè, non per modum necessitatis, non peccant: quod dic etiam de Chiromanticis, scilicet de eis, qui per lineamenta manus futura, vel præterita se dignoscere profitentur, in quibus pariter seruatur eadem distinctio: & quoad hæc, & cætera id genus, vide *Bullam* Sixti V. *de die quinta Ianuarij* 1585. & eam seruat. Et ex illis, quæ dicta sunt superiùs, Sortilegia non dicuntur hæreticalia, etiam quod in illis misceatur Oleum Sanctum, Reliquiæ Sanctorum, seu Candelæ benedictæ, ac similiter res sacræ, nisi sub nomine Dæmonis conficiantur imagines, perforẽtur, vel comburantur: sed in hisce materiis consule semper Theologos: vsque ad *n.* 113.

18

Vastatores, & incisores vinearum, & arborum, si arbores sint fructiferæ, & quæ radices emiserint, de Iure Communi pœna mortis naturalis puniuntur: verùm hodie de consuetudine est pœna extraordinaria pro qualitate delicti *num.* 113.

19

Violatores sepulchrorum generaliter de Iure communi pœna mortis naturalis plecti debent: sed quia hoc non semper est verum, resolutiuè dicas, *Primò*, Extrahens de sepulchro Cadauer, vel eius ossa, aut reliquias; si humiliot est, vltimo supplicio afficitur: si verò honestior, vel relegatur, vel deportatur. *Secundò*, spoliantes cadauera sepultorum armata manu, more latronum, morte naturali plectuntur; sin secus Iudicis arbitrio: Quod extende

20

ad

ad exuentes Cadauera sepultorum: quidquid Alij contrà. *Tertiò*, Demolitores sepulchrorum, vel ea frangentes, extraordinaria pœna puniuntur. *Quartò*, Arbitrariè puniuntur Offendentes, seu Vulnerantes arbitrariâ pœnâ, veluti Sacrilegi, puniuntur, ac infamiam incurrunt. Sed hæc pœna non habet locum in iis delinquentibus sine dolo: vel nisi quando sepulturæ perpetuæ sunt, sic nec in destruentibus sepulchra hostium, vel Bannitorum, quorum Cadauera sepeliri non possunt, vbi Banniti sint authoritate Principis. Extende ad Violantes sepulchra eorum, qui sepulti sunt contra prohibitionem legis, vt putà, Vsurariorum, Parricidarum, vel seipsos Occidentium. Ex quo licet suspensorum Cadauera regulariter sint sepulturæ tradenda; attamen ex iusta causa ad exemplum, & incutiendum terrorem, aliquando insepulta remanere in loco delicti iubetur. Rapiens verò per vim Cadauera, & impediens ne sepeliantur, arbitrariè punitur: prout & ille, qui impedit sepelici Iudæos. Eadem pœna violati sepulchri tenentur Creditores, sequestrantes Cadauera Debitorum: qui nec etiam possunt impediri, aut vexari pro debito dum infirmantur ad mortem, sub pœna Iuris sui amissionis, etiam si sint debitores ex Instrumento guarentigiato. Et hæc conclusio in tantum procedit, vt si Creditor tempore, quo celebrantur exequiæ Defuncti, hæredes vexet pro *Credito*, omnia acta, & actitata sint nulla, & hoc tempore facta interpellatio Debitoris in mora illum non constituat: vsque ad *num.* 139.

De Iure Ciuili pœna mortis naturalis infligitur Ascendenti de nocte cum scalis
21 ad domum alienam: licet Alij contrà, & vel bannum seu Statutum id disponat. Extende generaliter ad transeuntes super muros Ciuitatis, multóque magis ad rumpentes, vel effodientes eosdem muros, si id fiat eum dolo tempore Belli, & in muris ciuitatis Romæ: vsque ad *n.* 152.

Castrans se ipsum, seu castrari se fa-
22 ciens, nisi id fiat causa infirmitatis, pœna mortis punitur: de hac re latiùs vide *infrà, quæst.* 128.

Transfuga pœna mortis punitur, si fuga
23 fiat ad hostes cum dolo, & effectus fugæ sit consummatus: *n.* 154.

Publicæ pacis Turbator eadem pœna
24 mortis punitur: verùm turbans pacem Ecclesiæ, si est in Dignitate constitutus, illâ orbatur: si Nobilis, bonis omnibus; si ignobilis, fustigatur, & relegatur: quæ pœna extenditur etiam ad auxiliantes, seu fauorem præstantes. Vide in præmissis Iodoc. *in practic. Crimin. cap.* 108. *per totum.*

EX QVÆST. XXI.

ARGVMENTVM.

Delicta notoria quæ sint: & de ordine procedendi contra Reum in flagranti, & notorio crimine repertum.

NOTORIVM ne dum cadit in delictis, sed etiam in Contractibus. Propriè sumptum, differt à manifesto: verùm aliquando æquiuoce refertur ad manifestum, euidens, publicum, notum, indubitatum, & liquidum. E contrà non Notorium dicitur id, quod occultum est: & occulti duæ sunt species. Occultum scilicet simpliciter, & quasi occultum. 1
Notorium in genere sumptum, est Rei, 2
cui adiungitur, valdè plena notitia, inducens indubitatum, & finitam probationem, discussione non egentem. In specie autem sumptum, duplex est, Iuris scilicet, & facti. *Iuris* est probatio finita per 3
medium in Iure facta. Notorium *facti* est finita & communiter indubitata probatio immediata ex natura facti; vel Rei continuæ, vel interpolatæ, aut momentaneæ, se oculis hominum aut maioris Partis ità se exibentis, vt nulla possit tergiuersatione celari, aut negari, vt potè cuius vniuersus Populus, aut maior pars Testis esse possit. Iuris notorij triplex est species, 4
scilicet dispositionis, præsumptionis, & probationis. Notorij facti, pariter triplex est species, scilicet continui, interpolati, & transeuntis. Ad duo verò capita Notorij cognitio redigi potest: primò, quando factum, seu delictum dicatur *Notorium*: Secundò, quomodo procedatur in Notoriis: vsque ad *n.* 14.

Notorium dicitur, quod ex Actis resul- 5
tat: quia acta faciunt rem notoriam, nisi in Actis deducta impugnentur à Parte, saltem coloratè, ita vt dubia reddantur. Hoc tantum intellige de Notorio *Iuris*; secùs de Notorio *facti*: imò nec huiusmodi Notorium venit in materia stricta, & in Statutis. Notorium dicitur, quod 6
ex probatione resultat: quando enim aliquid est iudicialiter probatum, talis probatio non solum inducit Manifestum, sed etiam

etiam Notorium : & nedum in probationibus factis per viam agendi , sed
7 etiam per viam exceptionis. Dicitur etiam id, quod constat ex probatione Testium, & eò magis Instrumentum: siuè dicta Instrumenta habeant execu-
8 tionem paratam , siuè non. Ad hoc autem, vt Instrumentum faciat Notorium, necesse est, vt contra ipsum nihil opponatur, aut incoloratè opponatur: & id generale est, etiam in priuilegiis,& in omni probationum genere, excludi semper notorietatem, vbi per Partis oppositionem redditur dubia.
9 Notorium inducitur ex confessione, dummodo aduersus confessionem, aut nihil, aut incolorate opponatur. Sententia facit Notorium, si sententia tamen lata sit in plenario Iudicio, secus si in summario, dummodò sit diffinitiua; secùs si interlocutoria : & dommodò transitum fecerit in indicatum; secùs si ab ea fuerit appellatum. Illud quoque dicitur Notorium, quod à Iure communi affirmatum est : vbi enim in Iure habemus casum decisum, ibi res dicitur notoria: vsque ad *n.* 37.

Aggrediendo verò Notorium *facti*,
10 dicitur omne id, quod celari non potest, & oculis hominum subiicitur: ex quo in Criminalibus illud dicitur Notorium delictum,quod aliqua tergi versatione negari non potest; quare quod gestum est coram Populo, vel eius maiori Parte : seu quando factum ex sui natura est tale , vt omnes id vel sciant, vel verisimiliter scire possint, tunc illud debet à Iudice reputari notorium , & ideo illud in Notorium transire potest ; quod est non solum facti permanentis , sed etiam
11 momentanei. Verùm declara , quod si factum sit tale, quod respiciat Prouinciam, tunc requiretur quod sit notum toti, vel maiori Parti Prouinciæ: sicsimiliter Ciuitati, si respicit Ciuitatem:
12 si Viciniam, Viciniæ. At si factum sit ita grande, & arduum ità quod verisimile sit illud non transisse in notitiam totius Populi, vel maioris partis, tunc sufficit notitia, & testificatio totius Parochiæ, vel Viciniæ, vbi factum agitur: vsque ad *n.* 46.

Delictum factum in Platea publica,
13 quæ sit capax Populi, vel maioris partis, dicitur notorium : etiam quod non probetur illud fuisse factum coram pluribus ; quia ratione loci hoc præsumitur. Delictum commissum coram decem personis, & de quo decem Testes deponant ex certa scientia, dicitur notorium : secuti coram minori numero. Alij contra Verius est, quod Iudicis arbitrio remittatur, quid Notorium dicatur. Sed ad hoc vt delictum tale dicatur, debet etiam apparere, qualitates eiusdem esse notorias ; scilicet, quod nulla excusatio, seu defensio competat. Alij contrà: vsque ad *n.* 51.

In facto negatiuo non cadit Notorium, nisi id contingat ex confessione 14
partis, vel transeat indirectè. Ad hoc enim, vt Notorium dicatur, non solum requiritur quantitas Adstantium, sed etiam qualitas loci, sic licet quod sit publicus: ex quo ; factum domi, seu de nocte, vel in Villula, vbi minor numerus decem personarum adsit, notorium non dicitur; licèt Iudicis arbitrio remittatur. Regulariter in notoriis 15
ordo Iuris non seruatur. Si versamur in Criminalibus, non est necessarius libellus, nec accusatio, & Iudex tam de Iure Ciuili, quam de Canonico, ex officio procedere potest : quod hodie de consuetudine sibi est concessum. Non requiritur litis cõtestatio, vel Iuramentum calumniæ, seu pœnis alia solemnitas, respiciens ordinationem Iudicij : imò nec requiritur citatio. Alij contrà, & verius. Quando agitur contra absentem, ipse est citandus, quia Reo potest competere aliqua defensio. In crimine notorio possunt negari defensiones, & copiæ indiciorum, si adsit timor scandali, vel ex Actis, & confessione Rei constet, nullam ei competere defensionem, & excusationem, ac super tali Notorio sit secuta Iudicis declaratio. Cum ergo Notorium sit de se probatio 16
probata, & finita, non admittitur probatio in contrarium. Quod intelliga procedere in Notorio facti continui, & permanentis, quod scilicet quotidiè oculis hominum cernitur, & celari, aut negari minimè potest : secus in Notorio facti transeuntis, & momentanei, seu interpolati, vel in Notorio *Iuris* resultante ex sententia, confessionibus, & probationibus : eò magis in Notorio extra locum Iudicij , etiam quod sit facti permanentis , & continui : imò Notorium est plenè probandum, Iuris ordine seruato per Testes, qui debent reddere causam scientiæ, & rationem sufficientem de visu, si agatur de facto Notorio recenti : secus si de antiquo: quia tunc sufficit, quod deponant de fama,

fama, sic & duo Testes sufficiunt, ad Notorium probandum: vsque ad *n.* 112.

17 In Notorio non requiritur sententia solemnis, sed sufficit aliquale Decretũ, quod tamen id sit notorium debet pronunciari, aliàs Iuris ordine non seruato, cõdemnatio sequi non potest. In Notoriis non datur appellatio, tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus, & hoc indistinctè, & generaliter. Verùm hoc non procederet, quãdo ex aliqua causa Notorium offuscaretur, & huius modi causa in appellatione exprimi debet: nam si secùs, non esset admittenda, licèt de Notorio fuisset oppositum penès Acta: prout etiam datur appellatio in Notorio probationis, seu per famam: & licet non possit appellari à sententia diffinitiua super Notoria, attamen appellatur à Declaratoria. In Notoriis insuper, nec Iudex potest dici suspectus, aut recusari, si pro tali delicto Notorio esset pœna determinata à Iure, vel versaretur in notorio facti permanentis: secùs, facti transeuntis: vsque ad *n.* 131.

18 Contra Reum repertum in flagranti crimine procedi potest Iuris ordine non seruato, & ex abrupto: æquiparatur enim quem esse repertum in Notorio, & in flagranti. Quod indistinctè procedit in qui-

19 buscunque delictis. Repertus in flagranti, ab vnoquoque capi potest, & à Iudice condemnari denegatis defensionibus, nisi talis Reus delictum negaret; aut nisi confessio posset habere aliquam excusationem. Quando verò esset periculum in Populo, maioris scandali, & seditionis; quia putà magnis clamoribus Rei reperti

20 in flagranti supplicium non differri idem Populus postularet, excusabitur Iudex (nisi aliàs Populum sedare possit) si negatis defensionibus, Reum statim condemnet, & si Res ita ferat, suspendere faciat: sed in hoc Iudex cautè agat, & si valet, Principem, vel Superiorem consulat. Potest insuper talis in flagranti captus absque

21 aliis iudiciis torqueri; quia & ipso negante, examinari, & confrontari Testes: torquetur enim non ad sciendum delictum, de quo est conuictus; sed ad habendum qualitates, & Complices delicti, si adsint indicia super dictis qualitatibus, & complicibus; & dummodo tortura sit moderata, & leuis.

Ex iis colligitur practica procedendi, vt

22 Reo, qui in flagranti captus prætenditur, ad Iudicem ducto, recipiantur Testes super delicto, & super deprehensione: deinde Reus ipse examinetur, & si fateatur delictum simpliciter, & absque vlla excusatione, non torquetur; sed statim, nullis datis defensionibus, suspenditur, decapitatur, vel aliàs punitur secundum facti, & 23
personarum qualitatem. Si adducat defensionem, seu excusationem, defensiones non denegantur. Si neget, Testes con- 24
frontentur, & si conspiciatur conuictus, pariter defensiones assignentur. Verùm si non sit plenè conuictus, potest absque alio, denegatis defensionibus, ad torturam deueniri. Infligitur pœna absque sententia solemni, non datur appellatio, nisi quoad deuolutiuum, duobus concurrentibus; scilicet, vt plenè constet delictum commissum, & quod fuerit captus in ipso
actu, delicti. In leuibus creditur Birruariis, & Officialibus, nisi alios patiantur 25
defectus, sed de hoc vide latiùs *infrà quæst.* 56. *artic.* 11.

Delictum commissum coram Iudice sedente pro Tribunali, dicitur notorium, 26
& potest puniri sine processu: tutius tamen est recipere probationes, ne illi opponatur in Syndacatu, in quo fortè teneretur, nisi probasset. Quocunque casu requiritur citatio: & licet non detur appellatio, attamen daretur, si pœna esset nimis acerba, & excessiua: vsque ad *n.* 162.

Et tandem intellige, quando Iudex non 27
solum propriis oculis vidit delinquentem, sed etiam quando delictum est commissum coram eo sedente pro Tribunali, vel actum Iustitiæ exercente, & in præsentia aliorum: secùs è contra; quia tunc deberet iudicare secundum Acta, & probata. Et licèt sciret, aliquem non esse culpabilem, posset nihilominus illum condemnare, etiam cum bona conscientia: sed melius esset hoc casu officium deponere, & causam alteri delegare: vsque ad *fin.*

EX QVÆST. XXII.

ARGVMENTVM.

Delicta plura, quando commissa dicantur, & quando vnicâ, vel pluribus pœnis puniantur.

PLVRA delicta, non vnicâ, sed pluribus pœnis plecti debent; siuè 1
sint diuersi generis ex interuallo commissa, siue eodem tempore patrata Quando autem Lex, vel Statutum loquitur in rem, imponendo certam pœnam pro qua- 2
libet alapa, percussione, insultu, &c. Tunc pœna est multiplicanda pro earum quantitate,

3 titate,& numero. Si verò imponat certam pœnam vulneranti, seù percutienti, dicendo putà, pro alapa,pro vulnere,absque dictione; *Quolibet*; tunc, si talia delicta reiterantur eodem tempore, vnica tantum pœna debet imponi. Similiter ex pluribus percussionibusvnico ictu illatis,vt putà, cum bidente, seù alio instrumento bifurcato, licet plura sint vulnera, vnum tantùm reputatur crimen, & pro vnico vulnere imponitur pœna; sed aliquanto grauior: & ista est communissima, & de veritate practicata opinio.

4 In delictis successiuis ex interuallo commissis,& eiusdem generis,vnica imponenda est pœna, quamuis plura sint: vt putà, ex iterata rei furtiuæ contrectatione, seù ex iterato Adulterio, vnicum furtum, & vnicum Adulterium dicitur. Similiter in

5 pluribus delictis diuersi generis eodem tempore commissis, ad vnum, & eumdem finem, & effectum, tunc maius delictum absorbet minus,& vnica tantùm pœna, sed maior imponitur; quapropter si extent tria Statuta, vnum puniens delationem armorum in Centum; aliud, insultum, in aliis Centum, & aliud, vulnus, in bis centum, si quis cum armis insultet, & vulneret, non omnibus dictis pœnis puniendus est, sed tantum in bis centum pro vulnere,cum quo pœna insultus, & armorum confunditur: provt etiam, si adsit Statutum, quod in delictis commissis de nocte, pœna duplicetur; & pariter duplicetur in commissis in platea, quando commissum sit de nocte in platea, semel tantum duplicatur pœna, & non bis de Communi: vsque ad *n.*22.

6 Et licet aliqui teneant prædicta procedere, quando delicta plura tendunt ad eumdem finem necessarium, maioris, seù principalis delicti, quandovè illud maiùs, & principale delictum non poterat committi sine aliis; secùs verò è contrà, quando non tenderent ad eumdem finem, nec necessariò comprehenderentur sub principali delicto: attamen non

7 recedas à proposita declaratione: Et pro vera intelligentia dicas, quod tantùm pœna vnica imponenda augeatur. In pluribus falsitatibus commissis ab aliquo ad eumdem finem, & effectum, vt putà in eo, qui, vt victoriam in vna causa, & contra vnam & eamdem personam, reportaret, plures Testes subornauit, plures partitas alterauit, plura instrumenta falsa confecit, vnica tantum pœna, & non pluribus afficiendus est; secùs nisi ad eumdem finem & effectum; quia tunc pluribus pœnis esset puniendus. Sic & plures iniuriæ eodem tempore, & vnico impetu in aliquem illatæ, vnica tantum reputantur iniuria, & vnica tantum pœna infligitur: Quod extende ad Blasphemantem 8
vnico & eodem tempore, & impetu, licet plures blasphemias pronunciet: vsque ad *num.*29.

Et generaliter conclude, quod quando etiam plura delicta pluribus pœnis puniuntur, id intelligitur de pœnis iterabili- 9
bus, & compatibilibus: quia licet dici soleat, quod quando concurrunt plures pœnæ, vna scilicet maior, putà mortis; & altera minor; incipiendum sit à pœna minori, deinde deueniendum ad maiorem; in praxi non recipitur: & ridiculum esset, aliquem ad fustigationem, seù Triremes condemnare, & postea ad furcas, quia isto casu maior pœna absorbet minorem. Benè verum est, quod ex imma- 10
nitate criminis ante mortem, vel pœnam Triremium, alia pœna imponi potest, vt putà fustigationis, amputationis manus, tanaleationis, & similium. Et denique, 11
licet plura delicta, pluribus puniri debeant pœnis, quando ex eorum multiplicatione multiplicatur, seù augetur interesse Partis offensæ; quando tamen è contrà ex reiteratione prædicta non insurgit nouum ius, nouúmque interesse, vnica tantum imponitur pœna.

EX QVÆST. XXIII.

ARGVMENTVM.

Delicti pœna, quando, & quomodo augeatur propter delinquendi consuetudinem.

DELINQVENDI consuetudo facit, vt Reus grauiùs puniatur, quia geminatio delicti, quamuis Leuis, facit 1
illud maximum & graue reputari. Et quamuis delictum per se non mereatur pœnam corporalem, sed tantum pecu- 2
niariam, attamen sæpiùs commissum, potest pœna mortis Ciuilis vel etiam naturalis puniri, provt dicitur de furto, pro quo, quamuis magno, licet regulariter non imponatur pœna mortis, si tamen reiteratur tertia vice, pro tribus furiis, quamuis non magni momenti, non necessitatiuè, sed protestatiuè pœna mortis potest imponi: id tamen procedit de Iure, non autem de consuetudine, & quæ nun-

quam pro delictis Leuibus reiteratis, pœna mortis imponitur: vsque ad *n.* 8.

Pœna augenda est propter consuetudinem delinquendi, etiam quod de primis delictis, quis fuerit condemnatus: verius tamen est, quod prima delicta debent plenè esse probata, non autem præsumptiua; licèt secus quando agitur de accrescenda pœna in primo delicto, etiamsi de aliis fuerit aggratiatus, quamuis essent præscripta, vel essent commissa in diuersis territoriis, dummodo Reus reperiatur in manibus illius Iudicis, in cuius iurisdictione fuit commissum vltimum delictum. Ratio est, quia priora aggrauant vltimum, non autem posteriora. Et etiamsi prima delicta fuerint impunibilia, vt putà circa offensionem Banniti: imò in terminis propositis, binus actus sufficit, ea ratione, quia quod bis fit, frequenter fieri dicitur: verùm intelligas, quod hæc sola præsumptio consuetudinis, absque aliis adminiculis, cum sit indicium remotum, non sufficit ad torturam: eóque magis, si per triennium steterit non committendo delictum, ac probauerit per triennium se benè vixisse, fuisséque bonæ vocis, conuersationis, & famæ, illa prima mala fama elidetur: nam per Triennij lapsum quis præsumitur de malo effectus bonus, etiam quod non fecerit pœnitentiam, seù occasionem non habuerit: vsque ad *n.* 30.

Præsumptio ex Regula, *semel malus, semper præsumitur malus*, habet tantum locum in eodem genere mali: quoniam licet mala fama in genere faciat iudicium; hoc sanè intelligendum in eodem genere delicti: quamuis negari non possit, quin oriatur aliqua suspicio. Sed ad hoc, vt quis dicatur consuetus delinquere criminosus, malæ famæ, seù diffamatus, ad effectum vt possit acriùs torqueri, vel puniri, necesse est quod fuerit vel confessus, vel conuictus, vel condemnatus. Et insuper minores viginti quinque annorum iteratio delictorum non grauat: sic nec quando prima delicta fuerint Leuia.

Et hoc vnum specialiter nota, quod in pœnis impositis ipso iure, pœna non augeatur propter iterationem delictorum.

***

EX QVÆST. XXIV.

ARGVMENTVM.

Quando Pater teneatur pro delicto filij, & è contrà. Dominus pro delicto famuli. Communitas pro delicto commisso in eius Territorio. Vniuersitas pro delicto commisso ab eius Ciuibus: & generaliter quando valeat Statutum, quòd vnus teneatur pro alio.

REGVLARITER pro vnius delicto, alter puniri non debet; quia pœna suos tenet Authores, nec vltra eos progreditur. Et ideo Pater non tenetur pro delicto filij, siuè agatur de peculio aduentitio, siuè profectitio: Et licèt Alij contrà; Non recedas. 1

Declara tamen hæc non procedere in casibus, vbi Pater non habet vsumfructum in bonis aduentitiis filij. Alij contra, & forsan æquiùs, & veriùs, præcipuè si Pater habeat spem futuri vsusfructus, quamuis esset data filio libera administratio, & potestas alienandi, non enim ob id sequitur, quod possit confiscari, cum Patriæ Potestatis prærogatiua id semper impediat, excepto delicto læsæ-Maiestatis, ex quo etiam peculium aduentitium, quoad proprietatem confiscatur, reseruato Patri vsufructu. Quod etiam intellige de peculio Castrensi, seù quasi. 2

Et in tantum verum est, Patrem non teneri pro delicto filij, vt si is delinquat, nec cogatur soluere condemnationem; ac specialiter in crimine læsæ-Maiestatis, adhuc filio huius delicti Reo viuente: & in confiscatione non venit Legitima, viuente Patre, quamuis post sententiam ipse Pater moriatur, quia tunc illa defertur succedentibus ab intestato: licet Alij contrà, & forsan veriùs. Sed licèt fiscus non possit Patrem cogere ad soluendum Legitimam pro filio delinquente; poterit tamen ipse filius, si pro delicto teneatur in carcere, & inde aliter euadere nequeat, Patrem Iudicis Officio cogere vt sibi Legitimam assignet, vt à carcere redimatur: vsque ad *n.* 25. 3

E contrà, nec filius tenetur pro delicto, Patris, etiam quoad peculium profectitiũ, 4

pæter

5 præterquam in crimine læsæ-Maiestatis, quando Patri non esset imponenda pœna mortis naturalis, vel ciuilis. Quò verò ad
6 vsumfructum, quem habet Pater in aduentitiis bonis ipsius filij, decertantes opiniones fœdere distinctionis concilia. Aut Patris delictum est tale, quod ipse patiatur maximam, vel mediam capitis diminutionem, & consequenter in totum soluatur patria potestas; & tunc, quia cessat nomen Patris, vsusfructúsque dicitur extinctus, & cum proprietate consolidatus, ideo non publicatur, sed ad Filium reuertitur.
7 Si verò delictum non est tale, per quod patria potestas, & nomen Patris aboleatur, ad Fisci commodum, Patre viuente, publicatur.
8 In confiscationibus à Statuto dispositis non comprehenditur Legitima filiorum ipsius delinquentis, quæ non obstante confiscatione, salua remanere debet: Et ista est verior DD. sententia. Æstimatio verò talis
9 Legitimæ est facienda à die confiscationis, & condemnationis. Et quamuis regulariter sit Triens hæreditatis paternæ, quando filij sunt quatuor, aut infra, & dimidia, quando sunt quinque, vel vltra; nihilominus ex publicatis bonis, si Pater habeat vnum, vel duos filios, erit dimidia totius hæreditatis; si autem habeat tres vel plures filios, tunc non sunt bona publicanda, sed tota hæreditas, ex dispositione Adriani Imperatoris, reseruatur: vt *l. fin. §. plures*, iuncta Gloss. *ff. de bon. damnat.* & sic practicari debet de iure communi, nisi alia vigeat consuetudo. Extende ad filios naturales, & spurios, quorum alimenta non veniunt in confiscatione propter Patris delictum: vsque ad *n.* 41.

Quando autem bona materna confiscantur propter matris delictum, tunc filij
10 nihil consequuntur de illius bonis: & hoc indistinctè per DD. approbatur. Similiter nec filij nati post condemnationem, & publicationem bonorum, Legitimam consequuntur ex bonis paternis confiscatis ante eorum conceptionem. In crimine
11 verò hæresis; filij priuantur in totum hæreditate paternæ, etiam quoad Legitimam, quamuis filij sint Catholici, & Or-
11 thodoxi. Dos filiarum non venit in confiscatione bonorum paternorum, sed Fiscus tenetur dotare filias, etiam si confiscatio procedat à crimine læsæ-Maiestatis: vsque ad *n.* 47.

Dominus non tenetur pro delicto sui famuli, quando famulus delinquit extra
12 Officium, in quo à Domino deputatus est; secus è contra: Ex quo, si incendium oriatur in domo culpâ stabularij in stabulo, vel culpâ Coqui in coquina, Dominus vtique tenetur. Et ad hoc, vt Dominus te- 13
neatur pro delicto famuli, commisso in officio in quo deputatus est, non est necesse quod constet de deputatione addictum Officium per scripturam, sed sufficit quòd probetur, ipsum visum fuisse laborantem cum aliis seruis ipsius execratis, imò ipsum famulum fuisse præpositum à Præfecto, quem Dominus tenet in eodem exercitio. Hæc fortius procedunt in publico Officia- 14
li, qui tenetur de delictis commissis per eius Ministros, & familiam: ea ratione, quia quidquid facit familia, dicitur facere de consensu Domini: Et sic Pater tenetur pro filio, qui deliquit in Officio, & munere publico, Patre sciente, assumpto. Verùm generaliter Officialis non tenetur pro delictis familiæ, extra officium commissis, nisi delinquat ex colore, & authoritate Officij: de hac autem re, vide latiùs *infr. q.* 241. Et
casu quo teneatur, non liberatur exhiben- 15
do dictum famulum, quando Officium est priuatum; quia isto casu, datur optio damnum passo contra quem velit experiri: secùs si Officium sit publicum: vide tamen *infrà, q.* 35. *q.* 110. *& q.* 111.

Hæc verò procedunt, quando probetur quod in Officio existens erat bonæ famæ, 16
cognitus, & solitus cum integritate se gerere; verùm ex Bulla Pij IV. contrarium in Notario Statutum reperitur: quia Notarius Dominus Officij tenetur de gestis à suis Coadiutoribus, seù substitutis, quos exhibendo non liberatur; etiam quod ille substitutus fuerit deputatus à Iudice: vel quando Notarij Officij arrendatarij si in eligendo substitutos non fuerint in culpa, quia eligant personam communiter reputatam integram, & fidelem, tunc enim non tenentur. Provt nec etiam tenetur 17
quando famulus fuisset deputatus ab aliquo Superiore: sic enim, licet Capitaneus Carcerum teneatur de culpa suorum subcustodum; non tamen tenetur, si talis subcustos fuerit à Superiore deputatus. Quã- 18
do verò famulus delinquit, eius Dominus tenetur tantùm ciuiliter pro interesse partis, non autem criminaliter. Ex quo, si Dominus aliquid soluat pro damno dato à suis famulis, illud ab eisdem suis famulis repetit, & pro repetitione sibi licet retinere mercedem. Sed si famuli essent improbi, 19
malæ vitæ, & diffamati: tunc, eũ Dominus de eorũ qualitatibus præsumatur informatus, ideo Iudicis arbitrio extrordinem puniri potest. Et eo casu, quo Dominus non teneatur pro delicto famuli, debeo tamen

20 ad instantiam damnum passi, illum exhibere in suis vestibus, si plures habeat, vnà cum omnibus, ad effectum, vt inter eos recognoscatur quod si recuset, tenetur pro eorum delictis, & tanquam de eisdem conuictus, vel confessus condemnari potest. Quod intellige, si habeat commoditatem exhibendi, secùs si aufugerint eo inscio: de qua ignorantia eiusdem statur iumento: vsque ad *n.* 106.

Vniuersitates verè & propriè non potest delinquere: fictè tamen, & aliquo mo-
21 do, quod delinquat per suos Rectores, non est ambigendum: & consequenter potest inquiri de iis, quæ per ipsam expediri, & fieri possunt: vt putà, facere Statuta, imponere collectas, dare iurisdictionem, & similia; & ex hoc potest etiam citari, condemnari, & banniri: quo casu citari debet Syndicus eiusdem Vniuersitatis, seù Communitatis; quem nisi habeat, compellitur vt constituat. Verumtamen cor-
22 poraliter puniri non potest: punitur benè pecuniariè: & si habet vnde soluat, de eius bonis fit solutio: verùm si non habeat, vel habeat insufficientia, collecta est imponenda, quæ tamen tangere non debet absentes, & innocentes, nisi in delictis atrocissimis, in quibus vnus tenetur pro alio, scilicet in delicto læsæ-Maiestatis diuinæ, & humanæ: ex quo potest Ciuitas, vel Vniuersitas criminaliter, seù capitaliter puniri, ipsam diruendo, & aratrum inducendo; talis enim pœna reputatur mors ciuilis: & destructa Ciuitate, certum est, etiam eam amisisse omnia sua priuilegia, ob magnam, quàm patitur, capitis diminutionem. Et in
23 proposito, vltra pœnam aratri, ignis, vel desolationis, potest etiam Vniuersitas, vel Ciuitas delinquens puniri pluribus aliis pœnis: scilicet priuari dignitate Episcopali, quando sc. turbatur electio Papæ, quando interficitur Cardinalis, seu Episcopus illius Ciuitatis, vel quando impeditur In-
24 quisitor hæreticæ prauitatis. Potest etiam puniri amissione priuilegij, & nomine Ciuitatis propter delictum, provt est in Vniuersitate rebelli Romano Pontifici, vel Imperatori: seù resistente Officiali Imperatoris, vel Regis, si eidem resistatur in odium Principis, secus si ob malos mores
25 ipsius Officialis. Si autem Vniuersitas sit rebellis, potest puniri, vt perdat Castra, quæ non recuperat redeundo ad obedientiam: provt, si condemnetur ad destructionem murorum, eos vlteriùs reficere non potest.
26 Sed punita Vniuersitate, seù Ciuitate delinquente, non per hoc impeditur, quin puniantur Ciues, qui verè & realiter illud delictum commiserunt: isto enim casu, Ciuitas, seu Vniuersitas tenetur tanquam Mandans, Ciues autem tanquam Mandatarij: & ob id debent puniri etiam Rectores, & Administratores, qui Consilium & Mandatum dederunt ad delinquendum. Verùm Vniuersitas non dicitur delinquere, nisi præcedat conuocatio Consilij, cõgregatio, & deliberatio: quia etiamsi omnes homines alicuius Ciuitatis, nedum maior pars eorum, irruerint in aliquem, & occiderint, vel aliud commiserint, non communicato consilio, non dicitur Vniuersitas deliquisse, & ideo tantum Particulares, & singulares puniuntur: vsque ad *n.*..,..

Extende etiam in casu, quo delictum sit commissum ad sonum tubæ, vel campanæ, ac etiam vexillo leuato: quia adhuc, nisi 27
præcesserit Consilij conuocatio, cõgregatio, & deliberatio, Vniuersitas nõ tenetur, etiamsi in delicto interuenerint Consules, Syndici, seù Rectores. Et singulariter nota, quod non sufficit probare simpliciter cõ- 28
silij conuocationem, & congregationẽ, nisi etiã probetur, eam legitimè, & solito more factam. Quod tamen intellige de delictis momentaneis, non autem de successiuis, ex quibus prouenit ad Vniuersitatem aliqua vtilitas seu commodum; quia tunc tenetur etiam sine Consilij conuocatione. Et iterum tenetur absque conuocatione 29
Consilij, quando Dominus, seù Officialis alicuius Ciuitatis offenditur: tũc enim nisi Ciues obuient offensioni in quantum possunt, seù nisi resistant, aut defendere negligant, ac conniueant, tenetur Vniuersitas: concurrentibus tamen scientia committendi delicti, & potentia obuiandi, seù resistendi. In dubio verò scientia, & tolerantia non præsumitur, & ideo per Fiscum est probanda. Ex quo infertur, quod Statutum volens Villam, seù Communitatem teneri de robbaria commissa in eius territorio, non habeat locum, quando fuerit cõmissa clam, & noctis tempore: vsque ad *n.* 138. 30

In delictis ratificatio habet vim mandati: ità & in specie Vniuersitas dicitur de- 31
linquere, & punitur de ratificatione delicti commissi per suos Ciues, & homines, etiam quod dictum delictum non sit commissum de ordine, mandato, seù deliberatione ipsius Vniuersitatis: & etiam quòd ratificatio sit tacita, vt putà recipiendo, & retinendo rem, seù rapinam factam ab ipsis Ciuibus, & Vniuersitati traditam, quia per hanc retentionem inducitur actus successiuus. Sed ad hoc, 32
vt Vniuersitas teneatur de ratificatione, duo requiruntur necessaria. Primò, quod

delictum

delictum sit commissum nomine ipsius Vniuersitatis. Secundò, quod Vniuersitas delictum ratificat, tanquam sit ipsius nomine gestum. 33 Et licet Vniuersitas triplex sit, videlicet Studiorum generalium, Ciuitatum, & Castrorum; Vniuersitatis nomen quatenus attinet ad propositam materiam potest verificari, etiam in Collegio, & Capitulo, si Collegia, & Capitula sint magna: secus si parua: vsque ad *num.* 149.

Statutum mandans, vt vnus teneatur pro delicto alterius; si sit conditum cum 34 aliqua rationabili causa, valet, & seruandum est: vt putà, quòd vno de domo, agnatione, vel familia delinquente, alij agnati, vel consortes teneantur: seù volens, quod Coniuncti teneantur dare in manibus Curiæ delinquentes Coniunctos, vel quod puniantur pro delictis suorum Coniunctorum Bannitorum, patratis in Territorio, vel Ciuitate, vel quod Coniuncti proximiores teneantur fideiubere pro Coniunctis Bannitis, ne ingrediantur Ciuitatem; seù quod filius teneatur pro delicto Patris, & è contrà, vel filios mercatorum teneri soluere debita Parentum, seù Patrum teneri pro delicto filij, quatenus est in legitima, & in omni alio peculio profectitio, aduentitio, & Castrensi, provt est Constitutio Marchiæ *lib.* 4. *cap.* 18. quod seruatur in Statu Ec- 35 clesiastico. Intellige tamen, vt Statutum puniens Patrem pro filio, procedat quoad Patres ciues, non autem quoad forenses: ideo si filius alicuius forensis delinquat in loco Statuti, non tenebitur isto casu Pater pro filio: quia Statuta respicientia personam, non comprehendunt, si sint odiosa, homines alterius Territorij. Et 36 licet regulariter delinquens subiaceat pœnis Statutariis illius loci, vbi delinquit, & sic comprehendat forenses, hoc sanè intelligendum quando à Statuto illud punitur, quod de iure communi punibile est: 37 secus è contrà. Et generaliter Statuta pœnalia non extenduntur ad subditos delinquentes extra eorum Territorium, sed est attendendum Statutum loci delicti; etiam si procedatur à Iudice originis, seu domicilij. Singulariter verò, quando filius minor quatuordecim annorum delinquit, tunc Statutum, quod Pater teneatur soluere Legitimam, seù aliam pœnam pecuniariam, non habet locum: provt etiam quando Pater habet plures filios, & bona essent parui valoris, ac vix sufficientia ad alendos filios; tunc enim non intrat confiscatio: sed si bona confiscata sint tanti valoris, vt ex illis dempta Legitima Iure naturæ, & ordinario, sufficiat ad alimenta, nihil amplius dicti filij habere debent quàm ipsam Legitimam, videlicet à quatuor & infrà Trientem: & à quinque, vel vltra, Semissem: & ità declaratum dicitur per Authorem, Romæ, Anno 1605. Quando verò filius de- 38 linquens haberet alios filios, tunc Auus non tenetur soluere Legitimam filij delinquentis, in præiudicium nepotum; etiam stante supradicto statuto: vsque ad *num.* 173.

Ficta confessio ex contumacia resultans non dicitur vera delicti probatio; ex 39 quo, nisi de delicto filij constaret per veras & concludentes probationes, vel per eius veram confessionem, vnus pro altero puniri non posset, vigore cuiusuis Statuti. Verùm quidquid sit de Iure, Pater pro filio tenetur soluere Legitimam, etiam quòd is vi veram contumaciam Bannitus, aut condemnatus fuerit. Benè verum est, 40 quod si Statuta non expressè loquantur de contumacia; sed dicant solùm, quod Pater soluat Legitimam pro condemnatione filij, vel pro filio condemnato, tunc Pater non tenetur soluere pro filio in contumaciam condemnato: secus è contrà: sed si loquatur mixtim, respiciendo, & actum delicti, & actum condemnationis, tunc indistinctè non trahitur ad condemnationem in contumaciam, etiam quod loqueretur non copulatiuè, sed alternatiuè.

Sed quando Pater vigore Statuti tene- 41 tur soluere Legitimam, à quo tempore talis Legitima mensuranda sit? D. D. controuertunt. Tu verò distingue. Si Statuti 42 verba in hoc clara sint, illa attendenda esse nemo dubitat: si verò dubitationem non terminent, tunc iterum distingue; aut Statutum respicit actum delinquendi, & tunc Legitima est commensuranda secundum tempus delicti: si verò respicit actum condemnationis, tunc commensuranda est, secundum tempus condemnationis. Sed aduerte, quod prædicta 43 procedunt, quando Patrimonium Patris est auctum illo medio tempore: quia si sit diminutum, ista diminutio cedit damno fisci. Et sic Statutum mandans Patrem teneri pro delicto filij, vel pœnam soluere, non includit filios naturales, spurios, adoptiuos, & arrogatos; sed tantum legitimos & naturales, quia prædicta Statuta, tanquam odiosa, sunt semper restringenda, ac strictissimè interpretanda: & ideo nec etiam extenduntur ad pœnas corporales: vsque ad *n.* 197.

Statuta, seu constitutiones, quod Ciuitas, vel Villa teneatur de damno dato, furto, incendio, seù rapina commissis in
44 eius Territorio, valent: & in Statu Ecclesiastico habentur *Bullæ Pij V. de Anno* 1566. ex quibus obligantur Communitates totius Status ad reficiendas derobationes in eius Territoriis commissas, nisi capiantur & repræsententur delinquentes: Et si fuerint commissæ in confinio diuersarum Terrarum, adhuc vtraque Villa, seù Ciuitas tenentur. Quinimò vigore *dictarum Bullarum* derobatus, seu damnum passus habet electionem actionis, & contra vnum sibi licet ab actione contra vnam Communitatem intentata discedere, & contra aliam agere.

45 Amplia, quod etiam absentes tempore maleficij tenentur in propositis terminis: quidquid sit de Iure. Et in tantum pro dictis damnis illatis Communitates tenentur, vt si Communitas, vel Villa non probet, quod furtum, seù rapina contigerit, non obstante custodia, præsumatur in culpa, & teneatur vigore *dictarum*
46 *Bullarum*. Verùm hæc non procedunt in damnis illatis clam, furtiuè, & de nocte: nisi Statutum præsumeret damna illata ab illis de Villa, seù Communitate, vel quando vteretur verbis vniuersalibus. Sed
47 quando damnum dantes innotescerent, & essent soluendo, tunc Statutum non habere locum Aliqui dixerunt: Verius tamen est adhuc teneri, sed habere contra malefactorem regressum, & actionem
48 absque vlla cessione iurium. Debet tamen constare de tali damno illato, non per iuramentum damnum passi, etiam quod extet Statutum, quod de damno dato, & rebus furto subtractis stetur iuramento damnum passi contra Communitatem, seù Villam: quia debet intelligi quoad quantitatem damni illati, ac valorem rerum subtractarum, non quoad illationem ipsius damni, & furtum commissum. Po-
49 terit tamen hoc probari per Testes, aliàs inhabiles; vt putà domesticos, familiares, vel socios in itinere, duobus concurrentibus. *Primò*, vt id suadentur ex qualitate personæ, quæ asseritur derobata. *Secundò*, quod pro furto concurrant aliquæ circun-
50 stantiæ, seù coniecturæ. Et tandem, licet standum sit iuramento damnum passi, tamen semper intelligendum est, concurrere legalitate, & qualitate eius, cui iuramentum defertur, & in iis multùm iusti, æquíque Iudicis arbitrio deferendum est.

EX QVÆST. XXV.

ARGVMENTVM.

De Pœna confiscationis Bonorum.

CONFISCATIO bonorum hodie *de Iure nouiss. Auth.* non habet lo-
cum: quia damnatorum bona, non fisco, 1
sed venientibus ab intestato reseruantur: vnde imposita in sententia contra *Auth. bona damnatorum, C. de bon. proscr.* Facit talem sententiam notoriè iniquam, taliter vt nunquam transeat in iudicatum, etiam quod sit lata à Iudice habente liberum & absolutum arbitrium. Hodie verò 2
Confiscatio bonorum non habet locum, nisi in crimine Hæresis, & læsæ Maiestatis: vel quando Statutum, seu Consuetudo illam imponeret. Posset insuper imponi à Præsidibus Prouinciarum, Gubernatoribus Ciuitatum, seù aliis Iudicibus, sine Principis iussu in casu aliàs à Iure prohibito: verùm inducta à Statuto vel Consuetudine strictissimè interpretanda est, & in dubio pro illius exclusione: vsq; ad *n.* 21.

Confiscari non possunt bona prohibita alienati, fideicommisso subiecta, vel expresè per Testatorem alienati prohibita ex causa delicti: licèt Alij contrà. Præci- 3
puè quando Testamentum fuit confirmatum à Principe, vel quando Testator expresè dixerit, se ità prohibere, non causâ fraudandi fiscum, sed conseruandi bona sua in familia. Sic & valet Testamentum, in quo mandatur restitui bona hæredi delinquenti, seu Bannito, in casu restitutionis, & gratiæ: vsque ad *n.* 30.

Item non veniunt confiscanda bona prohibita diuidi ad certum tempus, vel 4
prohibita alienari extra certum genus Personarum: licèt possint confiscari bona Fideicommissaria, durante vita delinquentis, quoad vsum fructum, si Fideicommissum sit factum sub conditione mortis; secus si sit indultum in causa alienationis: præsertim concurrente expressa bonorum alienationis prohibitione. Sic nec etiam confiscari possunt bona Fidei- 5
commissaria quoad Legitimam, & Trebellianicam, quando Testator prohibuit illius alienationem vsque ad certum tempus, vel prohibitio est facta fauore prohibiti tantùm: secùs si fauore alterius principaliter, vel secundariò. Et sicut confis- 6
cari possunt etiam bona prohibita alienari, quando prohibitio est inualida; ità

&

& bona Fideicommissaria, quando Fideicommissum est extinctum. Confiscari enim possunt omnia ea, quæ transeunt
7 ad extraneos hæredes: ergo Emphyteusis Ecclesiastica, quæ ad extraneos non transit, confiscari non potest: imò nec etiam confiscari posset, quando transiret ad extraneos: Et quidquid sit de Iure, opinio hæc est verior, æquior, & magis com-
8 munis. Licèt Alij contrà. Bene verum est, quod à Iudice Ecclesiastico confiscari posset, provt semper confiscanda esset, siuè Emphyteusis prædicta fuerit Ecclesiastica, siuè priuata, quando de sui natura, vel ex pacto, ex tenore inuestituræ transiret ad extraneos. Alij contra, quod ad Ecclesiasticam, & verius: vsque ad *num.* 61.

Bona feudalia cùm non veniant appellatione *bonorum*, & sententia sit stricti
9 Iuris, ideóque strictè interpretanda, confiscari non possunt: eóque minus per delictum Primò geniti in præiudicium secundò geniti, etiam quoad commoditatem, & vsumfructum, durante vita Feu-
10 datarij, & non vltra. Et licet Feudatarius possit ad sui libitum, eius vita durante, commoditatem, & vsumfructum feudi distrahere, confiscari tamen non potest feudum antiquum ex pacto, & prouidentia, non transiturum ad hæredes extra-
11 neos: benè potest confiscari feudum nouum, & ad hæredes extraneos transitorium. Sic & confiscari non potest in præiudicium directi Domini, sed in casu confiscationis illud reuertitur ad Dominum, quando est tale, vt de eo Vassallus disponere non possit, nisi cum licentia
12 ipsius Domini. Verùm si Feudatarius disponere possit in præiudicium filiorum, & Agnatorum, tunc deuoluitur ad ipsum Dominum, non autem ad Agnatos, siuè offensa sit commissa in Dominum, siuè
13 non. Si verò feudum sit antiquum, & tale, quod Vassallus non possit de eo disponere in præiudicium Agnatorum, tunc deuoluitur ad Agnatos, non autem ad Dominum, si officio non respiciat ipsum
14 Dominum. Sed tamen aduerte, quod deuoluitur tantum ad Transuersales vltra quartum gradum: quia intra quartum gradum sunt excluſi, si agatur de feudo informi; at secus, si feudum receptum esset ab Auo, vel à Patre ipsius delinquentis expressè *pro se, & liberis*, vel *pro se, & filiis*, quia tunc admittuntur omnes Agnati indistinctè, & filij ipsius delinquentis, præcipuè in feudo antiquo, & non hæreditario, sed ex pacto, & prouidentia: secus si feudum, licet sit antiquum, sit tamen sii tamen hæreditarium, putà, concessum non filiis, vt filiis, sed vt hæredibus; quia tunc illud deuoluitur Domino, & non dictis filiis, & descendentibus.

Quod verò feudum antiquum deuoluatur Agnatis, excluso Domino, quando offensa non respicit ipsum Dominum: hoc non procederet primò, quando Va- 15
sallus haberet rem cum vxore Domini sui; licèt hoc faceret, non principaliter, vt Dominum offenderet, sed tantum libidinis causâ. Secundò, Quando Vassallus non peteret inuestituram infra annum. Tertiò, Quando requisitus recusasset comitari Imperatorem Romam proficiscentem. Sed si offensa respiciat Dominum, tunc feudum, siuè sit nouum, siuè antiquum, deuoluitur ad ipsum Dominum, non ad Agnatos, nisi ex tenore inuestituræ contrarium suadeatur. Vbicumque tamen deuolutio consideratur, id sanè 16
intelligitur, si de delicto Feudatarij constet per plenas probationes; secus si per eius solam contumaciam. Sic & quando priuatur ob crimen læsæ Maiestatis, in- 17
telligitur de primo capite huius delicti: vsque ad *n.* 94.

Confiscatio non trahitur ad bona sita extra Territorium Confiscantis. Et ad id plenè dignoscendum, formandæ sunt plures Conclusiones: quarum. *Prima* sit, 18
quod quando in diuersis Territoriis bursa fiscalis est vna & eadem, & confiscatio fit vigore Iuris communis, tunc trahitur ad bona sita extra Territorium confiscantis. *Secunda*, quod si bursa fiscalis sit vna & eadem, vnusque & idem Dominus, licet Territoria sint diuersa, & confiscatio fiat non de iure communi, sed de iure speciali Statutorum, tunc non trahitur ad bona extra Territorium sita. Alij contrà. *Tertia*, quando Territoria sunt distincta, sed bursa fiscalis vna ex eadem, vnusque & idem Dominus, & confiscatio fiat de iure speciali, quod vigeat etiam extra Territorium confiscantis Iudicis, & sit commune etiam in loco, vbi bona sita sunt, tunc talis confiscatio trahitur ad bona extra Territorium sita. *Quarta*, si Territoria sint diuersa, & diuersi etiam Domini, bursæque fiscales distinctæ & separatæ, confiscatio non trahitur ad bona extra Territorium confiscantis, quando fit, non de iure communi, sed de iure speciali. *Quinta*, quod confiscatio facta de iure communi trahitur ad bona sita extra Territorium confiscantis, etiam quod Iurisdictiones, & bursæ fiscales sint

19 separatæ, & distinctæ: sed istis casibus talia bona non spectant ad Dominum confiscantem, sed ad Dominum loci, vbi reperiuntur sita, etiam quod essent in loco spectante ad Confiscantem iure directi Dominij: & quamuis confis-
20 catio fieret propter crimen hæresis: licet in confiscatione bonorum facta propter crimen læsæ-Maiestatis commissum à subdito Feudatarij in personam Domini directi, spectent, & applicentur eidem directo Domino: sed si confiscarentur per Dominum directum propter crimen læsæ-Maiestatis, commissum in Feudatarium; ipsi Feudatario applicarentur: provt similiter propter crimen læsæ-Maiestatis, commissum à subdito in personam directi Domini confiscantis; quamuis idem subditus delinquens, talia bona habuerit in feudum, vel Emphyteusim
21 ab ipso Feudatario. Hoc sanè intellecto, quod si bona sint mobilia, applicantur Domino confiscanti; non autem Domino loci, in quo sita sunt: vsque ad *n.* 108.

Confiscatio non trahitur ad nomina debitorum, iura, & actiones; nisi de
22 illis expressa fiat mentio: Ex quo debitor suo creditori soluendo antequam sit condemnatus in confiscationem bonorum, liberatur: sed in hoc vide latiùs Boss. *in tit. Debitores, an delinquenti soluere possit? per tot.*

23 Dos vxoris non confiscatur propter delictum mariti, siue ex delicto læsæ Maiestatis, siuè ex quacunque alia causa. Et è contrà, licèt soluto matrimonio propter vxoris Viduæ delictum dos confiscari possit, attamen, constante matrimonio, minimè confiscatur in præiudicium Viri, præterquam in quinque casibus; scilicet læsæ-Maiestatis, Vis publicæ, Parricidij, Veneficij, & Assassinij, quinimò etiam in dictis casibus quoad lucrum Viro debitum vigore Statuti, non datur confiscatio: vsque ad *n.* 116.

Regulariter nemo confiscationem bonorum impedire potest, nisi de eorum dominio, aut saltem possessione
24 doceat: & ideo Vxor per simplicem hypothecam non impedit confiscationem dotis propter delictum mariti: sed post confiscationem, illam repetit
25 à Fisco. At si in instrumento dotali adesset Clausula *Constituti*; tunc impediret, donec sibi solueretur: sic & quando staret in possessione rei dotalis: cùm sibi liceat pro sua dote ante publicationem bona mariti capere, & retinere. Dotis sola confessio præ-
iudicat etiam Fisco, quando lapsa sunt 26
tempora ad opponendum Exceptionem non numeratæ dotis. Similiter dos quæ Vxori pauperi debetur ex dispositione *Auth. præterea, Cod. vnde Vir, & Vxor*: non venit in confiscatione bonorum propter delictum mariti, etiam quod confiscatio fiat, non de iure communi, sed vigore Statuti: & sicut ex miserationis gratiâ debetur Vxori, sic eidem per maritum non po-
test ex testamento auferri. Confiscatio 27
non trahitur insuper ad bona donata per maritum Vxori: & è contrà; quia sicut similis donatio confirmatur morte donantis, ità dicitur confirmari per mortem ciuilem, adeo vt, nec augmentum possit confiscari ob delictum mariti; quia non trahitur ad bona inter coniuges donata, siuè inter viuos, siuè ex causa mortis, siuè propter nuptias; etiam quod simus in crimine læsæ-Maiestatis, aut facta sit in fraudem Fisci, vel memoria defuncti damnari deberet: vsque ad *n.* 137.

Similiter confiscatio bonorum non trahitur ad bona futura, & acquisita post sententiam: vnde hæreditas de- 28
lata Bannito non acquiritur Fisco, sed venientibus ab intestato, si Bannitus sit incapax successionis: verùm si sit capax, tunc ipsi acquiritur; & post eius mortem, illius hæredibus, aut venientibus ab intestato, non autem Fisco. Extende etiam ad hæreditatem delatam, ante condemnationem, si ante dicam condemnationem non
fuerit adita. Non trahitur ad iura con- 29
ditionalia prouenientia ex vltima voluntate; vel ex contractu, si ex contractu conditio sit protestatiua, de præterito, vel de præsenti: vsque ad *n.* 147.

Alimenta ex Legato non transeunt in Fiscum, etiam in vita condemnati, sic nec vsusfructus. Alij contrà: sed tu 30
fœdere distinctionis concilia, scilicet, quòd aut quærimus, vtrum Reo mortuo vsusfructus, qui erat penès eum, in Fiscum deuenire debeat vigore confiscationis factæ de eius bonis; & conclude negatiuè: aut quærimus, Reo viuente, & eius vita durante; & dic affirmatiuè.

Ius Patronatus regulariter, & pari 31
passu non venit in confiscatione bonorum, etiam quod sit transitorium

ad

ad extraneos hæredes, etiam viuente delinquente, ratione spiritualitatis. Veniret tamen in generali venditione bonorum delinquentis facta per Fiscum, si delinquens esset Dominus alicuius Ciuitatis, Castri, seù Villæ, in quibus tale ius Patronatus haberet: vsque ad *n.* 156.

Ius confiscandi quo tempore præscribatur? quinque sunt DD. principales
32 opiniones. Aliqui dixerunt præscribi quinquennio: Alij spatio quadraginta annorum: Alij triginta: Alij viginti: Alij per decennium. Tu distingue; quod si sumus
33 in confiscatione bonorum facta propter hæresim, non præscribatur nisi spatio quadraginta annorum: si verò extra crimen hæresis, in casu, quo venit confiscatio iure communi, vel Statutario, si publicatio non sit facta, præscribatur quinquennio. Si est facta, & bona sunt confiscata ob vectigal non solutum, ius incorporandi præscribitur quinquennio: si ob aliud delictum, spatio decem annorum cum titulo; si absque titulo, viginti annorum. Sed si Fiscus velit recuperare bona à Tertio Possessore in ipsius fraudem alienata, datur illi quadriennium ad agendum; quia tanto tempore tolluntur, & præscribuntur actiones reuocatoriæ. Et
34 quando adsit præscriptio, aduersus eam non datur Fisco in integrum restitutio: sed in bonis, quæ retinentur ab Ecclesia Romana, si cadat confiscatio, non datur præscriptio nisi centum annorum: vsque ad *num* 169.

Fiscus in bonis sibi quæsitis ex confiscatione, habetur loco hæredis: & ideo de
35 eisdem tenetur satisfacere creditoribus delinquentis: necnon ad Legata, Fideicommissa, ac alia onera hæreditaria, ad quæ ipse delinquens tenebatur: ita vt excussio principalis debitoris sit semper facienda, etiam quod Fiscus dicto debitori
36 successerit. Creditores verò satisfaciendi sunt à Fisco illius loci, in quo dicti creditores contraxerunt; nec possunt remitti ad Fiscum alterius Territorij: at si bona delinquentis in diuersis locis fuerint confiscata, quilibet Fiscus tenetur creditoribus sui Territorij satisfacere, etiam quod dicti creditores habeant generalem hypothecam in omnibus bonis ipsius debitoris delinquentis; quibus creditoribus non potest Fiscus nomen debitoris in solutum dare, seù vnum pro alio soluere. Et dictorum creditorum causæ summariè sunt tractandæ, & sine dilatione expediendæ.
37 Bonis verò debitoris delinquentis confiscatis, liberatur ipse debitor pro parte, & quantitate confiscata: in tantum, quòd creditores non possint amplius contra ipsum debitorem agere: Verumtamen non per hoc liberatur fideiussor. Et in tantum quoad delinquentem vera est Conclusio; vt etiam restitutus per gratiam, ampliùs molestari nequeat, nisi forsan fuisset restitutus, etiam ad bona, tunc enim remaneret obligatus suis creditoribus, nisi cederet bonis per gratiam sibi restitutis. Secuta autem confiscatione, creditores non 38
possunt ampliùs contra Fiscum agere, si in termino ipsis per proclama præfixo fuerint negligentes in petendo eorum credita. Quocunque verò casu, Fiscus etiam 39
non confecto inuentario, non tenetur vltra vires hæreditarias: & licèt teneatur satisfacere creditoribus non tamen tenetur vltra vires bonorum confiscatorum: provt non tenetur ad onera Legati, & Fideicommissi, quando bona alicuius accipit tanquam vacantia: vel quando ipsi deferuntur ex successorio edicto.

Fiscus etiam ex confiscatis bonis debitoris non tenetur soluere illius creditoribus ex delicto, sed tantum creditoribus ex contractu. Verùm si ex eodem delicto, pro quo bona confiscantur, & ex eadem sententia, venit de iure delinquens condemnandus etiam ad interesse Partis offensæ; tunc si concurrant Pars prætendens interesse, & Fiscus pœnam, præferri debet semper Pars pro emenda damni passi: & ità seruari dicit Author.

Non possunt denique creditores impe- 40
dire incorporationem, seù confiscationem: sed illâ secutâ, debēt probare eorum creditum, & illud de manu fisci accipere.
Et è contrà, Fiscus non habet bona de- 41
linquentis hypothecata, seù obligata ante commissum delictum, & inchoatum iudicium criminale; quia tantùm à die latæ sententiæ Fisco acquiritur tanta hypotheca.

EX QVÆST. XXVI.

ARGVMENTVM.

Reus, qui non habet in bonis, an, & quando luat in corpore? seu deficiente pecunia ex paupertate infligatur pœna corporali.

DEBITOR Fisci ex aliquo con- 1
tractu non habens in bonis, & sic impotens ad soluendum, liberatur cedendo

dendo bonis; non sic debitor ex delicto: quia regulariter luet in corpore, etiam quod delictum respiciat solum damnum, & interesse Priuati; dummodo habeat origi-
2 ginem ex delicto. Verùm si aliquis non sit debitor Fisci, nec ex delicto, nec ex contractu; sed debeat ratione alicuius Gabellæ, vel Collectæ, si non sit soluendo, (dummodo non fiat ex fraude, quia tunc adhuc teneretur) admittitur ad cessionem
3 bonorum Sed si delictum esset adeo leue, vt pro eo à principio non possit imponi nisi minima pœna pecuniaria, non militat Regula, *Qui non habet in ære*, &c. quia tantummodò aliquantulùm in carcere detentus liberatur: vsque ad *n.* 11.

Clerici autem, licèt debitores ex causa ciuili, absque cessione bonorum non
4 possunt conueniri nisi in quantum facere possunt, deductis necessariis alimentis.
5 Si verò debitores sint ex causa delicti, poterunt corporaliter puniri à suo Iudice
6 Ecclesiastico. Et Iudex habens merum imperium, bene potest Reum condemnare in pœnam pecuniariam: quâ intra certum tempus non solutâ, corporalem adiungere, & exequi facere. Alij contrà: Sed firma. Et ità practicari in statu Eccle-
7 siastico testatur Author. Verùm si sic condemnatus, licèt sit soluendo, maluerit pœnam corporalem pati, quàm pecuniariam exbursare; Iudex poterit ad soluendum cogere, reiectâ corporali pœnâ. Et
8 si in sententia terminus certus non sit assignatus ad soluendum, intelligitur decem dierum: quibus elapsis, & Reo interpellato, potest Iudex sentẽtiam, pecuniâ non solutâ, corporaliter exequi. Qualis autem esse debeat pœna corporalis in computum pecuniariæ non solutæ? Iudicis arbitrio remittitur. Sed hoc non procedit in Officialibus in Syndicatu pecuniariè condemnatis: qui si non sint soluendo, solùm in carceribus detinentur vsque ad satisfactionem absq; corporalis pœnæ impositione.
9 Et generaliter contra neminem post sententiam purè pecuniariam, corporis afflictiua in computationem adiungitur: sic & mulcta non reducitur ad corporalem pœnam, sed ob inopiã, vel diminuitur, vel remittitur. Quæ supra dicta sunt de simili computatione, tantum vindicant sibi lo- 10
cum in seruis, aut vilibus personis: secùs in Nobilibus, & honestis; ac etiam volente & petente illo, cui pœna pecuniaria venit applicanda; secus eo non petente, vel re- 11
nuente. Et si Reus, pecuniariè condemnatus, non valens soluere, subit pœnam corporalem, adeo liberatur, vt non possit amplius vexari & conueniri, etiam quod postea efficiatur soluendo, vel ad pinguiorem fortunam deueniat: vsque ad *numer.* 26.

Præmissa non procedunt in pœnis descendentibus ex contractu, vel quasi; nec 12
in dolosis, & fraudulentis decoctoribus, qui non fortunæ vitio, sed propria culpa, & dolo in paupertatem deuenerunt; siquidem si remaneant isti debitores in publica pecunia, fraudémque decoctioni adiunxerint, ictibus plumborum subiiciuntur: si verò Priuatorum debitores remaneant, vltra infamiæ notam, & priuationem Officij Mercaturæ in posterum, Stellionatus crimine Iudicis arbitrio extraordinariè puniuntur: sicut puniuntur ij, qui scientes se non esse soluendo, iactitant se esse diuites, & plura contrahunt debita, ex quibus suâ culpâ seu dolo sufficiunt ac decoquunt. In Statu verò Ecclesiastico adest Bulla Pij V. de Anno 1570. quæ fraudulentis, & dolosis decoctoribus pœnam vltimi supplicij, sicut furibus imponit: licèt tanquam nimis rigorosa, nunquam seruata fuerit: provt in Statu Mediolani, quicunque Mercator, Negotiator, vel Artifex, non satisfactis creditoribus, fugam arripit, furcis suspenditur, vel ad triremes perpetuò mittitur Principis arbitrio; ex Decreto Caroli V. Imperatoris.

Quæ tamen procedunt in fallito, & decoctore latâ culpâ, dolo, & vitio suo: secùs si ex simplici vitio fortunæ. Quando verò 13
agitur de pecunia applicanda Parti, creditore non consentiente, non commutatur in corporalem: vsque ad *n. fin.*

LAVS DEO.

SVCCVS

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII

PARS QVARTA.

E X

LIBRO PRIMO, TITVLO QVARTO, QVÆST. XXVII. DE CARCERIBVS; ET CARCERATIS.

ARGVMENTVM.

Iudex indebitè aliquem carcerans, qua pœna puniatur, quando, & quot modis captura, seù carceratio dicatur indebitè facta.

1 CARCER est mala mansio, locus horribilis, immundus, consumptio bonorum, solatium Inimicorum, experientia Amicorum, sepulchrum viuorum. Quando autē Carceratio dicatur iniusta? 2 forma sequentes Conclusiones. Captura, seù Carceratio facta à Iudice incompetenti, nulla & inualida reputatur, nisi capiat remittendi causâ ad competentem: ex quo facta per Iudicem non habentem merum imperium, seù per Delegatum, inualida est: eóque fortiùs dicitur iniusta, si fuerit facta ab aliqua priuata persona, à qua priuatus carcer committitur, & pœna priuati carceris incurritur, quæ est capitalis, & vltimi supplicij: quinimò ij 3 reputantur tanquam Rei criminis læsæ-Maiestatis, ex *L. 1. C. de priuat. Carcerib.* Et de iure Canonico tenens Clericum, etiam non ligatum, sed tantum inclusum, excommunicatur: Ac generaliter sic priuatum Carcerem exercens, tenetur ad omnia damna, & interesse; provt tenetur Iudex indebitè carcerans. Et ne dum committitur quando quis retinet aliquem in carceribus inclusum, sed etiam vbique, cum compedibus, seù alio quocumque modo, ità vt recedere non possit. Et si- 4 cut ex carcere publico, quando iniustus est, permittitur detento, etiam Custode Occiso, (nisi aliter euadere possit) aufugere; multo magis licet priuatè carcerato. Committitur etiam à Birruariis, qui aliquo capto non ducunt ad carceres; sed domi, aut alibi retinent: quapropter seuerè puniri possunt. Et adeo est illicitus, 5 & Iuribus odiosus Carcer priuatus, vt si in aliqua Ciuitate exerceatur, & Gubernator sciat, ac toleret, incidat etiam ipse in crimen prædictum. Eóque magis pœ- 6 na criminis læsæ-Maiestatis incurritur in præmissis, si vltra detentionem deueniatur ad torturam: vsque ad *n.* 20.

Nemo in carcere priuato se obligare potest: & quatenus obligetur, ad nihil 7 tenetur, etiam si iurauerit: Quod tamen non procedit in eo, qui retineret redemptum ab hostibus, donec sibi de pretio satisfieret provt etiam quando dictus carcer esset in casu à iure permisso, & non detineretur vltra viginti horas: tanto enim temporis spatio quis detineri potest animo consignandi Iudici competenti. Vnicuique etiam, quamuis priuato nulla præ- 8 cedente commissione, licet capere Monetarios, Latrones, & viarum Grassatores, Incendiarios, violentos fœminarum Raptores, Desertores militiæ, arbores & vineas furtim cædentes, fures acclamante populo fugientes, Veneficos, Incantatores, Adulteros in adulterio deprehensos, Adulterantes monetam Principis, quemlibet proprium debitorem fugitiuum

tiuum, & quemlibet Reum in flagranti crimine repertum; dummodo isti in priuato carcere detineantur solùm per spatium viginti horarum: quia si secus, pœna priuati carceris incurritur; etiam quod simus in captura in principio licita, & à
9 Iure permissa. Nec etiam priuatus carcer consideratur in Patre detinente filium correctionis causâ; in Marito qui correctionis, & castigationis causâ in priuato carcere vxorem detinet, in Domino qui seruum, in Abbate qui Monachum; in consanguineis, qui eorum consanguineum furiosum. Et specialiter etiam non
10 consideratur in creditore, qui authoritate Iudicis debitorem suum cepit, vt ad carceres duceret; sed rogatus ab ipso, domi propriæ custodit: nec in meretrice, quæ detinetur libidinis causâ: nec etiam quando quis detinetur in carcere adeo fragili, & facili ruptu, vt sine difficultate possit detentus arripere fugam, & euadere; imò quando potuisset exire licèt cum ali-
11 qua difficultate. Nec etiam in Bannito, qui potest impunè occidi: quia & hic in priuato carcere detineri potest, & etiam impunè torqueri: sed de hoc vide *infrà q.* 103. Firma denique, & in iudicando non recedas, quod quidquid sit de Iure, de Consuetudine tamen, & communi obseruantia, pœna vltimi supplicij non imponitur, sed alia mitior Iudicis arbitrio, & tamen dicta pœna non habet locum, nisi adsit dolus, & animus illum committendi; qui vtrum adsit, nécne, Iudicis arbitrio statur, si versemur in dubio, secus vbi res est clara: vsque ad *n.* 36.

Ex defectu causæ captura redditur nul-
12 la & inualida: & pro causa consideratur corpus delicti: at licet aliqui voluerint capturam non dari, nisi quando venit imponenda pœna corporalis, seù corporis afflictiua; attamen firma etiam dari vbi tantùm pecuniaria infligitur Iudicis arbitrio.

13 Omnes personæ, & capi, & carcerari possunt, præterquam illæ, quæ à iure prohibitæ sunt: inter quas Mulier pro debito pecuniario si honestæ conditionis sit: & siuè debitum sit ex delicto, publicum, & fiscale; siuè priuatum: imò pro causa criminali, si crimen leue sit, & non atrox, carcerari non potest, sed tantum præstito fideiussore, aut iuratoria cautione, extra carceres auditur: at si Iudex aliàs contra Iuris dispositionem Mulierem carcerari mandet, vnà cum Birruariis, sibi in hoc obedientibus punitur: iuxta *Auth. vt nulli Iudic. C. de Offic. diuers. Iudic.* scilicet priuatione cinguli, exilio, ac aliis corpora- 14
libus pœnis. Et ideo Mulier non potest carcerari, vt neque cogi possit ad corporaliter comparendum, quando iudicium sine Mulieris præsentia expediri, aut tractari posset; & nisi præceptum fieret proferendo testimonio in causa Criminali. Et tandem quidquid sit de Iure, hodie de Consuetudine, in delictis grauissimis carceratur, si sic Iudici videatur ex qualitate personarum, delicti, & iudiciorum. Et si Mulier sit honesta, & nobilis, seù ciuilis, & honestæ conditionis, non carceratur, sed domi detinetur, vel alibi sub custodia; ità vt in delictis atrocissimis carceratio Mulierum semper sit Iudicis arbitrio committenda: vsque ad *n.* 55.

Meretrix, inhonesta, & Luxuriosa, quandocunque potest carcerari; etiam pro debito ciuili: sed si sit maritata, distingue: 15
Aut maritus est ignorans meretricij, & non potest carcerari: aut est particeps turpitudinis, & omnino carcerari posse verius est: licèt Alij contra. Sed tamen quando sic carceratur, debet mitti in carcerem à viris separatum: sic potest carcerari mulier pro debito proprio descendente ex delicto: & nonnulli tenent, posse carcerari Matrem tutricem ex malè administrata tutela. Contrarium tamen verius, & sic seruandum. Mulier verò de fuga suspecta, pro debito ciuili non comprehenditur à Statuto de materia disponente: vsque ad *n.* 65.

Clericus in Sacris constitutus, vel Alta-
ri, seù Ecclesiæ proprio ministerio inser- 16
uiens ex *cap. Odoardus, extr. de solut.* pro debito ciuili carcerari non potest: sed vel curatoria cautione de soluendo liberatur, vel sequestrantur fructus sui beneficij, reseruatis sufficientibus ad alimenta. Quod
non extenditur ad Clericos in minoribus 17
constitutos: nec habet locum in Clerico ex tribus sententiis conformibus ad soluendum condemnato: nec pariter quando in contractu iurauerit soluere; quando est suspectus de fuga; quando pro debito descendente ex delicto, seù quando de
crimine ageretur ciuiliter. In criminali- 18
bus autem carcerari non potest, nisi priùs constet de delicto, & legitima præcesserint indicia: vsque ad *n.* 77.

Doctor pro debito ciuili carcerari non potest: quod priuilegium multi extendunt ad eius filios, & vxorem. Ad simili- 19
tudinem Clerici, sub cautione iuratoria relaxatur: & si secùs Iudex efficiat, capitaliter punitur. Et adeò verum est Docto- 20
rem pro debito ciuili carcerari non posse,

vt

vt etiam stante Statuto, quod quilibet capi possit, non obstante quocunque priuilegio, non includatur Doctor; cùm ex tali clausula non derogetur priuilegiis,
21 clausis in *Corpore Iuris*. Et licèt multi sequentes Bart. dicant talia priuilegia non competere, nisi DD, actu legentibus; attamen contrarium receptum est, & competere Aduocatis, seù alio modo in legali scientia se exercentibus; Recentiores omnes tenent; & pluries decisum fuit.
22 Et est adeo hoc priuilegium inconcussum; vt etiam Doctor nequeat eidem renunciare; licèt Romæ, & in Statu Ecclesiastico, vigore obligationis *Cameralis* carcerentur: quinimò ex quocunque debito, dum executioni reali non potest dari locus. Verùm in Statu Sereniſſimi
23 Magni Ducis Etruriæ Domini mei, nunquam carceratos vidi; nisi ex debito fiscali, seu Communitatiuo. Et in quocunque casu dicit Author, quod pronun-
24 ciatio carcerationis contra Doctores, facienda est cum maiori temperamento, & consideratione: vsque ad *n.*87.

Infirmus graui infirmitate detentus
25 etiam pro causa Criminali non carceratur; sed isto casu Iudex debet assecurari per fideiussionem: vel ea deficiente adhibere custodes, sumptibus infirmi, donec reconualescat: imò quando causa est Ciuilis, Iudex potest concedere inhibitionem ad tempus, vt domi securus maneat ad conualescendum: vsque ad *n.*88.

Captura dicitur iniusta ratione loci,
26 in quo quis capitur, ex quo primò, aufugiens ad Ecclesiam, ex ea inuitus extrahi non potest, & in ea captus, eidem restitui debet. Secundò, domi propriæ nec etiam quis potest capi, siuè sit propria, siuè conducta; & siuè etiam ostium sit apertum ex *L. plerique, ff. de in ius vocand.* licèt non hoc practicetur vbique, & præcipuè in Statu Ecclesiastico, vbi domi capiuntur: sed Florentiæ, & Senis, ac in toto Statu mei Domini Benignissimi Magni Ducis, contrarium seruatur, nec domi pro debito mero Ciuili quicumque capitur: quinimò Senis, ex Statuto particulari, nec executio personalis fieri potest pro quocumque debito aduersus insidentem asino: ac ità practicatur absque contradictione, egóque pluriès obtinui ad fauorem plurium.

In criminalibus verò, non solum quis
27 capi potest domi; sed etiam Executoribus est permissum ostia, & fenestras frangere, etiam quod à Iudice non habuerint licentiam expressam, secùs in Ciuilibus; quia tunc non licet, nisi ex expressa licentia concedenda, præuia citatione, ad tenendum portas apertas: alias mandari aperiri per vim; etiam in debitore obligato per iuramentum, & in forma *Cameræ*: in tantum quod si secùs faciant Executores, teneantur de violentia: vsque ad *num.*95.

Carceratio iterum dicitur iniusta ratio- 28
ne loci, vbi captus carceratur in carcere priuato, vt suprà dictum est: & propterea capti debent mitti in carcerem publicum, nec ibi regulariter retineri in compedibus, nisi Iudici contrarium visum fuerit, attentis causæ, & personæ qualitatibus: imò sola grauitas, & atrocitas delicti, quando carcer est tutus, non debet id operari. Et quocunque casu compedes debent esse tales, ne inferant tormentum.

Carceratio dicitur iniusta ratione temporis, pro debito Ciuili facta tempore feriato: ex *L. fin. C. de fer.* Hoc tamen non procedit in Debitore suspecto de fuga: nec in criminalibus, quia pro iis, etiam diebus feriatis decernitur executio realis seu captura, & quilibet carceratur.

Dicitur indebita, & iniusta ratione 29
ordinis non seruati, videlicet, quando mandatur quem capi de facto, & ex abrupto proprio ac temerario motu Iudicis, siue, vt dici solet, *propriâ Ceruice*, & nullis præcedentibus indiciis: & hoc casu pluribus relatis ab *Authore* opinionibus, tandem decidit ex *L. 1. ff. de custod. & exib. Reor.* quod totum sit remissum Iudicis arbitrio temperandum, consideratis delicti, & personarum qualitatibus. Iudex enim indebitè carcerari mandans, regulariter in Syndicatu tenetur, & punitur Syndicatorum arbitrio, pro facti, & personarum qualitate. Ita relictis DD. ambagibus, sentit *Author*: & vltra pœnam ordinariam, ad damna, & interesse carcerati condemnatur.

Et è contrà, sicut tenetur pro indebita 30
carceratione; ità & obligatur ex indebita relaxatione. Sed singulariter nota, quod Iudex relaxans debitorem pauperem, ità quod non habeat vnde se alat, creditore citato requisito, & recusante alimenta præstare, in nullo tenetur: Quidquid Alij contrà. Quando verò carceratus esset relaxatus à Iudice sub fideiussione de se repræsentando, tunc quia talis carceratus per talem fideiussionem videatur approbare capturam, de nullitate eiusdem dicere non potest, nec Iudicem conuenire.

Et quidquid dicant multi, quando captus pro aliquo debito, seù delicto arrestatur ad instantiam Fisci pro aliquo alio debito, licet prima captura sit nulla & indebita, adhuc sustinetur arrestatio, nec carceratus relaxatur. Aduerte tamen,
31 quod carceratus, seù captus pro delicto, non potest relaxari nisi præstita fideiussione, nec eâ datâ, retineri pro debito ciuili: & ita practicatur: licet Alij contra.
32 Sic nec captus pro vno debito potest pro alio debito arrestari, nisi arrestans tueatur de credito per sententiam, & habeat mandatum relaxatum à Iudice.

EX QVÆST. XXVIII.

ARGVMENTVM.

Carcerari an & quando possit, qui ad Ecclesiam confugit; quandóve vi ex illa extrahi.

1 REGVLARITER ab Ecclesia inuitus nemo extrahi debet: & de facto extractus, de facto sit restituendus: imò extrahens per vim confugientem ad Ecclesiam, non solum punitur pœna mortis, etiam effectu non secuto; & ex solo facinore attentato; sed etiam Reus læsæ-Maiestatis reputatur. Hæc de iure
2 Ciuili. De iure autem Canonico, huius immunitatis Ecclesiæ Violatores, damnantur ad restitutionem personæ auulsæ, cum omnibus damnis, & interesse: & vt publici latrones reputantur, & excommunicantur, donec resipiscentes damnum omne resarciuerint, & tanquam Rei læsæ-Maiestatis, si in tali violentia Clericis iniuriam intulerint. Et non
3 tantùm Laici, verùm etiam Clerici non possunt extrahi dum ad Ecclesias confugiunt; nisi tamen Clericus commisisset aliquod delictum ob quod esset dignus degradatione, & Curiæ seculari consignatione: quo casu requiritur expressum Iudicis Ecclesiastici decretum. Similes
4 confugientes nec etiam possunt obsideri, aut impediri, ne eis alimenta, victus, ac vestitus, aliáque necessaria deferantur, licet possint teneri in bona custodia, donec cognitum fuerit, an gaudeant immunitate Ecclesiæ, necne: sic nec capi potest confugiens ad Clericum portantem per viam Sanctissimam Eucharistiam, vel ad circuitum Ecclesiæ, videlicet per quadraginta passus circum-circa Ecclesiam Matricem, per passus triginta circa alias Ecclesias, sed Consuetudo hac in re seruanda est. Extende in confugiente ad ostium Ecclesiæ, ad scalas, 5
Clausstrum, Atrium, vel Cœmeterium, etiam quod Cœmeterium distaret ab Ecclesia vltra quadraginta passus: sed extra dictum Cœmeterium, vltra duos passus fugiens capi potest. Qua immunitate gaudent quicunque delinquentes ex quocumque scelere, & crimine, etiam graui, nisi delictum esset atrocissimum, & tale, vt per illud Clericus esset degradandus, & tradendus Curiæ seculari. Fallit Regula in homicidio deliberatè, seù 6
per insidias commisso; in Sacrilego; in Assassino; in occidente, seù vulnerante Clericum, etiam Excommunicatum; quia & talem percutiens incidit in pœnam *Canonis, si quis suadente Diabolo.*

Debitor ex causa ciuili, siuè priuatum, siuè publicum sit debitum, præter- 7
quam Mercator fraudulenter fallitus, & Decoctor dolosus, hac immunitate gaudet. Quæ quidem immunitas consideratur etiam in quacunque Ecclesia nondùm consecrata, quinimò & interdicta. 8
In Hospitalibus authoritate Episcopi fabricatis, in Palatio Episcopi, si intùs habeat Oratorium, seù Capellam; aliàs secus de veriori, in puncto iuris, testatur *Author*. Excommunicati quoque ad Ec- 9
clesiam confugientes, immunitate gaudent: & quidquid sit in puncto iuris, ità in practica seruatur. Sic & de Consuetudine, immunitate gaudent Palatia Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, licèt hoc in Vrbe non seruetur: vsque ad *num.* 49.

Publicus Latro, & agrorum nocturnus 10
depopulator, viarúmque Grassator non gaudet immunitate Ecclesiæ ex *Bulla* Gregorij XIV. Sic nec ille, qui in eadem Ecclesia deliquit: Verùm per *Bullam* Gregorij XIV. requiritur vt sequatur mors, vel mutilatio membri in eadem Ecclesia. Extende ad eum, qui extra Ecclesiam, & ex loco profano sagitta, iaculo, aut catapulta existentem in Ecclesia vulnerauerit, vel occiderit: vel è contrà, si ipse in loco sacro existens spe immunitatis alium extra Ecclesiam occiderit; & isto casu potest extrahi inuitus per secularem Iudicem. Similiter, nec armatus armis prohibitis quarum delatio prohibita sit sub pœna capitali. Blasphemans nec illa gaudet im- 12
munitate Ecclesiæ; id enim suadet aperta ratio, quia scilicet frustra legis implorat auxilium

auxilium, qui in ipsam legem delinquit.
13 Iudæi, Hæretici, Apostatæ, aliique infideles, huiusmodi immunitate gaudere
14 non possunt. Alij contrà. Sic & non gaudet ille, qui captus, per Ecclesiam transeundo ducitur ad carceres, vel ad furcam. Ratio est, quia attenditur principium, quando est licitum. Et quid-
15 quid Alij contra; firma pro veriori, & communiori. Ecclesiâ destructâ cum authoritate Superioris, seù sine spe vel ædificationis non gaudet immunitatis priuilegio. Oratoria similiter secularium sine authoritate Episcopi constructa, nec ipsa gaudent immunitate Ecclesiæ. Et
16 licet de Iure in casibus, quibus non datur immunitas, Iudices seculares possint propria authoritate Reos ex Ecclesiis extrahere, attamen id prohibitum est vigore *dictæ Bullæ* Gregorij XIV. absque licentia Episcopi, etiam vt dixi in casu aliàs permisso: Quando autem Episcopus licentiam dare renuerit, tunc tales extracti ad carceres Ecclesiasticos perduci debent, donec per ipsum Episcopum, aut ab eo deputatum, cognitum fuerit, vtrùm crimina per extractos commissa fuerint talia, vt gaudeant nécne immunitate Ecclesiæ. Et licet multi dixerint
17 sic extractum, & de manu Curiæ Ecclesiasticæ receptum, non posse condemnari in pœna vltimi supplicij; Contrarium tamen est verius. Et in omnibus casibus, in quibus confugiens ad Ecclesiam extrahi potest, non est etiam seruanda Reo fides, pro impunitate delicti. Sed de hac re vide latiùs *infrà quæst.* 81.

EX QVÆST. XXIX.

ARGVMENTVM.

Carcerari, seu offendi, an, & quando possit ille, qui à Principe vel à Iudice saluum conductum obtinuit.

REGVLA proponitur, quod saluus-conductus omnino seruandus
1 sit: & nemo sub saluo-conductu, seù securitate à Principe concessa, carcerari, molestari, aut quomodolibet offendi possit. Et licèt Alij contrà, firma pro veriori, nec inquam ab ea in consulendo, & iudicando recedas. Extendendo, quod sit seruandus etiam datus hostibus, & in casibus, quibus de iure communi, vel municipali gratia fieri non possit: & ideo captus sub saluo-conducto, non solum relaxandus liberè, sed etiam taliter, vt capi iterum non possit; & offendens eum, qui habet saluum conductum à Principe, incurrit crimen læsæ-Maiestatis; sed quomodo sit puniendus, cùm variè DD. loquantur? Tu distinguas pro veritate: quod aut offensus habebat securitatem à Priuato, hoc est ab offendente, aut à Principe: primo casu, offendens non incurrit pœnam læsæ-Maiestatis, nec pœna mortis ei infligitur, nisi in casu secutæ mortis; sed tantum Iudicis arbitrio punitur: vel habebat non à priuato, sed à Principe, vel ab alio inferiore à Principe: si ab inferiore, non erit vt *suprà* pœna mortis puniendus qui violat saluum-conductum, nisi in casu secutæ mortis, sed tantum Iudicis arbitrio: At si habebat ab ipso Principe, eius Consilio, vel Locum tenente, & offensio facta est, non in odium Principis, & contemptum illius authoritatis, sed ex particulari odio, tunc pariter pœna erit arbitraria: si autem in dedecus contemptumque Principis & offensionem, eóque animo, vt Principi iniuria afferatur, siuè mors sit secuta; siuè non, pœna mortis infligitur: vsque ad *n.* 19.

Saluus-conductus concessus debitori ciuili, ne dum à Patre, sed etiam à Iu- 2
dice ex aliqua causa sibi bene visa, dummodo non excedat spatium triginta dierum, vtique seruandus. Excipe debita iurata, & debita ex causa delicti, vel fiscalia, & ex fideiussione, quæ concessa non valent. Et in proposito, licèt debitor habens Saluum-conductum à Principe non possit molestari, tenetur tamen satisdare de soluendo finitâ dilatione, si talis satisdatio à creditore petatur: si verò debitor sit pauper, admittitur ad iuratoriam cautionem: Et quidquid sit de Iure, etiam subreptitiè extortus non vio- 3
latur, sed tantum recurritur ad Principem pro reuocatione. Non tamen extenditur ad debita priuilegiata; videlicet locationis conductionis, Ecclesiasticorum, Pupillorum & de recenti contractorum: vsque ad *n.* 39.

Saluus-conductus seruari debet, ac latè & fauorabiliter interpretandus: dici- 4
tur enim potiùs beneficium, quàm priuilegium: quidquid Alij contrà. Interpretatur tamen aliquando, & declaratur ab illius petitione: quia id quod conceditur, restringitur ad petita & narrata;

ideóque si petitio sit ad tempus, concessio autem indeterminata, reducitur ad tempus petitum. Interpretatur etiam à coniecturata mente concedentis; quæ quando aliunde non appareat, statur declarationi eiusdem concedentis, & quandoque declarationi illius, cui concessus est, si in sui præiudicium interpretetur.

5 Concessus pro se, & sociis, extenditur etiam ad socios Iudæos; non tamen ad Hæreticos, & alios infideles non toleratos, nisi de iis expressa facta sit mentio. Concessus pro se, & decem hominibus, seruari debet: etiam quod illi homines, seù socij vadant sine illo Principali, cui concessa est securitas. Concessus vni Principali, censetur concessus illius famulis, & familiaribus: multóque magis concessus Viro, extenditur ad eius vxorem. Concessus pro eundo, intelligitur etiam pro redeundo, etiam quod id expressum

6 non sit. Concessus alium ad tutè veniendum ad aliquem locum, censetur concessus vt offendi non possit, nedum in itinere, sed etiam dum est domi suæ, præparans se ad iter, nisi tamen fuisset impetratus dolo, non vt verè iret, sed vt tutus domi staret. Concessus delinquenti

7 simpliciter, & generaliter, seruandus est quoad omnia delicta, etiam non expressa in saluo conductu, dummodo minora sint expressis: sed si concedatur generaliter pro omnibus delictis, locum habet, non solùm in publicis, & condemnatis, sed etiam in occultis: verùm non extenditur ad futura. Et in tantum ad futura non extenditur, vt ex nouo delicto concessus, subreptitius & infractius censeatur, nec seruari debeat etiam quoad antiqua, quando ille, cui est concessus, deliquerit ex proposito, & deliberatè, ac appareat saluum conductum petiisse causâ delinquendi: secus si è contrà lacessitus, & prouocatus deliquerit: vsque ad *num.* 62.

Seruari tamen non debet, & reuocari

8 potest, superueniente noua causa, ob quam licitum sit: & generaliter ex causa publicæ vtilitatis, dummodo similis noua causa processerit ex facto, & culpa ipsius, cui est concessus: aliàs enim iniquissimum esset absque reuocatione præcedenti infringere illum, & sub fide tu-

9 tum vexari. Non prodest assecurato, qui permissa in concessione non adimpleuit. Non extenditur ad socios associantes in

10 itinere. Datus de eundo, & redeundo, non intelligitur datus, nisi pro vna vice tantùm: sed si fuerit concessus determinatè ad certum locum, & tempus; tum pluribus vicibus ire, & pluribus redire permittitur. Non seruatur quando eius authoritas, vel virtus morte concedentis expirauit, vel finita eius iurisdictione, & Officio: secus tamen esset, quando adessent verba positiua voluntatis, vt putà cum. *Disdicta, vel donec reuocauero.* Cessante causa salui-conductus, cessat, & idem: verùm vbi causa cessaret absque culpa, & facto assecurati; tunc licèt reuocari posset, non tamen esset finitus ipso iure. Sic Saluus-conductus conditionalis, non purificata, vel non adimpleta conditione apposita, non valet: vsque ad *num.* 79.

Bannitis, exulibus, & confinatis, Iudices non possunt fiducias, & securitates concedere, vt veniant, seù redeant, 11 exilio, confinatione, vel banno non obstante, quia talis facultas soli Principi reseruata est. Et licet aliquando multi dicant, Iudices id posse, multique ne- 12 gent, & hinc inde opiniones decertent; Author tamen firmat, quod etiam inferiores à Principe possint saluos conductus concedere ex causa, & considerando hanc propositionem non in abstracto, & in genere, sed in concreto, deueniendo ad specialia, Iudices possunt concedere saluos conductos ex causa; vt putà, illum petenti ad comparendum, & se defendendum pro aliis delictis. Illi verò, qui vices gerunt ipsius Principis, possunt 13 etiam saluos-conductus concedere ad tempus; non autem in perpetuum. Feudatarij verò, Barones, ac Domini Castrorum, qui non habent merum, & mixtum imperium omnimodam Iurisdictionem, & perpetuam administrationem, cum causa tantùm saluos-contractus concedere possunt: sine causa verò, si id eis in inuestitura concessum sit, vel saltem habeant aggratiandi facultatem. In Statu tamen Ecclesiastico caueas: quia ex Bul- 14 lis Clementis VII. *Bullar. p.* 1. *fol.* 287. Pij IV. *eodem Bullar. fol.* 810. & Pij V. *Bullar. p.* 2 *fol.* 937. Statuitur, non concedi posse per alios, quàm per ipsosmet Summos Pontifices, Bannitis, & condemnatis: præsertim pro homicidio, ex causa capitali: vsque ad *numer. fin.* 112.

***

EX QVÆST. XXX.

ARGVMENTVM.

Carceres frangens, & ab illis aufugiens, quomodo, & quando puniatur.

CARCERVM effractores, & inde fugientes, quomodo puniri debeant? cùm non adhuc benè à DD. explicetur, Author noster post relatas octo
1 DD. opiniones inter se non modicè decertantes, tandem pro vera Resolutione ex præmissis, duos principales casus distinguit. *Primus* est, quando effracto carcere, carcerati iam aufugerunt; & isto casu ex *L.1.ff.de effract.* imponitur pœna capitis; licèt dicat Author non intelligi de pœna mortis naturalis, sed de alia mitiori, & propterea nunquam vidisse morti traditos huiusmodi effractores, sed tantum acriori tormento submissos, vel extra ordinem punitos. *Secundus* casus, quando carcerati non aufugerunt, sed effracto carcere, vel nondum perfecta fractura fuerunt præuenti, & sic non potuerunt; vel etiam pœnitentes propter difficultatem, aut timore pœnæ, vel ex aliâ causâ noluerunt aufugere, iuxta *L. in eos, ff. de custod. Reor.* quicquid multi multa dicant, pœna arbitraria mitiori puniendos esse fatetur: vsque ad *n.*34.

Regula ergo datur, quod carcerum
2 Effractores arbitrariâ pœnâ puniendi sint, siuè aufugerint, siuè non; sed si non aufugerint, mitius puniendi, quàm si aufugissent. Extendendo etiam quod carcerum Effractor innocens sit de delicto, pro quo detinetur. Et omni casu Effra-
3 ctor aufugiens potest condemnari in pœnam illius delicti, pro quo detinebatur; non quia fractor habeatur pro confesso, vt multi voluerunt; sed quia ex tali fractura, & fuga resultat indicium satis notabile, quod iunctis aliis, pro quibus erat contra ipsum deuentum ad carcerationem (si enim sine indiciis fuisset captus, fugere potuisset impunis) nulli dubium, quod est sufficiens ad inquirendum, citandum, ac etiam, nisi compareat, ad condemnandum ipsum fugientem: Quare si ille, qui effracto carcere aufugit, erat detentus pro crimine capitali, quod mortem merebatur, potest ad mortem condemnari in contumaciam, non vti Effractor, sed propter delictum principale: Si verò erat detentus pro aliquo alio delicto, pro quo de Iure non erat imponenda pœna vltimi supplicij, sed alia mitior corporalis, vel pecuniaria, tunc poterit Iudex ipsum condemnare in ipsam pœnam pecuniariam, vel corporalem, & ipsam aggrauare, sed citra mortem, propter fracturam, & fugam, quæ de se delictum est, & pœnam particularem meretur. Primò enim casu non est opus aggrauare 4
pœnam propter fracturam, quia pœna maior, quæ est mortis confundit, & absorbet quamlibet aliam minorem. Sed aduertat Iudex informando inquisitionem contra ipsum Effractorem, vt illa præcipuè sit fundata non solùm in fractura, sed etiam in delicto principali, pro quo fugiens erat carceratus, ac ipsum citare, & notare ad se defendendum super fuga, & fractura, necnon super dicto principali delicto: vsque ad *n.*45.

Pœna effractorum carcerum extenditur etiam ad detentos in aliqua Camera, vel Palatio à Iudice pro carcere assignato, 5
dummodo fuga sequatur cum fractura; secùs si sine eâ: quia tunc cessaret ratio effractionis: Et quamquam puniri deberet, mitiùs vtique. Sic conclude, quicquid alij dixerint. Si verò contigerit, in-
quisitum carcerari in amplioribus, & non 6
tutis carceribus, dato fideiussore de tuto carcere, & inde non discedendi sine licentia Iudicis, si carceratus, etiam culpâ Custodis aufugerit, tenetur fideiussor ad pœnam conuentam, nec iuuatur propter Custodis negligentiam. Ampliando quod post præstitam fideiussionem de non discedendo ab aliquo loco, seù carcere, si fuerit præstita alia cautio de non discedendo ab aliquo loco, seù carcere largiore, & meliore ex causa infirmitatis assignato, & de redeundo ad primum carcerem, valetudine adueniente, tunc si carceratus aufugerit ex secundo loco sibi pro carcere assignato, adhuc primi fideiussores tenentur, quia per secundos non censetur facta aliqua nouatio. Hoc tamen non procederet, si ipse carceratus esset detentus iniustè: provt etiam quando is, pro quo fuit permissum de tuto carcere, seu quod ex loco assignato non discederet, discesserit, sed reuersus fuerit. Alij contrà, nec sine fundamento; sed Author 7
cludit, quod isto casu condemnaret talem fideiussorem, non ad integram pœnam, sed mitiùs agendo, ad minorem summam condemnationem reduceret; ne ex temeritate Iudex contemnatur: vsque ad *n.* 78.

Pœna Effractorum carcerum non so-

lùm habet locum in detento pro causa
8 Criminali, sed etiam pro causa Ciuili; siuè debitum sit publicum, siuè priuatum; cùm consideretur solùm violatio loci publici. Effractor autem dicitur etiam is, qui aufugit fractis vinculis & compedibus per apertum ostium, & fenestras. Sic &
9 transcendens muros carcerum, quo effracto volebat aufugere, sed non perfecit aliqua causa impeditus: Ex quo concludas, quod si fuga est secuta, & denuò capiatur, non solum punitur, sed etiam torquetur super delicto, pro quo detinebatur, tanquam ex fuga redditus magis suspectus; si verò non est secuta fuga, in pœnam attentatæ fracturæ itidem torquendus est.
10 Effractor etiam tenetur in foro conscientiæ, quia peccat; in tantum vt, si dimissus & relaxatus fuerit sub promissione & iuramento de redeundo, absque peccati labe & periurio non possit non redire, etiam quod redeundo exponeret se periculo mortis: vsque ad *n.* 92.

Puniuntur etiam auxilium, seù opem præstantes talibus Effractoribus, hic
11 enim si causa criminalis est, eâdem pœnâ plectuntur, quâ plectendi erant ipsi carcerati quod extende ad consultores, fautores, & instigatores; quinimò ad receptantes & occultantes similes Effractores: sed hoc casu non eadem pœna, sed arbitraria est imponenda, ac etiam mitior, si fuerint cognatione vel affinitate coniuncti: vsque ad *n.* 100.

Eximens carceratum ex carcere, qui
12 iam confessus, vel conuictus, aut condemnatus erat, de iure communi incidit in pœnam læsæ-Maiestatis: Extendendo ad eximentem de manu familiæ: ex *L. Iulia, Maiestatis.* Verùm hoc procedit strictè, scilicet quando iste fuerit condemnatus ad mortem: licèt, si dolo, & malo animo offendendi Principis Maiestatem, tunc intraret eadem pœna pro quocumque crimine. Imò in proposito supradictæ principalis conclusionis, ad hoc vt crimen læsæ-Maiestatis committi necesse est, quod carceratus fuerit captus de mandato alicuius Iudicis supremi Principis, Pontificis scilicet, Imperatoris, vel Regis: Et hinc habes, quod licèt pœna eximentis carceratum non sit capitalis & vltimi supplicij, sed mitior & arbitraria; quando tamen carceratus pro crimine capitali confessus, conuictus, vel condemnatus eximeretur, pœna mortis im-
13 ponitur. Et in Vrbe, ac Statu Ecclesiæ ex *Bulla* Sixti V. tanquam Rei læsæ-Maiestatis, & Rebelles puniuntur omnes, qui carceres, aut quamcumqne custodiam effregerint, inuaserint, aut quoquo modo violauerint, seù violare tentauerint, siuè ad hoc homines, vel arma ministrauerint, siuè aliàs auxilium, consilium, vel fauorem, palàm vel in occulto, per se vel per alium, seù alio quouis modo præstiterint, seù præstare permiserint Tu ergo, 14
qui versaris in Statu Ecclesiastico, considera, & serua: vsque ad *n.* 107.

Eximens Debitorem ex causa Ciuili, tenetur soluere de proprio, Creditori, 15
tamquàm esset fideiussor. Contra eum datur iuramentum in litem, & si plures sint eximentes, omnes in solidum tenentur, & contra omnes iuratur in litem. Amplia procedere conclusionem, etiam quod Debitor non esset verè Debitor, quia isto casu eximenti non datur facultas probandi, quod ipse exemptus, non erat Debitor; nisi notoriè constaret reuera non esse debitorem, ac indebitè, vel non ritè carceratum fuisse. Et redeundo ad Conclusionem, etiamsi Debitor iterum capiatur, eximens non liberatur, sed pro soluere tenetur, & punitur criminaliter aliqua pœna arbitraria: sed in Statu Ecclesiæ ex *citata Bulla* Sixti V. intrat pœna læsæ-Maiestatis: vsque ad *n.* 113.

Eximens non punitur, quando exemptus, erat iniustè detentus: & licèt Alij contrà; non recedat. Sic nec punitur exi- 16
mens ex aliqua colorata causa; vt putà, si filius Patrem eximat, vel è contra: quia tunc excusantur saltem à pœna ordinaria. De hoc tamen latiùs vide *infrà q.* 97.

Supradicta procedunt, nedum in Laïco, sed etiam in Clerico: & tàm de iure Ciuili, quàm de Canonico: quinimò Clerici effractores deponuntur, & datâ perseuerantiâ in enormitatibus, possunt tradi Curiæ seculari: iuxta terminos *c. cum non ab homine, de Iudic.*

Hæc tamen non considerantur in iniu- 17
stè carceratis: possunt námque ij absque metu pœnæ carceres frangere, & aufugere, non solum si agatur in foro fori, sed etiam in foro poli: imò etiam iniustè detentus, & iustè ad mortem condemnatus non solum non peccat fugiendo ex carcere, sed etiam non fugiendo peccat, quando hoc efficere possit: adeo vt iniustè detentus, seù iniustè captus, si se à carceribus liberet medio iuramento de redeundo, possit non redire absque labe peccati, & periurij. Quidquid Alij contrà. Præcipuè si redeundo ad carceres, incurreret periculum mortis. Et in tantum licet iniustè carcerato aufugere, & carceres frangere

frangere, vt si aliter mortis periculum, & iniustam Iudicis condemnationem euadere nequeat, sit ei licitum Custodes impunè corrumpere, vel etiam vulnerare, & occidere. Alij contrà.

18 Tu verò declara pro validitate conclusionis requiri. Primò, Quod notoriè constet ex Actis, illum iniustè, & indebitè fuisse carceratum, & condemnatum. Secundò, Quod euidenter sit in periculo mortis, nec aliàs euadere possit; quibus concurrentibus, liceret sibi etiam Iudicem occidere. Quæ procedunt, quando iniustitia carceris respicit non seruatum ordinem Iuris, secùs si innocentiam carceris; potest enim esse, vt quis sit innocens, & tamen iustè carceratus. Et in terminis, quis dicitur carceratus iniustè. Primò,

19 Quando fuit carceratus de mandato Iudicis non habentis iurisdictionem. Secundò, Quando Iuris ordine non seruato. Tertiò, Quando fuit captus sine indiciis. Quartò, Quando non contrito de delicto. Quintò, Quando conspiciebat sibi per falsos, & capitales inimicos calumniatores, ac Testes, crimen capitale impositum, Iudicémque fore sui inimicum, & participem falsæ accusationis. Sextò, Quando detinebatur in vinculis ferreis, & cippis in aliquo subterraneo loco, in quo inter paucos dies erat moriturus. Septimò, Quando timebat sæuitiam Iudicis minãtis vel metum inferentis: vel quia solitus erat de facto procedere. Octauò, Ex sæuitia acriori Custodis: sed hoc casu, sic aufugiens, debet adire Iudicem, imò & si non adeat, tamen à pœnâ ordinariâ excusatur. Verùm in

20 dubio semper pro Iudice præsumitur, quoad iustitiam; non tamen quoad ordinem processus; nisi quatenus ex processu appareat: vsque ad *n.* 147.

Carceratus, qui aufugit animo reuertendi, regulariter non dicitur fra-

21 ctor carcerum, nec illius pœna tenetur: quod extenditur etiam ad Arrestatum, & sub Iudicis præcepto detentum: animus tamen reuertendi non præsumitur, ideo debet probari, & probatur per Testes, coram quibus carceratus declarauit animum suum dediscendo, animo reuertendi: quod si sit probari non possit, Iudex, consideratâ qualitate personæ, & causæ arbitrabitur. Et satis dicitur talis animus probatus ex festino reditu, ac ex allegatione causæ coloratæ; scilicet audiendi peccata, votum adimplendi, & his similia. Aufugiens verò ex negligentia Custodis, non punitur capitaliter, nec intrat pœna Effractionis carceris, si quis per ostium apertum aufugerit: ad hoc enim, vt intret pœna ordinaria, de fractura constare debet, ex *L. 1. ff. de Effractorib.* Quinimò vigore *dictæ legis* requiritur etiam conspiratio facta cum aliis carceratis. Et licèt Alij contrà, attamen Author firmat, fracturâ non intercedente Arbitrariam & mitiorem tantummodò pœnam habere locum. Sic non dicitur Effractor, aufugiens ex aliqua causa: scilicet, vel quia malè tractabatur, vel quia timebat Iudicis sæuitiam, & nequitiam. Quod procedit etiam in retento domi, vel in Palatio sub fideiussione; nam si ex aliqua causa discedat, & ad Superiorem confugiat, non dicitur fracta fideiussio (nisi adsit clausula in stipulatione *de non recedendo sub quouis prætextu, etiam recursus ad Superiorem*,) dummodo adsit iusta causa, & timor imminens. Pariter vti Effractor non punitur aufugiens de licentia Custodis, licet Custos teneatur ex *L. ad Commentariensem, C. de custod. & exhibit. Reor.* quamuis per carceratum fuerit data fideiussio de non discedendo sine Iudicis licentia, nisi in stipulatione adesset causa præcisè requirens licentiam Iudicis in scriptis. Et singulariter non tenetur aufugiens 22
de carcere propter timorẽ ignis, aquæ, pestis, seù alterius similis periculi; dummodò timor non sit imaginarius; sed verisimilis, & probabilis: & dummodo, cessante timore, reuertatur. Author tamen ad nullam condemnationem deueniret contra istos, sed tantum citaret ad comparendum, & se defendendum super delicto principali; & nisi comparerent, condemnaret, iuxta probationes, in contumacia: ità dicit practicari Romæ in egressis aduenientes obitu Summi Pontificis. Singulariter iterum nota, quod Mulier carcerata, & tentata à Custode, vel ab alio Viro, euitandæ libidinis causâ aufugiens, non punitur: sic & reuelans conspirationem de frangendo; quamuis à principio esset de complicibus: vsque ad *n.* 195.

Carceratus pro crimine Hæresis aufugiens, non habetur pro confesso: sed ex fuga, iunctis aliis indiciis, potest citari, & in contumaciam condemnari. Quando verò in carceribus deti- 23

neatur ad pœnitentiam peragendam, loco pœnæ pro hæresi inflictæ, tunc aufugiens censetur hæreticus relapsus, sibi audientia denegatur, & tanquam relapsus, Curiæ sæculari trahitur. Alij contrà. Tandem de effracto carcere non punitur, qui per imbecillitatem, seù infirmitatem, cæteris fugam arreptis, ipse solus remansit, quamuis deponat non acclamasse, si id dicat non fecisse metu mortis: vsque ad *num.* 202.

EX QVÆST. XXXI.

ARGVMENTVM.

Carcerum Custos ad quid, quando, & quomodo teneatur & puniatur ex fuga, seù morte Carcerati.

CVSTOS carcerum quomodo puniri debeat ex fuga Carcerati, in- 1
constantes habemus *Leges* Ciuiles, & inter se dissimiles, ac inæquales; *L. ad Commentariensem, C. de custod. Reor.* quæ est clauis propositæ quęstionis: *L. carceri præpositus, ff. de custod. Reor. L. fin. ff. eod.* ideo vt prædicta iura, quæ dissonantiam, & forsan etiam repugnantiam primo aspectu habere videntur, ad veram pacem & concordiam reducantur, Author Regulam constituit. Quod carcerato ex carcere aufugiente, si causa, pro qua detinebatur erat criminalis, Custos sit puniendus eadem pœna, qua veniebat plectendus ille carceratus: sic firmat, reiecta opinione tenentium, talem Custodem puniri arbitrio Iudicis. Et licèt aliqui di- 2
xerint, pœnam mortis imponendam; attamen similis pœna tunc demum ligat Custodem, quando carceratus aufugiens fuerit detentus pro pœna Capitali: vel si dolo, vel pretio corruptus permiserit euadere: & hoc casu volunt multi indistinctè eum mortis pœnâ plecti, sed verius est quod sic puniatur, dummodo carceratus similiter esset condemnandus. Sic & spe- 3
ciale est, vt possit & corporaliter, & capitaliter puniri ex sola simplici lata culpa, & nimia negligentia, etiam cessante expresso dolo: Quinimo etiam de omni alia culpa leui, & leuissima, si ciuiliter agatur actione *legis Aquiliæ*, ad damna & interesse creditoribus resarcienda, ac etiam criminaliter ex arbitrio: putà, priuationis officij, vel alia leuiori, provt prudentia suadeat. Et quamuis in dubio generaliter, & regulariter culpa non præsu- 4
matur, attamen Custos tenetur probare, quod casus sine culpa acciderit: quia in dubio eius culpâ carceratum aufugisse præsumitur. Sed satis probatum diceretur, si probaretur, semper aliàs fuisse diligentem, omnia fecisse, & seruasse, quæ boni Custodes facere, & seruare solent, ac quod toto tempore eius custodiæ, nullam culpam, nullúmve dolum commiserit, quæ præsumptio excluſiua tolleret inclusiuam dubij: vsque ad *n.* 26.

Sed in proposito eò magis præsumeretur culpa, Reo aufugiente per ostium 5
apertum, seù dum non appareret vnde aufugisset: certum est tamen, quod in hoc multum tribuitur Iudicis arbitrio: eóque fortiùs negligentia præsumeretur, nisi Custos carceratum detineret in vinculis, dummodo qualitas criminis catenarum, & vinculorum ligamen, & acerbitatem requirat, vel nisi tenuerit famulos, vel subcustodes; vel si carcerati aufugerint de die: aut tandem, si deserebat carceres, & nocturno tempore non recludebat in strictiori custodia, vel ante dormitionem diligentias prætermiserit consuetas: vsque ad *n.* 44.

Contra Custodem iterum præsumitur negligentia, nedum in fuga carcerato- 6
rum, verùm etiam in eorum morte: ex quo Custos carcerato ægrotante, Iudici renunciare debet, eóque mortuo per Notarium recognosci. Præcipuè verò idem Custos esset in culpa, si carceratus ferro, 7
aut aliquo modo se occidisset: & in hoc multum tribuitur Iudicis arbitrio, consideratis loco, & qualitate mortis. Custos principalis tenetur etiam pro culpa & do- 8
lo suorum famulorum, seu subcustodum, nec liberatur eos exhibendo: eóque fortiùs, si ad Custodiam deputasset filium, seù vxorem. Si verò essent duo Custodes principales, vnus pro altero tenetur, nisi 9
diuidissent inter se custodiam per dies, vel per hebdomadas; vel nisi Custos substitutus fuisset reputatus diligens, & fidelis; aut eò loci non fuisset copia Custodum magis sagacium: seù talis substitutus fuisset electus à Iudice, vel Superiore: vsque ad *n.* 60.

Quod autem indistinctè, & simpliciter aliqui dicunt, scilicet de iure commu- 10
ni, Custodem negligentem non incurrere aliam pœnam, quàm priuationis Officij in quo fuit negligens: non est verum; si enim adsit negligentia, & culpa, vtique remanet obnoxius illi pœnæ, quâ fugiens

erat

erat plectendus. Carcerarius enim de fuga carcerati tenetur,& poteſt puniri etiam quod carceratus ad carceres ſpontè reuertatur, vel vi reducatur, vt exemplificari poſſunt quatuor principales caſus: Primò, In Carcerato retento pro criminali, qui exemptus, ſiuè vi, ſiuè ſpontè, & pœnitens ad carceres reuertatur, cùm iam ſit conſummatum delictum, eum eximens, ordinariam pœnam non euitabit. Secundò, In eximente Carceratum ex debito Ciuili, qui etſi reuertatur eximens tenetur ad debitum, & ad pœnam criminalem. Tertiò, In Cuſtode carceris, cuius culpâ, & negligentiâ Carceratus pro Criminali aufugit, quem ſi iterùm apiat, non tenetur pœnâ ordinariâ, ſed mitiori Iudicis arbitrio. Quarto, In Carcerato ex Ciuili cauſa, quem ſi Cuſtos repræſentet, tenetur quidem ad pœnam extraordinariam ob culpam, non autem ad intereſſe partis pro ciuili actione: & ſic in practica ſeruatur. Quidquid ſit de iure. Tenetur inſuper ex fuga Carcerati, etiam quod pro eo interceſſerit fideiuſſor de tuto carcere: quia non per hoc eſt liberatus à cuſtodia, niſi Iudex ſibi mandaret, vt ſimilem Carceratum mitteret in loco largo, & aperto. Tenetur pro debito ciuili ad damna, & intereſſe, & ſic ad ſolutionem debiti: licet Alij contrà: in tantùm vt non poſſit allegare fugientem, non fuiſſe debitorem: ſed iſto caſu poteſt à creditore reportare ceſſionem contra debitorem: pro quo tamen non teneretur, quando non fuerit ſoluendo; putà, quia iam Iudex in carcere eum admiſerat ad ceſſionem bonorum, vel impetrauerat à Principe vt ad illam admitteretur. Tenetur etiam, quando relaxauit Carceratum ſine Iudicis mandato in ſcriptis, & iſto caſu punitur Cuſtos eadem pœna, qua erat puniendus Carceratus ab eo relaxatus: adeo vt non poſſit relaxare etiam debitorem, aſſentiente creditore abſque mandato Iudicis. Sic
11 tenetur de omni eo, quod immittitur in carcerem, ex quo ſequi poſſit mors, vel fuga Carcerati; vt putà ferrum, venenum, funis, & his ſimilia. Quod intelligas, dummodò verſetur in dubio; ſecùs quando non eſſet in aliqua culpa: pluribus enim modis talia poſſunt immitti, ex quo omnis prorſus culpa ceſſaret, ſi frangeret ferculum, vel panem, vas vino plenum, & ſimilia, vel ſolitam faceret perquiſitionem, dum extant in carceribus ſecretis, ſecùs ſi in publicis: quia de iſtis nullo modo tenetur. Strictiùs Ampliando, etiam tenetur de allocutione facta cum Carcerato, ſecretè detento; ſiuè alloquatur per Epiſtolam, vel Nuncium; ſiue ſi patiatur ambaſciatas, & ſimilia deferri: & in ſtatu Eccleſiaſtico adeſt *Bulla* Pij V. *Bullar p.2. fol.*1022. ex qua imponitur pœna Relegationis, Triremium, & vltimi ſupplicij, quando caſus id ſuadeat: vſque ad *n.* 106.

Alloquens cum Carcerato in ſecretis detento, bona fide, & de rebus ſpectan- 12
tibus ad cauſam, non punitur: ſecus ſi alloquatur de talibus rebus in præiudicium Fiſci: & hoc non de iure communi, ſed ſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio pœnata: non enim omne, quod illicitum eſt, punibile eſt, niſi quatenus à Iure ſit expreſſum. Verùm alloquentes, ſeù mittentes 13
bullectinos Carceratis, qui detinentur in ſecretis carceribus, poſſunt torqueri tanquam veriſimiliter informati: provt torqueri debent Cuſtodes, vt modum fugæ indicent, ſi veriſimiliter de hoc videantur informati ad inſtar cuſtodis pecuniarum, vt indicet furem ipſius pecuniæ, ſi veriſimiliter de hoc habeat informationem: vſque ad *n.*112.

Si autem Cuſtos, vel Carceratus habeat rem cum Carcerata honeſtæ vitæ, 14
tunc punitur ea pœna, qua puniendus eſſet, ſi eam extra carceres cognouiſſet, & etiam grauiùs, arbitrio Iudicis, propter carceris violationem. Idem iuris eſt in Carcerato cognoſcente vxorem, vel an- 15
cillam Cuſtodis: ideóque ſi cognita eſſet Virgo, vel Vidua, tenebitur de ſtupro; ſi vxorem, de Adulterio: ac vtroque caſu, pœna erit aggrauanda ex qualitate violationis: eóque fortiùs ſi interuenerit vis; ſi verò cognita & reputata erat meretrix, tunc licèt ceſſet pœna ſtupri, & Adulte- 16
rij, non tamen ceſſabit pœna arbitraria propter carceris violationem: ſic forma pro veritate, licèt multi multa dicant: vſque ad *n.*124.

Cuſtodes carcerum poſſunt condemnari à Iudice ſola facti veritate inſpecta, 17
nec ab huiuſmodi ſententia datur appellatio: non autem puniuntur de fuga, ſi adhibuerunt in cuſtodia carcerum diligentiam, quam debuerunt: quæ quidem diligentia probatur per familiares, & domeſticos ipſorummet Cuſtodum, & arguitur ex retentione in loco ſolito, quo ſimiles alij Carcerati retineri ſolebant: imò iſto caſu excuſantur in totum, eo magis, ſi de tali fuga nulla ſubeſſet ſuſpicio. Et licèt poſſit Cuſtos ad ſui libitum Carceratum retinere in latioribus carce-

ribus

ribus pro paruo delicto, siuè sit Nobilis, siue ignobilis: ita vt & si inde aufugiat nõ teneatur, attamen in proposito quale sit paruum, vel magnum delictum, seù debitum, arbitrio Iudicis remittitur. In casu verò, quo Nobilis erat detentus pro paruo debito, vel pro leui causa Criminali: vel si pro graui, erat in casu absolutionis, excusatur Custos tenendo istum Nobilem, & integræ opinionis, in latioribus carceribus; & hoc non habet difficultatem: si verò erat detentus pro magno debito, seù pro graui delicto, non excusatur; quia vbi agitur de præiudicio Tertij, viso fide digno non creditur. Pari ratione, sibi
18 licet retinere senes infirmos in latioribus carceribus: iuuenes autem, & robustos strictius custodire debet. Et sicut Custos, remotâ culpâ, non tenetur de fuga Carcerati, eo minus tenebitur de secuta propter incendium, & ruinam carcerum; ad instar Depositarij, qui de casu fortuito
19 non tenetur. Et licèt multi velint Carcerarium non obligari ex fuga indebitè capti, hoc est non ritè, & Iuris ordine non seruato; attamen verius est obligari: non enim ad eum spectat de tali nullitate cognoscere, quia hoc esset viam aperire dolosis inuentionibus: erit ergo hoc casu arbitrariè plectendus, & eò grauiùs, si pecuniam receperit: vsque ad *n.* 159.

Quocunque verò casu, quo Carceratus
20 aufugerit proditorio modo à Custode non præuiso, seù quando Custodis socius, vel famulus cum Carcerato aufugerit, dummodo famulus ille fuerit talis, vt tempore deputationis haberetur pro diligenti, & fideli; excusatur. Et tandem non tenetur quando Carceratus aufugit, muro carceris fracto, seù ex fuga cum violentia, cui resistere non potuerit, dummodo se expressè non obligasset ad casum violentiæ, vel culpa violentiam non
21 præcederet. Et sicut Custos dicitur negligens, & in culpa, quando potuit Carceratum contra mandatum Iudicis in aliquo loco ex Regula, quod non potest dolo carere, qui Magistratus imperiis non obtemperat, ità excusabitur è contrà, quando de mandato Iudicis potuit Carceratum in loco non tuto, & diligentiam adhibuit: vsque ad *n.* 172.

***

EX QVÆST. XXXII.

ARGVMENTVM.

Eximens captum ex manibus familiæ, quando, & qua pœna puniatur. Quando liceat Iudici, & eius executoribus impunè resistere? Et è contra quando liceat executoribus resistentes vulnerare, & occidere.

ERIPIENS captum, de manibus familiæ, qui iam confessus, conuictus, aut condemnatus sit, tenetur pœ- 1
nâ læsæ Maiestatis: ex *L.* 4. *ff. ad leg. Iuliam Maiestat.* Etiam quod non animo offendendi, & minuendi imperium Principis eripuerit. Procedit etiam in eximente ex manibus Birruariorum, Debitorem captum ad instantiam alicuius Creditoris de iure communi, & ea sententia quorundam Doctorum: sed contrarium verius est, præcipuè vigore *Bullæ* Sixti V. quâ fuit declaratum non extendi ad exe-
cutiones ciuiles. Intrat ergo de Iure pœ- 2
na arbitraria, & etiam actio ciuilis ad solutionem debiti, si debitor erat captus Iuris ordine seruato, etiam quod postea reducatur ad carceres. Quod extenditur ad occultantem, seù Debitori executionem reuelantem; idque multo magis in Birruariis, & executoribus, mandatum Debitoribus reuelantibus, isto enim casu Officio priuantur: & si causa erat Criminalis, ac persona capienda esset, homicida, latro, Bannitus, aut aliàs nefaria, intrat pœna *Bullæ* Sixti V. sin secùs, ar-
bitraria. Quando autem captus conuo- 3
cando gentem, & populum ad arma, aliósve concitant, seù nomen alicuius Magnatis inuocaret, vel forsan quod peius esset, franchisias appellaret, secundum Bullam Gregorij XIII. *Bullar. p.* 1 *fol.* 733. & Sixti V. *Bullar. p.* 2. *fol.* 1375. haud dubio, vti læsæ Maiestatis Reus puniendus esset: licet de iure communi, illo etiam casu, pœna sit arbitraria. Et generaliter, 4
quando quis ex manibus Executorum sine violentia armorum se exemit, non aliter punitur, ac si ex carcere aufugisset, & etiam mitius: si verò violenter resisten- 5
do, & cum armis ex manibus Birruariorum se eripuerit, grauius arbitrium expenditur. Quocumque ergo casu pœna 6
arbitraria imponenda, iuxta facti & personarum qualitatem, vsque ad mortem exten

7 denda. Verùm Birruariis resistens ponendo manus ad gulam eorum, manus amputatione punitur, vel aliàs Iudicis arbitrio: vsque ad *n.*29.

Hæc non procedunt quando satellitas vellent iniustè, vel indirectè aliquem capere: nam tunc, & ipse non solum resistere poterit, sed etiam amicos ad id conuocare, ac etiam si dicti satellites vellent capere sine mandato, potest quilibet tertius impunè captum eripere; dummodò non simus in casibus expressis per Gloss. in *L. fin.* vbi Bald. & Alij, *C. de exhibit.* in quibus sine Iudicis mandato captura permittitur, & signantem in inuento cum armis, vel contra Bannimenta in fla-
9 granti. Et in tantum procedit proposita Regula, quod si Birruarij dum ducunt aliquem ad supplicium, præuideant armatos, & congregatos ad effectum eripiendi Reos, possunt iusto timore ducti eosdem Reos, quos ad furcam ducebant, interficere propriis manibus: sic interdum sibi ipsis licet resistentem, dum capiunt, & percutere, & vulnerare, ac etiam occidere absque metu pœnæ, dummodo resistentia sit magna, & nisi aliter quàm vulnerando, percutiendo, vel occidendo capere potuissent: imò nisi capiendus resistat cum armis, & Birruarij positi sint in discrimine vitæ, id vetitum est; aliàs per modum excessus puniri possint: nec eis licet vnquam occidere, nisi capitaliter damnatum, qui aliàs à quocumque occidi poterat. Specialiter verò, quidquid Alij contrà; satel-
10 lites possunt, se defendendo cum armis, resistere armato capiendo, etiam vulnerando, & occidendo, quamuis id à Iudice non habeant in mandato, dummodo tamen aliàs capere non possint. Verumtamen non in omni casu possunt Iudices Birruariis mandare, vt Reum capiant, & ducant, aut viuum, aut mortuum; sed solum quando capiendus commiserat delictum capitale, & morte dignum, ac dummodo de tali delicto constet ex Actis notoriè, plenè, & liquidè, ita vt si captus esset, nullam posset facere defensionem aut probationem in contrarium. Et licèt
11 multi dicant, Debitorem ciuilem, etiam se cum armis defendentem, Birruarios offendere non posse; Author contrarium credit, & firmat, eos posse illum vulnerare, & occidere, si
12 aliter capere non possent. Hoc tamen mihi durum videtur, & potiùs sequerer opinionem contrarium tenentium.

Resistentia non præsumitur, ideo probanda est per Birruarios qui aliàs non excusabantur: Ex quo infertur, Birrua- 13
rios non posse captum malè tractare, siuè iniuriis, siuè permissionibus afficiendo: quod si faciant grauissimè puniuntur. Eximens captum ex manibus familiæ, non adhuc confessum, aut condemnatum, quomodo puniri debeat? Varij varia dixerunt; sed verius de iure communi arbitrariè: & in Statu Ecclesiastico vigore *Bullæ*, pœnâ mortis. Sed iniustè captum aut iniustè condemnatum eximenti, nulla pœna 14
imponitur. Extendendo etiam ad Clericos eximentes, dummodo de iniustitia capturæ notoriè constet. Sic & à pœna ordinaria excusatur Vxor, ex 15
capite amoris, obedientiæ, & reuerentiæ, maritum captum eximendo è manibus satellitum. Exemptio verò plenè, & concludenter, non ex dicto eorumdem satellitum, probari debet: Nuntio enim, ac Birruario asserentibus, captum fuisse exemptum, seù aliàs in executione fuisse impeditos, verberatos, aut aliquâ iniuriâ affectos, non creditur quoad plenam probationem; secus quoad præsumptionem, & adminiculis concurrentibus, etiam ad torturam sic executionem impedientes condemnari possunt: vsq; ad *n.*84.

Et generaliter de Iure, in præmissis, effectu non secuto, affectus non punitur: quare eximere tentans, & non perficiens, non condemnatur, nisi in Statu Ecclesiæ, vigore *Bullæ*.

Regulariter resistens Iudici, seù ipsius Officialibus, & Executoribus, 16
extra ordinem Iudicis arbitrio puniendus est, propter turbatam iurisdictionem: eóque magis quando ageretur de ordine iusto: quia iniustè exequentibus resisti potest; ea ratione, quia Iudex, dum iustitiam non facit, amplius Iudex non est, sed priuatus: præsertim quando ageretur de damno irreparabili, seù quando procederet iuris ordine non seruato, seù exequi vellet sententiam nullam, aut Officialis excederet modum suæ executionis. Verùm si dignitas, & administratio 17
Officialis sit magna, in dubio est ei parendum, & non parens punitur: si autem sit in vili Officio, in dubio ei resisti potest: at in omni casu intelligendum est de resistentia legitima, non

effrænata.

effrænata. Similiter resistere licet quando Iudex ageret sine iurisdictione, aliquid extra Officium sibi commissum, siuè pendente appellatione in casu appellabili quid innouaret: Iudex enim non deferens appellationi, & suam sententiam exequi volens, appellatione non obstante, de iure Ciuili triginta pondera auri soluit: de iure Canonico Iudicis arbitrio punitur, quando causa est Ciuilis; si Criminalis, de iure Ciuili deportatur; de iure Canonico deponitur. At si non obstante appellatione faciat aliquem decapitari dolosè, & iniustè, eadem pœnâ mortis punitur. Et demum generaliter Iudici etiam iniustè exequenti resisti non potest, quando alia via ciuiliter, & sine armis succurri potest.

EX QVÆST. XXXIII.

ARGVMENTVM.

Carceratus, an & quando sit fideiussoribus relaxandus? & fideiussore non existente soluendo, an Iudex, vel Notarius pro eo teneatur.

REGVLARITER quando delictum est leue, & pœna pecuniaria tantùm venit imponenda; siue carceratus sit Clericus, siue Laicus, præstito fideiussore, vel de se repræsentando, vel indicatum soluendo; seu fideiussore deficiente, oblatis pignoribus, relaxatur: adeo vt Iudex non relaxans sic carceratum, conueniri possit in Syndicatu, actione iniuriarum, si petitio excarcerationis sit apud Acta registrata. 1 2 Verùm si Carceratus, de delicto, de quo inquiritur, sit conuictus, vel confessus, quamuis dicat, se confessum per errorem, vel quamuis confessus sit extraiudicialiter in casu in quo infertur tortura, licet agatur de pœna pecuniaria fideiussoribus non relaxatur. Relaxaretur tamen, 3 si appellaret dicendo, vel se iniquè condemnatum, vel iniquè grauatum in quantitate pœnæ; & hæc quidem opinio, licèt Alij contrà, in iudicando, & consulendo sequenda, præterquam in Statu Ecclesiastico, vbi per Bullam Pij V. aliarum Bullarum declaratoriam, de qua *in Bullar. p. 2. fol.* 1182. quâ cauetur, quod si Reus carceratus, vel etiam non carceratus, condemnatus sit per Iudicem ex sua propria confessione, tunc nullatenus executionem condemnationis impedit ex quacunque appellatione interposita, fideiussione, seù cautione oblata, verùm si Reus appellans non sit confessus, audiatur in appellatione, si dives est, facto actuali depositi; si pauper, quod Iudicis arbitrio remittitur præstita cautione in forma depositi de soluendo pœnam, in qua condemnatus existit, vel respectiuè de se repræsentando totiès, &c. vsque ad *n.* 23.

Appellans à condemnatione corporali non relaxatur fideiussoribus: sic, nec quando causa est in calculo ferendæ sententiæ, si vsque ad illud tempus distulerit præstare fideiussorem. 4 Quando autem Carceratus aliàs, vel ex carcere, vel sub fideiussione relaxatus aufugisset, etiam quod agatur de pœna pecuniaria, non iterum relaxatur, fideiussore dato, nisi quatenus arbitrio Iudicis visum fuerit. 5 Extende ad repertum in flagranti crimine, cum delatione armorum, vel aliàs vbi delictum est notorium & manifestum; eóque fortiùs, si Reus esset iudiciatus ad torturam ante torturam inflictam, quamuis esset Testis, ex *Bulla* autem Pauli III. *in ordine* 50. *Bullar. p.* 1. *fol.* 639. expressè prohibetur relaxatio Carcerati, nedum quando certum est esse locum torturæ, sed etiam quando de hoc disputatur: vsque ad *n.* 40.

Et licet regulariter fideiussorem non inueniens admittatur ad iuratoriam cautionem; 6 de consuetudine tamen illam non admitti, nec in viro, nec in muliere, nisi consulto Superiore, certum est. Quando verò delictum est graue, & atrox, taliter quod pro eo veniat imponenda pœna sanguinis, vel alia corporalis; Carceratus fideiussoribus non relaxatur: idquè non tantum, quando pœna est corporalis simpliciter, sed etiam quando est corporalis in defectum pecuniariæ. Declarando hoc procedere, quando Statutum de- 7 super loqueretur per verba denotantia actum soluendi, putà dicendo: *Quæ si non soluerit*, &c. secus si loqueretur non per actum solutionis, sed per potentiam soluendi, putà per verba: *Quæ si soluere non potuerit, transmittatur*, &c. quia tunc 8 Carceratus posset fideiussoribus relaxari, si fideiussores haberent bona verisimiliter non peritura: Et hæc tanquam magistralis distinctio, est attendenda, quando versamur in pecuniariis, quibus deficientibus imponitur pœna corporis, eis non solutis: Et hæc procedunt nedum in Laïco, sed etiam in Clerico: aduertendo, 9 quod isto casu pœna corporalis, vel ei similis an imponatur, necnè, pro delicto, pro quo Clericus detinetur, inspicienda

est

est dispositio iuris Ciuilis, non autem Canonici: & propterea ad hoc, ne Clericus relaxetur, sufficit de iure Canonico delictum reputari graue, & enorme, etiam quod non imponatur eo iure pœna corporalis.

Persona Nobilis magnæ æstimatio-
10 nis, & dives, si Iudex illum innocentem existimet, nec adsint grauia indicia de præsenti, vel de futuro habere speret, quamuis agatur de pœna corporali, potest vel in laxioribus stantiis, seù alibi loco Carceris detineri, aut fideiussoribus relaxari. Quando verò quilibet esset in statu innocentiæ, & absolutionis, tunc etiam non expectata sententia, quamuis agatur de pœna corporali, fideiussoribus relaxari permittitur. Sed aduerte, quod si crimen sit graue, & Iudex non habeat releuantia indicia, sed speret habere, relaxare non potest: & omni casu, quando sententia est ferenda, Reus sub fideiussore relaxatus, debet ad carceres reuocari, ne forsan, secuta sententia pœnam corporalem infligente, fugiendo, il-
11 lam eludat. Et licèt in dubio quis sit fideiussoribus relaxandus; hoc sanè intelligendum, completo, & perfecto processu; & non priùs: vsque ad *numerum* 71.

Et licèt, etiam quòd agatur de pœna
12 corporali, Iudicis arbitrio remissum sit, an velit carceratos fideiussoribus relaxare, necnè, ex quo hæc materia relaxationis reductæ sit ad libitum Iudicantium, nec possit Iudex redargui; attamen hoc arbitrium non erit omninò liberum, & absolutum, nec expendendum nisi ex aliqua iusta causa: quia licet nemo possit pro alio obligari ad pœnam corporalem, tamen quando fideiussores obligarentur vt Custodes, aliqui dixerunt teneri ad pœnam corporalem: quod tamen in practica non seruatur: vsque ad *n.* 77.

In causa infirmitatis, fide Medici
13 adhibitâ, carceratus sub fideiussione de redeundo liberatur, dummodo agatur de graui infirmitate, quo casu etiam in delicto graui assignatur domus pro carcere sub fideiussione. Si verò Carceratus sit pro debito ciuili, & fideiussores non habeat, vel non habeat idoneos, tunc faciendum est præceptum Creditoribus, vt illum recipiant in domum suam: quod si noluerint, vel ad Hospitale remittitur, vel fideiussoribus etiam non idoneis consignatur. In Statu tamen Ecclesiastico ex Bulla Pij V. *Bullar. part. 2. fol.* 1197. *Constit.* 189. *versic.* 4. In casu infirmitatis Debitores Ciuiles relaxantur præstitâ cautione iuratoriâ de redeundo, nisi per Creditores, præstentur alimenta, & medicamenta: vsque ad *n.* 79.

In omnibus verò casibus, vbi Carcê-
rati relaxari possunt fideiussoribus, intel- 14
ligitur de fideiussoribus idoneis, & idoneus dicitur fideiussor, qui tantum habet in bonis stabilibus, quantum importat causa, seù pœna, de qua promittit. *Stabilia* diximus, quia mobilia idoneum non reddunt fideiussorem, si talia sint, vt de facili exportari possint; veluti sunt mercatores, qui multa habent in Nominibus. Si Iudex ergo Carceratum re-
laxauerit sub fideiussore non idoneo, ite- 15
rum capi facere poterit, & per talem capturam non sunt liberati tales fideiussores; si autem recarcerari non poterit, Iudex tenetur de suo, & in Syndicatu conuenitur: vsque ad *n.* 84.

Notarius autem recipiens fideiussorem
de mandato Iudicis, non obligatur; & 16
generaliter liberatur Iudex vbicunque Notarius recepisset non eius mandato, sed ex propria ceruice, vt passim practicatur: Iudex enim debet facere decretum, & Notarius recipit fideiussorem. Sed licèt hoc casu Notarius teneatur de proprio; attamen fallit. *Primò*, si recepit approbatorem. *Secundò*, si recepit de mandato Iudicis. *Tertiò*, quando Principalis est valde diues. *Quartò*, quando recepisset de consensu partis expresso, vel tacito. *Quintò*, quando erat soluendo tempore fideiussionis, licet postea effectus sit non soluendo. Et hodie multi 17
volunt, quod fideiussor non soluendo præsumatur, & contrarium asserenti incumbat onus probandi: quinimò, quod Iudex, de cuius mandato fuit receptus, teneatur, quamuis fuerit effectus non soluendo, post tempus fideiussionis: vsque ad *numerum* 93. *& finem.*

***

EX QVÆST. XXXIV.

ARGVMENTVM.

Carceratum sub fideiussore de repræsentando relaxatum, si fideiussor requisitus non repræsentet, an & quando, & ad quam pœnam teneatur.

1 REGVLARITER fideiussor promittens repræsentare Reum sub certa pœna, illum non repræsentans, tenetur ad pœnam conuentam: quâ non expressâ, adhuc tenetur ad aliam pœnam pecuniariam Iudicis arbitrio, quod equidem arbitrium cessat. *Primò*, quando à consuetudine esset determinata talis pœnæ. *Secundò*, quando Reus, quem in iudicio sistere fideiussor promisit, inquirebatur pro delicto, cuius pœna est determinata: quâ pœnâ non expressâ, non tenetur fideiussor Reum repræsentare, & sic non posset contra ipsum agi ad aliud interesse partis ob non exhibitionem: sed verius est, quod pœnâ non expressâ, Iudex potest vltra pecuniariam Fisco applicandam fideiussorem condemnare ad damna, & interesse partis, ob non repræsentationem: & licèt multi dicant arbitrium non posse excedere modum, & summam, de qua in *L. eos, C. de mod. mulct.* attamen quando promissa est pœna per fideiussorem, tunc valet mulcta, etiam in excessu: vsque ad *n.* 12.

2 Fideiussoria obligatio pœnata transit etiam ad hæredes, quando quis simpliciter fideiusserit pro nominato maleficio: & licèt Alij contrà; hodie cessat omnis difficultas, cum Notarij semper stipulationibus obligent principalem promittentem vnà cum suis hæredibus: ex quo non excusatur promittens, quamuis probet, se feciſſe omnem diligentiam, nec repræsentare potuisse, ea quippe ratione, quia in Prætoriis, & Iudicialibus stipulationibus, speciale est, quod difficultas non excuset à pœna, nisi mors interueniat Rei repræsentandi: ità vt non sufficiat, Reum simpliciter repræsentari, nisi etiam in carceribus consignetur: si enim Barisello tantum consignasset sine famulis, & illicò, siue post, præsentatus aufugeret, non liberatur repræsentans. Quare concludens, quod repræsentatio fieri debeat coram Iudice, & ab illo debeat acceptari. Et licet regulariter exceptiones competentes Reo principali competant etiam fideiussori; hæc tamen non habent locum in Criminalibus, in quibus fideiussor, nisi repræsentet, debet omnino, soluere, etiam quod velit iudicium in se suscipere. Ratio est, quia persona Rei in Criminalibus necessaria est, vbi agitur de pœna corporali; secùs in pecuniariis, in quibus per Procuratorem quilibet audiri potest: ex quo posset promittens, iudicium in se suscipere: & id singulariter tenementi.

Ad exactionem verò huiusmodi pœnæ conuentionalis, summariè, executiuè, & sine libello proceditur, nisi Iudex Reum velit habere ex alia causa: quod in tantum procedit, vt indici asserenti se velle, non ex noua, sed ex antiqua causa, eidem non credatur, nisi iuramento confirmet: Limitando, quod hæc non requirantur, quando repræsentatio fuerit promissa ex quacunque noua, & superueniente causa. 3

Reo mortuo, vt diximus, non tenetur promittens ad aliquam pœnam, nec legalem, nec conuentionalem: Verùm hoc fallit. *Primò*, quando Reus principalis dolo, aut culpâ fideiussoris obiecit. *Secundò*, quando esset in mora repræsentandi, tunc enim mors superueniens non excusat. *Tertiò*, Si fideiussor esset de soluendo iudicatum, vel condemnationem, non enim morte Rei condemnati, vel condemnandi, talis fideiussio expirat: quia tanquam fideiussor quantitatis non sibi datur impossibilitas soluendi, & sic est communiter receptum, & de Communi seruatur. 4

Extende ad mutationem Status; nempe quando Laïcus tempore fideiussionis euaserit postea Clericus, tunc enim licet regulariter cum immutatus sit forus, fideiussor non teneatur repræsentare: attamen, si accesserit de iudicatum soluendo; vel pœna sit in quantitate, vtique tenetur. 5

Promittens repræsentare Reum principalem, quando hic efficeretur Bannitus, dissoluitur fideiussio. Et licèt Alij contrà, firma conclusionem pulcherrimè probatam ab Authore per decem principalissimas rationes. 6

Et amplia nedum si sit condemnatus, verùm etiam si sit denunciatus, vel accusatus de nouo crimine: & hîc pariter licèt Alij contrà, & de communiori; Prima opinio est multùm æqua: distincta tamen, videlicet: aut Reus, pro quo fuit præstita cautio, est simpliciter accusatus, denunciatus, vel inquisitus, aut verò etiam citatus, & in Banno positus, quamuis nondum condemnatus: Primo casu, si superueniant noua indicia de delicto, pro quo Reus est inquisitus, 7 8

&

& sic Iudex habeat iustam causam reuocandi pro antiquo delicto, quem etiam reuocasset, quamuis nouum non commisisset, sustinetur Secunda opinio, licet dura, & rigorosa; scilicet, quod teneatur repræsentare: Si verò, nouo delicto commisso per Reum, nulla superuenerint indicia super antiquo, etiam quod pro nouo delicto nondum condemnatus sit, citatus, aut inquisitus, tunc fideiussor non tenetur repræsentare, nisi fuerit interpellatus ante citationem, & accusationem. Et sic serua, cùm sit distinctio valdè æqua, & rationabilis, licèt bursæ fiscali non multum amica: vsque ad *n.* 70.

Extende adhuc, fideiussorem non te-
9 neri, quando Reus esset condemnandus, vel condemnaretur ex delicto nouo post fideiussionem patrato; quamuis simili condemnato offerretur saluus-conductus pro simili nouo delicto; quia cum Banna sint publica, & manifesta, saluus-conductus autem paucis innotescat, & ideo cùm occidi posset impunè, tali periculo se exponere non tenetur, nisi fuerit condemnatus post moram fideiussoris commissam in repræsentando, vel quando delicto commisso ante moram fideiussoris, Iudex illum requirit ad repræsentandum, & ob non repræsentationem constituit illum in mora, antequam Reum banniat, vel condemnet pro recenti delicto. Alij contrà. Teneretur etiam fideiussor, si delictum postmodùm secutum, fuerit affectatum, & ex eius parte procuratum. Et tunc de-
10 mum propter bannum, & condemnationem Rei principalis, liberaretur fideiussor, quando bannum proueniret ex nouo delicto, secùs si pro eodem; nisi confiscarentur bona ipsius Rei principalis; cùm ex tali confiscatione vtique liberetur fideiussor, qui insuper liberatur, nempe præsentare non tenetur, si eius principalis fuisset carceratus tempore interpellationis.
11 Pariter non tenetur repræsentare Reum, pro quo promisit ex vulnere illato, si ex dicto vulnere mors sequatur; omnis enim promissio intelligitur *rebus sic stantibus*: quare in proposito Statuti, quod pro vulnere imponit pœnam *Centum*, pro homicidio verò *Mille*; promittens soluere iudicatum ex vulnere, non tenetur ad
12 *Mille*, secuta morte vulnerati. Verùm in proposito distingue, aut accusatio, seù inquisitio non est restricta simpliciter ad vulnus, sed etiam ad mortem, quatenus ex vulnere sequatur; & tunc etiam morte secuta, tenetur fideiussor: si verò de vulnere simpliciter loquatur, & vulnus erat lethale, tenetur fideiussor etiam morte secuta: secus è contra, si vulnus mortis periculo vacabat: vsque ad *n.* 91.

Liberatur etiam, si Reus fuerit captus à Iudice pro eadem causa, ex qua præsti- 13
ta fuit fideiussio: Extendendo etiam si Reus post capturam aufugerit, quamuis promisisset repræsentare toties quoties; & licet Alij contrà, in consulendo, & iudicando non recedas, strictè tamen intelligendo, dummodo aufugerit pro eadem causa, ex qua fuit præstita fideiussio: secùs si pro diuerso. Verùm si quando aliquis pro diuersa causa captus, post 14
eius capturam compareret fideiussor, & instaret amplius nolle teneri, & ob id protestaretur retineri etiam pro causa, pro qua fideiussit repræsentare, liberabitur, si fideiussio fuerit simpliciter facta; secùs si erat præstita cum clausula *Toties, Quoties*; vsque ad *n.* 103.

Iterum non tenetur quis repræsentare Reum in Iudicio post sententiam: durat 15
enim fideiussio de Iudicio sisti, tantùm vsque ad sententiam, & non vltra; quamuis sit adiuncta fideiussio de repræsentando, imò etiam de *stando Iuri*, ac de *Iudicis mandatis parendo*: secùs si fuerit præstita de *iudicatum soluendo*, vel sit adiecta clausula *Toties*, *Quoties*: seù *Quandocumque*: quia tunc tenetur repræsentare etiam post sententiam. Fideiussor autem de Iudicio sisti, licet regu- 16
lariter non teneatur in causa appellationis; Contrarium verius in practica, quando adest clausula *Toties*: & nisi fideiussor proprio nomine Iudicem nominaret, coram quo locum Principalem sistere promittit: vsque ad *n.* 125.

Fideiussor de repræsentando Reum infra certum tempus, nisi repræsentauerit 17
tempore conuento, eo quia ad repræsentandum non fuerit requisitus, vtrum teneatur, necnè; opiniones Clarissimorum PP decertant ad inuicem. Author autem concludit, quod non teneatur, licet in puncto Iuris contrarium sustineri possit, cum dies in proposito interpellet pro homine, si tempus ad repræsentandum fuit appositum gratiâ referendæ repræsentationis: si verò fuit appositum gratiâ finiendæ obligationis; vt putà quia noluerit fideiussor teneri ad repræsentandum Reum, nisi infra certum tempus; vel etiam, si idem tempus collatum est in voluntatem Iudicis, tunc requiritur interpellatio infra tempus, si tempus est statutum: vel quandocumque temporis non est statutum initium, & hoc vltimo casu

procedere potest prima opinio. Sed ad
18 tollendum difficultates seruandum est, quod fideiussor promittat repræsentare Reum infra tempus certum, etiam irrequisitus, per quæ verba cessant prorsus omnia dubia. Sed an pro hoc, mora possit purgari? dicas, quod fideiussor in tempore conuento Reum non repræsentans, possit adhuc moram purgare, si Fisci, aut partis interesse habentis ius, factum non sit deterius; & sic etiam post condemnationem, nedum ante solutionem: eo quia condemnatus ad quantitatem respectu causæ speciei, dando ipsam speciem ante quantitatis solutionem, liberatur: Verumtamen si mora fuerit geminata, tunc nec etiam de æquitate Ca-
19 nonica illa purgari potest. Et licet regulare sit, per fideiussorem moram posse purgari intra paucos dies, seu breue tempus; attamen si fideiussor promiserat tradere Reum infra sex menses, verbi gr. & sic intra tempus præfinitum; Lex indulget aliud semestre (intellige in criminalibus) & sic tantum tempus, quantum fuit in fideiussione præfinitum. Similiter si promiserit aliquem repræsentare simpliciter, & requisitus, siue citatus compareat, petens sibi assignari terminum ad id effectuandum; hoc erit statuendum Iudicis arbitrio, considerata qualitate facti, & longitudine absentiæ; nec ab ipsa præfixione termini datur appellatio. At si fideiussor permiserit repræsentare *Toties*, & ad omnem Iudicis requisitionem; hinc sine dubio tempus præfigi non debet, sed ex æquitate tantùm conceditur aliqua dilatio; præsertim quando expresè renunciatum fuerit *Legi sancimus*, *C. de fideiussor.* secus si tacitè, quia nec etiam censetur renunciatum per clausulam *Toties*, *Quoties*: quæ operatur, vt per vnicam, seù per iteratam repræsentationem non sit satisfactum obligationi: secus si quis promiserit de Iudicio sisti, aut de repræsentando simpliciter, vel respectu certi Iudicij, aut litis etiam adiecta clausula, *Quandocunque*, vel cum clausula *Rursus*, *Iterum*, *Pluries*.
20 Ex quo conclude, quod promittens repræsentare *Toties, quoties*, non liberatur, nedum per vnicam, sed nec etiam per binam, aut trinam repræsentationem; sed adhuc, toties quoties opus fuerit, repræsentare tenetur: sed meo Iudicio casus iste est impossibilis: quia credere non possum, post binam repræsentationem, causam non fuisse expeditam & opus esse Reum iterum vocari: necab ista mea opinione dissentit Author: vsque ad *n.* 166.

Quando fideiussor de repræsentando non repræsentauit ob minas, seù sæuitiam 21
Iudicis, cuius causâ Reus repræsentandus aufugerit, tunc non tenetur: strictè tamen intelligendo; quia secus, si promittens causaret fugam Rei, eidem denunciando sæuitiam Iudicis, suadendo, ne compareret; quia tunc à fideiussore pœna exigitur. Sed quid si Iudex omissa via agendi contra fideiussorem, mittat satel- 22
lites ad capiendum Reum, qui non captus aufugiat, an fideiussor dicatur ex hoc liberatus; quia impeditus ad repræsentandum facto Iudicis fuit; Subtilis est quæstio, & hinc inde DD. decertant: Author verò resoluendo dicit, quod si Iudex commisit capturam pro eodem delicto, pro quo fuit præstita cautio, tunc promittens liberatur: secus si pro diuerso delicto: & ita conclude: vsque ad *n.* 71.

Fideiussor datus in vno loco de repræ- 23
sentando ibidem Reum, non tenetur alibi præsentare, quinimò completo officio Iudicis coram quo fuit præstita fideiussio, obligatio resoluitur ex parte fideiussoris, licet firma remaneat ex latere principalis promittentis. Quod intellige de fideiussione data coram Iudice delegato, provt delegato; aut coram Ordinario, Ordinarij nomine expresso in stipulatione: secus quãdo fideiussio esset recepta coram Ordinario sub nomine illius Dignitatis; quia tunc trãsit ad successores, cùm dignitas Officialis in genere nunquam pereat, donec nomen illius Officij duret: & licèt vnus succedat alteri, idem tamen Tribunal, & Iudicium esse censetur. Et tandem non tenetur fideiussor eum repræsentare, qui fuerat indebitè captus: sed hoc difficile est in Practica obtinere, cùm sic promittens approbet capturam, nec amplius de eius nullitate dicere valeat, præcipuè si in stipulatione adsit renunciatio generalis. Bene verum est quod non teneretur, 24
si Fiscus accepisset possessionem bonorum confiscatorum ipsius Rei, quem quis repræsentare promiserat, tunc enim censetur liberatus ex confusione actionis: quia sibi necesse esset repetere à Fisco quidquid solueret, non repræsentando; quod esset inconueniens: vsque ad *finem quæstionis*. Sic Author.

EX QVÆST. XXXV.

ARGVMENTVM.

Carcerati contractus, & obligatio, an, & quando valeat.

1 REGVLARITER omnis promissio, obligatio, seù contractus â Carcerato in carceribus factus, minimè valet, & ipso Iure est nullus, nec validatur quamuis carceratus positus in sua libertate extra carceres, attamen custodiatur, contraxerit: nec etiam iuramento firmatur, etiamsi *non vi, aut metu, sed sponte* se obligauerit, quia per clausulam *sponte*, non probatur sponte factum instrumentum, cùm etiam per metum talis clausula censeatur adiecta.

2 Extende, quod nec valeat confessio facta in carcere, & sic facta nihil præiudicet in Ciuilibus; secus in Criminalibus. Et quod magis nec etiam solutio valet, siue fiat in carcere, siuè sub custodia mi-
3 litum; eóque minus in carcere priuato: Ex quo nec valet promissio facta ad instantiam carcerati, seu carcerandi, quia metus, & suspicio metus, æquiparantur: vsque ad *n.* 27.

Regula proposita fallit in carcere iusto; quia data iusta carceratione, valet 4
obligatio ad fauorem Tertij; licèt nulla sit ad fauorem Officialis Iudicis, vel Custodis. Regula enim procedit in Carcerato contrahente cum Carcerante, secùs cum aliquo Tertio, quia cum hoc valet contractus, nisi iste Tertius fuisset particeps illius carcerationis, aut contraheret ad instantiam Carcerantis. Et sicut valet contractus Carcerati ad sui fauorem 5
factus, ità valeret initus cum aliquo Tertio pro sua liberatione; etiam quod factus fuerit in carcere priuato. Sustinetur insuper quocumque casu, si post car- 6
cerationem sequeretur ratificatio, nisi ista fieret metu durante: vsque ad *numer.* 40.

Non impugnatur etiam testamentum Carcerati, nisi factum extiterit ad fauorem detinentis: imò etiam in istius fauo- 7
rem valeret, quando carceratio fuisset iusta. Et sic animaduerte, quod nulla consideratur differentia inter Contractum, vel Testamentum; vtrumque enim quidquid sit de iure, de consuetudine valet, dummodo carceratio fuerit iusta, & licita, nec vllus metus, aut vis interuenerit; quia secùs, datâ iniustitiâ carcerationis, & metus incussione: vsque ad *num. fin.* 45.

LAVS DEO.

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII

PARS QVINTA.

EX

LIBRO SECVNDO, TITVLO QVINTO, QVÆST. XXXVI. DE INDICIIS, ET TORTVRA.

ARGVMENTVM.

Indicium quid, & quotuplex sit? quid præsumptio? quid suspicio? quid coniectura? quid argumentum? quid signum? quid adminiculum? quid opinio? quid fictio? quid probatio? quid semiplena probatio? quomodo inter se differant, & conueniant.

CVM Doctrina omnis, & omnis disciplina rectè à vocabulorum cognitione incipiat, & termini sint prius intelligendi antequam aliquid determinetur; natura enim ab Elementis incipit in primis ergo dignoscendum est quid sit Probatio, & alia de quibus in *Summario.*

1 Probatio itaque pluribus modis à DD. diffinitur: sed cùm in diffinitionibus in Legali Scientia, exactiùs requirendis aut parum, aut nihil insit vtilitatis, cum potiùs descriptiones vocari debeant; dicas, probationem esse ostensionem rei dubiæ per legitimos modos Iudici faciendam, in causis apud ipsum Iudicem controuersis. Distinguitur & variis modis à DD. sed quia cùm & hoc parum referat, generaliter loquendo dicas probationem aliam esse plenam, aliam semiplenam. *Plena*, quæ tantam fidem facit, quanta ad finiendum controuersiam sufficit. *Semiplena*, per quam rei gestæ fides aliqua sit Iudici, non tamen tanta, vt iure eam sequi debeat in sententia dicenda. Plena inducitur septem modis, nempé per Testes, scripturas, confessionem, euidentiam facti, iuramentum, præsumptionem, & famam. Semiplena per quatuor modos, scilicet per depositionem vnius Testis de visu, per comparationem litterarum, per scripturam priuatam, per præsumptionem non vrgentem. Diuiditur etiam probatio tripliciter, nempè in *euidentissimam* & clarissimam, quæ fit per Priuilegia, & instrumenta indubitata: In *euidentem* & claram, quæ fit per Testes, vel facti euidentiam: in *minus euidentem* & minùs claram, quæ fit per hominis coniecturas. Iterum distinguitur in naturalem, quæ est ea, in qua nominatim sine hominis arte reperimus quod intendimus: & in *artificialem*, quæ tota in arte consistit, & versatur: vsque ad *n.* 27.

Indicium pariter multis modis à DD. diffinitur: sed strictè sumptum, est signum informans animum Iudicis ad suspicandum. Aliud est *indubitatum* & plenum, aliud *dubitatum* est, quod arctat mentem Iudicis, vt omnino credat, nec possit in contrarium inclinare: siue demonstratio rei per signa sufficientia, per quæ animus tanquam in proprio existente centro quiescit, & vlteriùs inuestigare non curat. Semiplenum & dubitatum est, Præsumptio mouens animum ad aliquid credendum, donec contrarium probetur vel contrario iudicio elidatur. Indubitatum

2

tum dicitur illud, quod à *Lege* approbatum est, resultat ex pluribus dubitatis indiciis, & sufficit ad torquendum. Aliud est *proximum*, & aliud *remotum*. Proximum, quo posito, ponitur criminis effectus; & quo remoto, remouetur & ille: Remotum quod non respicit immediatè veritatem rei, sed circunstantias, vel quod non tangit negotium. Aliud est *leue*, aliud *graue*, aliud *grauissimum*, aliud *simplex*,
3 aliud *vrgens*, aliud *indubitatum*. Leuia sufficiunt ad capturam, & ad inquirendum, grauia ad transmittendum inquisitionem, & ad torquendum, grauissima
4 ad condemnandum. Leue est illud, quod frequenter & faciliter contingit abesse: graue quod frequenter & facilè contingit adesse. Alia sunt *necessaria*, alia *credibilia*, alia *verisimilia*, alia vero *non re-*
5 *pugnantia*. Necessarium, quod ex instrumento, vel alio simili continetur, & necessariò conficimus quod intendimus, & sufficit ad condemnandum. Credibile,
& Verisimile quod tantum ad torquen-
6 dum sufficit. Non repugnans, quod
7 sola suspicione, vel leui iuris præsumptione nititur. Alia sunt facti, alia sunt iuris: & alia iuris tantùm, alia hominis, alia Iuris & de Iure: vsque ad *n.66*.

Præsumptio variè pariter diffinitur à
8 DD. & ex dictis variis colligo esse verisimilitudinem veritatis necessariò non astringentem. Alia est *Iuris* tantum, alia *hominis*, & alia *Iuris & de Iure*. Præsum-
9 ptio Iuris est (omissis aliis) applicatio animi Legislatoris seu Iudicis ad verisimile, onus probandi contrarium transferens. Hominis verò est quidam conceptus causatus in mente ab aliqua præstabili coniectura, vel suspicio causata in animo Iudicis ex variis coniecturis, argumentis, vel mediis; quæ eius arbitrio remissa est, quia in ea non potest dari certa doctrina, cum nascatur ex variis causis. Iuris & de Iure est status à Iure promulgatus ex indubia coniectura: dicitur talis quando *Lex* super præsumpto firmat pedes, & statuit, nec probationem contrariam re-
10 gulariter admittit. Ex quo infertur quod si Statutum introduceret aliquod genus probationis, vellétque esse plenam probationem, diceretur præsumptio *Iuris*. Præsumptio *hominis* distinguitur in leuem, vehementem, & violentam. *Leuis*, in qua adest parua coniectura mali, &
11 multa boni. *Vehemens*, est applicatio animi boni viri ad rem valdè verisimilem. *Violenta*, ex qua animus iudicantis, in contrarium trahi non potest, nec eius intellectus in oppositam conscientiam verti, & dicitur aliquando Iuris & de Iure. Item
Alia est *temeraria*, & alia *probabilis*: 12
Temeraria, quæ oritur ex leui causa, & æquiuoca coniectura, vel ex depositione vilium personarum. Probabilis, quæ ori- 13
tur à grauibus personis & ex graui causa, vel coniectura verisimili. Item Alia est *naturæ*, alia *non naturæ*, sed ab humanis principiis sumpta: Ab humanis princi- 14
piis sumpta, quæ nascitur ab indiciis, & coniecturis, humana lege, & ratione probatis. Naturæ, quæ non ab hu- 15
mana ratione, sed à naturali ortum habet. Primæ datur exemplum de eo, quem probatum est exiuisse de domo, vbi fuit repertum cadauer vulneratum, vel occisum, cum ense nudo, & cruento: Secundæ, in muliere hac habente in mammis, ex quo præsumitur corrupta & grauida, vel enixa. Item Alia *necessaria*, alia *cre-* 16
dibilis seù verisimilis, alia *non repugnans*. Necessaria, quando aliquibus positis, necessariò inde efficimus quod intendimus. Credibilis, cùm aliquibus positis verisimiliter, & rationabiliter, non autem necessariò sequitur quod intendimus. Non repugnans, quæ est hominis: vsque ad 17
num.136.

Fictio pariter multis modis diffinitur: sed tradita à Bart. definitio secundum Au- 18
thorem est recepta: & est in re certa, eius, quod est possibile, contra veritatem pro veritate à Iure facta assumptio. Est triplex, nempe inductiua, priuatiua, & transla- 19
tiua, seù extensiua. *Inductiua*, quando *Lex* fingit quod non est: *Priuatiua*, quando è contra *Lex* fingit non esse, quod est; *Translatiua*, quando *Lex* fingit id, quod est vno modo, esse alio modo: & sic quælibet istarum fictionum ab efficienti causa nomen sortitur. Fictio inductiua, est in re certa, non existente possibili, & pro existente à Iure facta assumptio: Priuatiua est in re existente possibili non existere, pro non existente à Iure facta assumptio: Translatiua, seu extensiua, est in re certa vno modo existente, alio modo possibili à Iure facta assumptio: vsque ad *n.152*.

Coniectura quid sit? à DD. variè de- 20
scribitur. Author verò approbat definitionem Manticæ *in tract. de Coniect. lib.1. tit.1*: qui tandem dicit, quod Coniectura sit vera Sapientum opinio: dicitur à coniectu, id est directione quadam rationis ad veritatem. Vnum, & idem est cum præsumptione, eamdémque patitur diui- 21
sionem: ideò alia est *hominis*, alia *Iuris*, tantum, alia *Iuris & de Iure*. Hominis,

quæ in Iure non est expressa, sed Iudici committitur, vt inspiciat quid sibi videatur, & an aliquam fidem faciat.

22 Iuris est ea, quæ ab ipsa *Lege* inuenta, aut approbata est. Iuris & de Iure est dispositio legis aliquid præsumentis, & super præsumpto, tanquam sibi com-

23 perto statuentis. Diuiditur in leuem, grauem seù vehementem, & violentam. *Leuis* est idem ac præsumptio leuis: *vehemens* est, quæ ita adhæret animo Iudicantis, vt contrarium per-

24 suaderi vix possit. *Violenta*, quæ habet credendi necessitatem. Alia est *temeraria*, alia *probabilis*. Temeraria, quæ ratione caret, & longè à verisimili re-

25 cedit. Probabilis, quæ à verisimili deducitur, & quæ in ratione fundatur. Sed in proposito aduerte, quod non omne id, quod videtur probabile, est probabile: sed illa tantùm probabilia dicuntur, quæ sic videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & iis vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis: vsque ad *n.* 172.

Suspicio multiformiter diffinitur:

26 sed secundum *Bald.* est aliqualis animi applicatio ad aliquid, cum vehementi titubatione: seù secundum *Bart.* est quæ animum Iudicis aliquo leui argumento in aliquam partem inducit, non tamen excludit dubitationem, ideóque dicitur *Leue indicium*, & licet ad suspicionem probandam leuis sufficiat probatio, quia ex leuibus signis potest oriri, ea tamen signa debent plenè

27 probari. Diuiditur in *Leuem*, seù temerariam; *vehementem*, seù verisimi-

28 lem, & *violentam*. Temeraria est quædam animi passio cum præcisa extremorum ignorantia: & est quando ex leui aliquo indicio Iudex animum suum in alteram partem flectit, sed

29 cum dubitatione. *Vehemens* illa, quæ non ex leuibus, sed ex fortioribus oritur, & ex quibus Iudex animum suum in alteram partem inclinat cum modi-

30 ca dubitatione. *Violenta*, quæ nullam prorsus continet dubitationem. Ex quo, si indicia sunt admodum Leuia, faciunt suspicionem temerariam: si grauia, & vrgentia vehementem: si grauiora vehementiorem, & ad tor-

31 turam sufficientem. Vel *leuis* est, quæ oritur ex rarò contingentibus: *grauis*, ex frequenter contingentibus: *violenta*, ex semper contingentibus: vsque ad *num.* 193.

Opinio est idem quod vehemens, seu verisimilis suspicio: & est animi motus cum excitatione aliquid eli- 32
gentis; *vehemens* dicitur, quando ex probabilibus coniecturis, quis credit id, quod verum est, sed certò non scit? vsque ad *n.* 197.

Dubitatio non est propriè aliquis probationis gradus, sed est principium 33
inuestigationis, certitudinis, & fidei: si post dubitationem inclinetur magis in vnam, quàm in aliam partem, tunc cessat opinio, & intrat suspicio: vsque ad *num.* 199.

Argumentum est plurium collatio ad vnam conclusionem. Et in nostra 34
Legali scientia illud esse intelligimus, quod ex quibusdam, vel etiam multis priùs positis ducitur, & inde argumentamur quid sit: vsque ad *n.* 208.

Signum est id, quod sub sensu aliquo cadit, & quidquam significat. Ex 35
ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum: & tamen indiget testimoniis, ac maiori confirmatione. Signum aliud est *necessarium*, aliud *naturale*, aliud *non naturale*. Necessarium est illud quod necessitate legis impellente significat, vt nuptiæ, quæ Patrem demonstrant: *Naturale* est quod quasi naturale aliquid significat, vt nubes pluuiam, & fumus ignem. *Non naturale*, vt hædera ad designandum vinum venale, & his similia: vsque ad *num.* 213.

Adminiculum aliud est *vehemens*, aliud *non vehemens*. Non vehemens, 36
est aliqualis confirmatio rei probabilis. *Vehemens*, est suspicio, defectu probationis per se solum non operans, sed bene iunctum aliis. Et sic adminicula non vehementia non in totum supplent imperfectam probationem, sed aliqualiter: vehementia autem in totum supplent: vsque ad *n.* 217.

Indicium differt à semiplena pro- 37
batione, & tamen non debet esse minus quàm semiplena probatio ad torturam inferendam. Ea quæ in Ciuilibus faciunt semiplenam probationem, in Criminalibus faciunt indicium. Ex quo concluditur, quod siue agatur de indicio *proximo*, siuè *remoto*, plura argumenta, pluresque coniecturas, vel præsumptiones coniungi ad effectum torturæ infligendæ, & sic perficere semiplenam probationem. An ex dictis oriatur similis semiplena probatio, Iudicis arbitrio relinquitur. 38

Imò

Imò etiam quandoque coniunguntur ad condemnandum in pœnam extraordinariam, secus quoad infligendam corporalem. Et tandem pro complemento, & resolutione propositæ quæstionis conclude, quod licèt præmissa verba, Indicium, Præsumptio, Argumentum, & reliqua, de propria, & stricta significatione inter se differant, promiscuè tamen in *Iure*, & per DD. sæpissimè capiuntur, ac vnum pro alio nuncupatur.

EX QVÆST. XXXVII.

ARGVMENTVM.

Tortura sine præcedentibus indiciis inferri non potest, quando hoc verum? Quæ dicantur Legitima indicia? Quando indicia sint Iudici arbitraria? Vtrùm in atrocissimis possit Iudex Iura transgredi? An Reus non respondens, possit torqueri? An confessus vnum furtum, seù delictum, possit de aliis interrogari, & torqueri? Quomodo puniatur Iudex indebitè aliquem torquens? Quando vnus Testis de visu faciat indicium ad Torturam? Quot, & quales requirantur Testes in probatione indiciorum.

1 TORTVRA minimè inferri potest, nisi præcedant legitima indicia: & ad hoc, vt dicantur legitima, & sufficientia, debent esse verisimilia, probabilia; non leuia, aut perfunctoria; sed grauiora, & vrgentia, certa, clara, imò vt aiunt, & luce meridiana clariora; in tantum vt Iudex sit quasi certus de Delinquente, & nihil aliud sibi desit, quam
2 eiusdem Rei confessio. Debent esse plenè, & concludenter in genere suo per duos Testes probata. Tortura enim tractat de salute hominis, ex quo indicia ad eam infligendam non debent esse dubia, & æquiuera, & quæ multipliciter interpretari possint, non sumuntur ex iis, quæ ex accidenti contingere solent, non ex
3 verbis dubiis. *Remota* debent probari per duos Testes, etiam in crimine hæresis, quamuis vnus Testis sit omni exceptione maior: & licèt dicant multi requiri *proxima*, sufficiunt tamen *remota*: sed adminicula etiam leuia, & minima, sunt probanda per duos Testes. Testes inhabiles, & non omni exceptione maiores (quidquid Alij contrà) non probant indicia *remota*. Et sic firma etiam in atrocissimis: licèt admittantur ad probandum delictum principale. Testes singulares fa- 4
ciunt indicium ad Torturam, & coniunguntur, tribus concurrentibus. Primò, Si sint idonei, & omni exceptione maiores. Secundò, Si deponant super proximis maleficio; secus si super remotis. Tertiò, Si deponant super pluribus indiciis; secus si super vno, vel duobus: vsque ad *n.*42.

Indicium proximum dupliciter intelligitur: vno modo, quando Testis deponit 5
immediatè de ipso delicto: altero modo, quando non deponit de ipso delicto, sed de actu valde eidem delicto proximo, & valde delictum inferente. Primò igitur casu, probatur per vnicum Testem: secundò casu, non nisi per duos Testes. Et licèt indicia ad torquendum plura esse 6
debere dixerint aliqui; indicium vnum etiam remotum sufficit, si iungatur adminiculis, & valde inferat delictum; prout est confessio extraiudicialis, siuè res furata penès aliquem reperiatur. Oritur *indubitatum* ex eo, quod ex duobus rixantibus & inuicem se percutientibus, vnus reperitur vulneratus, vel occisus; etiam quod Testes non deponant se vidisse vulnerare, imò ex hoc solo indicio potest sequi condemnatio, quoad pœnam extraordinariam. Indicium tamen *proximum*, & immediatum ipsius delicti in quo Testis deponit immediatè per sensum visus, vel auditus, iuxta criminum qualitatem dicitur semiplena probatio ad Torturam sufficiens, etiam aliis non concurrentibus: quamuis Alij contrà: Et vnus Testis de visu, si sit omni exceptione maior, sine vlla prorsus macula, & vndique inuulnerabilis, sufficit ad Torturam: Et hæc est communissima, & magis approbata conclusio: licèt in contrarium Alij: vsque ad *n.*62.

In delictis occultis, & difficilis probationis, vnus Testis de visu etiam non omni exceptione maior, aliis concurrentibus, semper sufficit ad Torturam: præcipuè si torquendus, esset infamis, & malæ vitæ: imò Iudex habens amplum arbitrium torquere poterit ex dicto vnius Testis, non omni exceptione maioris. Alij contrà, & forsan veriùs. Tu cogita. Tortura non 7
potest inferri regulariter, nisi Legitimis præcedentibus indiciis, etiam à Iudice habente liberum arbitrium, & de Principis mandato: quamuis in atrocissimis, & quomodolibet exceptis, in quibus licet

Iudex

Iudex possit iura transgredi, hoc intelligitur in puniendo, non autem in procedendo. Posset tamen terrere verbaliter hominem sagacem, & carceri assuetum; non ligari, spoliari, vel duci ad locum Torturæ, eóque minus eleuari, vel leuiter torqueri, nisi saltem in processu adsint legitima indicia ad terrendum, vel leuiter torquendum, aliàs enim confessio inde emanata, esset nulla, & diceretur facta metu tormentorum.

Quæ procedunt, nedum in libero homine, sed etiam in seruo, nisi essemus in 8 delicto læsæ-Maiestatis, fraudati Census, Adulterij, Homicidij, Vxoricidij: Quinimo nec Iudici hoc est permissum de consensu Rei: & exinde confessio emanata, licet millies ratificata, nulla prorsus habetur, ac Iudex tenetur in Syndicatu, & punitur: at si in torquendo occidat, tenetur homicidij pœna: extendendo ad Iudicem etiam indebitè repetentem tormenta, & indebitè torquentem Testes, quamuis Reus fateatur delictum: Ipsique Iudici indebitè, vel sine indiciis torquere volenti, impunè resisti potest. 9 Et in tantum tenetur de morte Rei, vt illum non iuuet protestatio in decreto Torturæ: quod si Reus moriatur, an sibi, vel Rei pertinaciæ imputetur? vide vsque ad *n.* 119.

Sed pœna mortis imposita Iudici in- 10 debitè torquenti, hunc solum habet locum, quando sine indiciis, dolo, prece, vel præmio corruptus, aut ex particulari odio torqueat; secùs si per imperitiam, seù culpam; quia tunc mitiùs, arbitrio Iudicis punitur: & in dubio dolus non præsumitur, quamuis torqueat ex minùs legitimis indiciis, & Reus inde moriatur: hoc tamen casu si excesserit, non dolo, sed culpâ; ad damna, & interesse obli- 11 gatur. Et quia affectus non punitur, nisi secuto effectu, ideo torquens aliquem, aliquibus præcedentibus indiciis, sed non sufficientibus, quamuis excedendo, non tenetur pœnâ mortis, etiamsi Reus in tormentis defecisset, nisi dolo malo excessisset: vsque ad *n.* 130.

Iudex, qui legitimis præcedentibus indiciis torquet, nullâ pœnâ punitur, si ca- 12 su tortus in tormentis obierit: & in dubio, dolus, culpa, excessus, non præsumitur: ideo contrarium dicenti incumbit onus probandi. Verùm, quomodo probetur? 13 forma conclusiones: quarum *Prima* sit, quod quando in Actis apparent legitima & sufficientia indicia, dolus habeatur excluſus. *Secunda* sic, & pariter, quando torsit Reum iuxta modum solitum, in loco solito, & per ministros solitos. *Tertia*, quando probatur, quod tortus noluit 14 medicamenta sibi à Medicis ministrata sumere. *Quarta*, statur relationi Notarij, 15 quæ, & quanta fuerit inflicta tortura; & sic an per Iudicem fuerit excessum, vel non? respicienda est scriptura Notarij. *Quinta*, excessus, & non excessus torturæ probatur Medicorum relatione. *Sexta*, probatur excessus, vel non excessus, per illos de domo, de carcere, & de loco, vbi fuit tortura adhibita. *Septima*, quod si rudens, trabs, aut funiculus fractus fuerit, & torti crura fregerit, aut casu tortus obierit, Iudex isto casu in nulla dicitur esse culpa, si illum torserit in loco solito, & modo consueto. *Octaua*, dolus præsumi 16 tur in Iudice, si ad torturam deueniat de facto. *Nona*, si Iudex non interueniat, & assistat torturæ, & Reus deficiat, tenetur pœna extraordinaria. *Decima*, ad proban- 17 dum dolum Iudicis, coniecturæ clariores, & euidentiores esse debent, quàm contra alios. E contra Iudex, qui non torquet quem torquere debet, tenetur in Syndicatu. Non autem tenetur de indebita tortura, quando tortus fateatur, se legitimè fuisse tortum: vsque ad *numerum* 180.

In delictis occultis, & difficilis proba- 18 tionis, prout sunt proditiones, tractatus qui secretè fiunt, delicta de nocte, seù aliàs clam commissa, Furtum, Falsum, Adulterium, Simonia, Sodomia, Stuprum, Venenum, falsa moneta, Delictum à multitudine personarum commissum, (quidquid DD. inter se decertent;) veritas est, quod indicia leuiora ob probationis difficultatem, reputantur legitima. Et mandatarius Assassinij potest absque aliis indiciis torqueri ad indicandum mandantem, etiam quod non sit persona vilis: sic & custos rerum furto subtractarum, 19 potest absque aliis indiciis torqueri ad indicandum furem, de quo verisimiliter notitiam habet, si sit vilis, & malæ famæ; secus è contrà: sic & Custos alicuius Ci- 20 uitatis, Castri, vel loci, potest torqueri, si sit vilis conditionis ad indicandum furtum commissum in loco, cuius custodiam habebat: quare furto commisso in Hospitio, seu Taberna, torquentur domestici, & famuli Hospitis, si sint viles, & malæ famæ; facto domi, torquentur domestici & soliti ibi versari, si pariter sint viles, & malæ famæ. Bannitus verò Contumax, si 21 compareat, absque aliis indiciis potest torqueri. Sic & vxoricida, & leuioribus præ-

sumptiuis

sumptiuis indiciis, torqueri potest: vsque ad *n.*163.

Fur, qui confessus est vnum furtum,
22 potest sine aliis indiciis torqueri, dummodò fur sit insignis, & diffamatus, & tortura sit moderata: & tamen confessio inde emanata non sufficit ad condemnandum, sed tantum ad inchoandum nouum processum ex quo
23 furta confessata verificentur. Ex Bulla autem Pauli III. *Bullar.p.*1.*fol.*472. Cauetur non posse torqueri super aliis, nisi habitis indiciis, & omni casu Tortura debet esse moderata, non autem excessiua: vsque ad *n.*175.

Reus, qui interrogatus à Iudice no-
24 luerit respondere, vel si respondeat, non præcisè respondeat, potest torqueri ad præcisè respondendum: & quamuis dolore commotus fateatur delictum, & affirmatiuè respondet, talis confessio, etiam quod emanauerit sine indiciis, est valida, & ex ea potest sequi condemnatio, quamuis valde sit dolore commotus: nec est concedenda dilatio ad præcisè respondendum, nisi velit respondere inquisitioni formatæ; vel nisi diceret, *non recordor*, & esset interrogatus, non super delicto, sed super circumstantiis; quia tunc debet concedi terminus competens ad deliberatè respondendum. Licèt Alij
25 contrà. Potest etiam torqueri ad præcisè respondendum super circumstantiis substantialibus, & pertinentibus ad delictum, etiam quod non percutiant proprium delictum: & ita passim practicari asserit Author. At si nullatenus velit respondere, potest cogi per torturam: siuè interrogatoria contineant delictum, aut eius substantiam, siuè non; dummodo adsint indicia, & constet de corpore delicti. Sed hæc
26 non haberent locum, quando verisimiliter Reus non recordaretur de eo, quo interrogatur, quæ verisimilitudo arbitrio Iudicis remittitur. Sic quando haberet aliquam legitimam causam non respondendi, putà, quia esset infirmus, febri laboraret, aliquo doloris capite affectus, seù congruo tempore Iudex se declararet suspectum, quod facere potest. Et omni casu, tortura debet esse moderata, non excedens
27 quartam horæ. Hæc procedunt in delictis atrocibus: secus in leuibus, in quibus consilium erit, quando Reus non respondeat, vel non præcisè respondeat captis pignoribus mulctare, si facta monitione sub pœna, contumax extiterit in respondendo, seù eumdem monere sub pœna confessatorum criminum: quæ bene nota, & in practica serua: vsque ad *n.*192.

Indicia ad torturam, sunt Iudici arbitraria. Alij contra sentiunt. Retentâ 28
primâ opinione, illam limito, dummodo Iudicis arbitrium sit à Iure, & ab æquitate regulatum, & dummodo arbitretur vt bonus vir: quia licèt indicia sint arbitraria, debent esse Iure regulata, & Iudex arbitrium suum inclinare in mitiorem partem. Quando enim aliquid committitur, arbitrio alicuius, intelligitur de arbitrio boni viri, qui debet se conformare *Iuris Communis* dispositioni, & *Legem* seruare: vsque ad *n.fin.*

EX QVÆST. XXXVIII.

ARGVMENTVM.

Tortura in quibus casibus non inferatur, etiam quod legitima præcedant indicia; & de pluribus considerationibus per Iudicem habendis antequam ad torturam deueniat. An à Decreto torturæ detur appellatio, quomodóve, & per quantum tempus Reus possit torqueri, vel in tormentis repeti.

QVIA tortura regulariter non
infertur nisi præcedentibus in- 1
diciis, vt *suprà* demonstratum est, modò videri debet, etiam quando indiciis existentibus inferri non possit. Non in- 2
fertur ergo, nisi constet de corpore delicti, nisi existentibus indiciis, & eorum data copia, Reo posito ad *Largam*, datóque competenti termino ad se defendendum: Non infertur insu- 3
per, nisi in causis, vbi pœna corporis imponitur, ac præcedenti Decreto interlocutorio, in quo extendantur indicia, ad torturam inferentia.

Ab isto Decreto datur appellatio, qua interposita, Iudex ligatas manus habet, & tàm de Iure Ciuili, quàm de 4
Canonico, debet supersedere: quoniam si secus, confessio inde emanata prorsus nulla erit, & inanis. Similis appellatio interponitur quandocunque ante illatam torturam, dummodo non sit friuola, & calumniosa, quam

esse

esse talem Iudex arbitrabitur, si ex processu legitima appareant indicia, non purgata per defensiones. Non torquetur Reus, nisi steterit ieiunus, saltem per decem horas. Iudéxque debet considerare, quod non omnes Rei sunt æqualiter torquendi, sed grauius, aut leuius, secundum delictorum qualitatem. Et ad hoc venit in consequentiam scire, quot sint gradus torturæ.

6 Primus ergo erit *Terror*, qui comprehendit minas de torquendo, deductionem ad tormenti, spoliationem, & ligationem. Secundus, *eleuatio* in tormentis, & retentio ibidem per aliquod spatium. Tertius, quando vltra torturam, & retentionem in suspenso, datur *quassatio* vnius, vel duorum ictuum funis: potéstque ligatura multum atrox æquiparari secundo gradui.

7 Altera fuit DD. opinio, asserentium dari quinque gradus in tortura. *Primus* continens in se multas minas. *Secundus*, deductionem ad locum tormenti. *Tertius*, spoliationem, & ligationem. *Quartus* eleuationem in eculeo. *Quintus*, quassationem.

8 Verùm magis recepta opinio, & hisce temporibus seruata, ad quinque pariter gradus Torturam extendit. *Primus*, quando Iudex mandat Reum spoliari, ligari, & funi applicari: & isto vtitur, quando indicia sunt leuia, nec ad plenam torturam liberè sufficientia, seù in personas debiles, & pusillanimes. *Secundus*, quando Reus in tortura eleuatur, ibique detinetur modico tempore, scilicet per spatium vniùs *Aue Maria*, vel vnius *Miserere*, ad summum: istóque vtitur Iudex, quando indicia non sunt plena, & propinqua, vt ad grauiorem torturam sufficiant. *Tertius*, quando detinetur Reus in tormentis spatio duorum *Miserere*, vel paulò plus, absque quassatione: & hoc vtitur quando indicia sunt plena, ac plenè probata; sed tamen delictum non est atrox: vel si atrox, Reus est Nobilis, honestæ vitæ, bonæ conditionis, & famæ. *Quartus*, quando detinetur in tortura, vel per quartam partem horæ, vel per tertiam, vel per mediam, vel per duas tertias, aut etiam per integram horam, data quassatione duorum, vel plurium ictuum funis:

9 & ad hanc torturæ speciem Iudex nunquam deuenire debet, nisi indicia sint vrgentia, & benè probata, & Reus sit suspectissimus, & habeat membra robusta & crimen sit atrox, & scandalosum, vt putà furtum magnæ rei, turpe sacrilegium, sacrorum abusus, homicidium graue, falsitas litteratum Apostolicarum, & similia. *Quintus*, quando Reus in tortura suspensus, pertinaciter negat, & tormentum paruipendere videtur: tunc Iudex, vltra ictus, & quassationes, mandat eius pedibus alligari vel compedes ferreos, vel aliud simile pondus; & istud 10 tormenti genus, cùm seueriſſimum sit, ex quo corpus dilaniatur, & membra scinduntur, inferri non debet, nisi in atrocissimis delictis: scilicet Hæresis, læsæ-Maiestatis, Euersionis Status, ingentis Assassinij, enormissimi Homicidij alicuius Cardinalis, seù alterius Magni Principis: vsque ad *n.* 52.

Iudex, & in modo, & in tempore mo- 11 deratè debet torquere Reum, ita vt remaneat saluus, & illæsus. Quoad tempus non sibi licet torquere, nisi per horam, etiam quod simus in *quarto* gradu Torturæ. Et quando essemus in *quinto*, nisi 12 per horam, vel paulò plus: scilicet non excedendo quartam partem secundæ horæ. Quoad genus tormentorum, non licet noua tormenta excogitare; quidquid Alij dixerint: sed hactenus inuentis, & à bonis, piisque Iudicibus adhiberi solitis vti.

Author in proposito quinque tormen- 13 torum genera enumerat, quæ si excedantur, Iudicem tanquam Reum posse capite puniri testatur; si delinquens in nouo tormentorum genere inuento è vita migraret.

Primum tormentum est *funis*, quo nullum magis est in vsu de lure, ac consuetudine approbatum. Si inferatur chorda 14 subtili, maius tormentum infert: & quandoque solet dari tantùm vna manu ligata, si altera manus aliquo impedimento esset affecta: & ad hoc, vt istud tormentum maiorem inferat cruciatum, & in atrocissimis quandoque aquâ frigidâ dorsum aspergitur, & dicitur tormentum exquisi- 15 tum: nec hodie, vt plurimùm seruatur, sed quando delictum esset atrocissimum, & Reus tormenta paruipenderet, solent iubere Iudices, vel compedes ferreos, vel aliud pondus pedibus alligari seu appẽdi, vel quandoque mandant Reum de tortura deponi in sede lignea, donec videatur refectus, & inde iterum eleuari quod est tormentum initerabile. Aliqui verò Iudi- 1 ces immanes, qui potiùs Carnifices vocari debent, ad pedes istorum in fune eleuatorum, mandant agnum viuum ligatum apponi, qui continuo motu agitatus, Reo miserabili indicibile tormentum affert:

affert: & hoc forsan esset vnum ex nouis tormentorum generibus ab Authore inculcatum.

17 Secundum Tormenti genus est, quod vulgariter nuncupatur *della Stanghetta*, seù *Taxillorum*, quo Iudex vtitur in subsidium, quando aliàs tormentum funis inferri non potest, quia in hoc tormento pauciſſimi sunt fassi.

18 Tertium tormentum dicitur *Sibillorum*, quo vtitur, vel in pueris, vel in mulieribus, & leuibus delictis.

Quartum est, *Ignis*, quo retroactis
19 temporibus sæpissimè vtebantur: sed hodie fere recessit ab aulâ, & in eius locum successit tormentum *Vigiliæ*.

20 Quintum in vsu est tormentum prænominatum *Vigiliæ*, cuius *Marsilius* inuentor fuit, ac retractis temporibus dabatur, faciendo sedere Reum in sede lignea, seu scamno, adstantibus Custodibus per horas quadraginta, eumque aqua frigida aspergendo, ne obdormiat: Verùm hodie scamnum huiusmodi, quod aliqui *Capram*, aliqui *Equum* nuncupant, eleuatur à terra, ad staturam vnius hominis, illiusque summitas non plana, sed in medio aliquantulum altior: Ex altitudine quatuor pendent latera vnius palmi cum dimidio circiter pro
21 quolibet latere: Ponitur in hac summitate Reus denudatus, & vndique ligatus, manibus retrò vinctis, & funi supra scamnum desuper existenti applicatus, brachiis ab eadem fune extensis, vel in totum, vel in partem, provt Iudici videbitur. Ibidem detinetur, vel per quinque, vel per decem horas, quandoque etiam plus, Iudicis arbitrio: à quo tormento tamen caueant boni Iudices, nisi aliàs delictum esset horrendum: quia maximum est, crudele, & potius aptum Infidelibus, quàm Christianis: ità Author, vsque ad *n.* 72.

Tortura non debet repeti, nisi noua
2 superueniant indicia, etiam in atrociſſimis: Et licèt aliqui dixerint, hoc non esse seruandum; non recedas, sed dicas, Iudices malefacere, si secus faciant; quinimò pro repetitione indicia debent esse euidentiora, & fortiora primis, nec non diuersi generis; adeo vt confessio extorta in repetitione tormentorum nihil valeat. Benè verum est, quod si prima vice Reus non esset sufficienter tortus, vel indicia essent grauissima, & vrgentissima, quia tunc non dicerentur purgata per tormentum vnica vice illatum, repeti posset Tortura in personam robustam, æquè animo & corpore duram, si prima vice resistentiam fecerit, & vtroque casu hoc Iudicis arbitrio esset remissum: regulando tamen iuxta Iuris dispositionem, non ex propria cerui-ce.

Torqueri potest etiam Reus, qui in 23
tortura fassus est, & deinde nolit suam confessionem ratificare: hic namque iterata vice torquendus, qui si in negatiua persistat, est relaxandus, nisi indicia prima non fuissent benè purgata, quia tunc etiam quod in non ratificando persistat per vnam vicem in repetitione, potest iterum torqueri, nec extra ordinem puniri, vt aliqui voluerunt. Si verò Reus 24
in repetitione iterum fateatur, & ratificare noluerit, iterum torqueri poterit, & sic vsque ad tertiam vicem, nec vltra; licèt quandoque, sed rarò, in atrociſſimis, vsque ad quartam vicem tormentum repetatur. Sed si reuocet confessata 25
dicens insuper, quod confessio fuerit erronea, & intelligat talem errorem probare, tunc iterum non torquetur, sed ponitur ad *largam*, cum termino ad probandum dictum errorem; & hoc nullam habet difficultatem: licèt Alij contra. Ego verò vidi practicari, & quando- 26
que fui expertus in quodam Sicario, aliàs de Anno 648. dum tamquam Iudex Bardicofori assisterem, vbi quidam de homicidio pecunia commisso, fortiter indiciatus, & ex dictis indiciis tortus, statim confessus fuit; sed inde cùm ratificare noluerit, iterum funi applicari mandaui, & illicò statim denuò confessus est, sed postmodum in ratificatione negauit; quare tertia vice in tormento eleuatus, & pariter confessus, cùm iterum ratificare nollet, fui in voto condemnandi ad triremes per quinquennium, & obtinui ab Illustrissimo Domino Vniuersarum Legionum Militiæ Magni Ducatus Herruriæ Auditore, sicut fuit transmissus. Repetitio verò non de- 27
bet fieri eadem die, sed altera, & sic interpolatim: debet procedere protestatio: & vltra tres vices non est infligenda. Die feriato tortura non potest inferri: & licet hoc alicubi & ab aliquibus non seruetur; attamen Iudices timentes Deum, ob eius reuerentiam, vtique seruant.

***

EX QVÆST. XXXIX.

ARGVMENTVM.

Tortura quando possit inferri, denegatis defensionibus & copiis indiciorum.

REGVLARITER, nisi priùs
1 concessâ copiâ indiciorum, & defensionibus assignatis, cum dilatione competenti, etiam triplicata, & quandoque quadruplicata, non infertur. Hæc verò non seruantur, quando Iudex videret tumultum in Populo ob
2 retardationem punitionis delinquentis, siuè quando dilationem reuocasset, vel sibi reseruasset ius ad vlteriora procedendi, vt *Author* testatur practicari in Curia Gubernatoris Vrbis, vbi in delictis notoriis, in quibus nulla potest cadere defensio, conceditur terminus trium dierum cum clausula *plus, & minus, arbitrio ipsius Iudicis*: qua etiam dilatione pendente, ad vlteriora procedi-
3 tur. Quando autem pendet dilatio data ad defensam, Reus poni debet in publicis carceribus, cum facultate alloquendi, & consulendi Aduocatum, Procuratorem, & Amicos. Sed in delic-
4 tis atrocissimis, & causis arduis, si ità Iudici videbitur, etiam in secretis carceribus defensio assignatur, commoditate alloquendi impartita. Quæ dila-
5 tiones, & copiæ, nec etiam possunt denegari à Iudice, habente quodcunque liberum & absolutum arbitrium, seu potestatem procedendi sine Iuris solemnitate: quinimò, nec à Principe de absoluta potestate: siquidem, quando
6 expressè mandaret, Reo defensiones tolli, hoc esset intelligendum de defensione *ciuili*, non de *naturali*: de friuola, & leui; non autem de substantiali. Et
7 licèt nec à Statuto defensio tolli potest, potest tamen restringi quoad illius formam; quo casu debet strictissimè intelligi, vt minus lædat ius cõmune: eóque minùs hoc potest facere Consuetùdo: quia licet pluribus in locis practicetur de Consuetudine Reos torqueri
8 ex solo Processu informatiuo, denegatis defensionibus, vt in Ciuitate Neapoli, attamen hoc procedit contra Latrones insignes, & enormissima ac atrocissima delicta committentes, nec habet locum, quando petens copias indiciorum, offerat se probaturum tale quid, quo probato cesset tortura: vsque ad *n.* 32.

Tales defensiones assignantur etiam 9
conuicto: & siue spontè, siuè per torturam confesso: ac generaliter, vbi defensio non datur, ibi non potest ad condemnationem deueniri: & licèt Alij contra, non recedas: Imò (quidquid aliqui malè senserint, seu distinxerint) quo siue Reus confessus, siue conui- 10
ctus sit, numquam possit condemnari, nisi eidem ex Officio per Iudicem, & non petenti, concesso termino ad se defendendum; quamuis agatur de delictis atrocissimis, & Inquisitus, sit aliàs malæ conditionis, & famæ; quamuis esset excommunicatus, ac ipse Diabolus in Iudicio. Quæ in tantum seruari 11
debent pro communissima opinione, vt nec etiam ipse Reus suis defensionibus renunciare possit: & si renunciet, talis renunciatio non valeat: quamuis fieret adiectâ causâ; scilicet, quod certò sciat, sibi nullam competere defensionem; licèt possit talis renunciatio admitti quando verissimè appareret, nullas 12
competere defensiones, & versaremur in delictis notoriis, seu in Reo reperto in flagranti, in Assassino, vel famoso Latrone; aut ageretur de pœna pecuniaria non irrogante infamiam, vel defensiones essent introductæ à Statutis, vel essent de apicibus Iuris, præter ius naturale, vel Gentium. Nunquam ergo sunt denegandæ defensiones, etiam quod Iudex timeat de subornatione 13
Testium; quo casu tamen posset restringere modum liberæ allocutionis, eâdem interdictâ præterquàm in præsentia fiscalis Notarij, seu alterius Deputati; etiam quod procedatur ex Officio, & per inquisitionem, ita vt à denegatis defensionibus non solum detur appellatio, sed etiam Iudex teneatur in Syndicatu, & puniatur vt homicida: vsque ad *n.* 74.

Et quidquid Alij dixerint, verius 14
est non esse denegandas, quamuis Reus non exprimat qualitatem defensionis, & siue interrogetur à Iudice quam defensionem habeat, siue non. Potest enim Reus se defendere in qualibet Iudicij parte, suámque innocentiam probare quocunque tempore, nedum in termino probatorio per Iudicẽ assignato, sed etiã post Testium publicationem: quinimò etiã post sententiã,

saltem

saltem ex Iudicis Officio: quia licet post sententiam ex Gloss. *in L vnius, §. cogniturum, ff. de quæst.* videatur non audiri; attamen quando defensio recipitur Iudicis Officio directè, & immediatè, & sic euidenter, absque dubio admittitur, adeo vt in præmissis, si denegatis defensionibus sequeretur Tortura, confessio inde emanata non valeret cum omnibus inde secutis. 16 In copia verò indiciorum sunt danda nomina Testium pro Curiæ informatione examinatorum: licèt in Ciuitate Venetiarum aliqui contrarium practicari testentur: Verùm de Iure conclusio præmissa vbique procedit; & in eius confirmatione in Statu Ecclesiæ adest *Bulla* Pauli III. *Bullarium part.* 1. *Constit.* 58. 17 Et licèt dicatur non procedere, quando Processatus esset Potens, & taliter Potens, vt periculum esset, ne offenderet Testes examinatos; attamen in terminis nulli prorsus petenti denegatur copia, præterquam in Hæresi; 18 in qua Testium nomina dantur in confuso, vel exprimuntur, ex eo, quod si nomina publicarentur, cùm agatur de graui periculo Catholicæ Fidei, nemo examinaretur: vsque ad *n.* 90.

Et non solùm danda est copia indiciorum, 19 sed etiam Actorum, eorum scilicet, quæ fiunt coram Iudice per viam contentiosæ Iurisdictionis, & quæ fiunt per modum voluntariæ. Et quamuis contendatur per Doctores vtrùm sit danda etiam Reo non petenti, attamen *Author* indistinctè tenet, quod etiam si Reus carceratus, sit Doctor, Iurisperitus, prudens, & sagax; quia in carcerationibus, & examinibus, quò sumus prudentiores, & sagaciores, eò magis alieno consilio indigemus, est danda: quidquid Alij contrà: vsque ad *n.* 102.

In crimine Blasphemiæ voluerunt multi 20 denegandam esse: eo quod in hoc crimine nulla cadat defensio: verùm quidquid dicant, tutius, æquius, & practicabilius est concedere: cùm possit adeo excusari, vt saltem euitet pœnam ordinariam: quod intellige, dummodo crimen non sit notorium, & blasphemia coram multis emanata.

Obserua tamen defensiones denegari posse, quando certum esset, nullas competere; quia viderentur petitæ per calumniam: vt putà in notoriis, & in omnibus aliis criminibus inferiùs propositis, & in *Iure* expressis; quia aliàs esset in potestate Iudicis, quandocunque defensiones tollere sub colore calumniæ vitandæ se tuendo. Crimina autem, in quibus defensio negari potest, si sint notoria, & probata, sunt insignis furti, & latrocinij, Sodomiæ, licèt in hoc contrarium seruetur, etiam quod sit conuictus & confessus, quia poterit saltem excusari à pœna ordinaria. 21

In Teste torquendo, ei defensiones denegantur, si tamen tanquam Testis torqueatur, nec vlla ei defensio competat: quod si torqueatur tanquam seruus criminosus, seu aliàs infamis, tunc defensio dari debet, quia disputandum est, an sit talis, nécne: verùm si esset socius 23 criminis, aut principalis quoad se, & Testis quoad alios, torqueri posset; ea ratione, quia in mixtis semper attendi debet id, quod magis fauorabile est: vsque ad *num.* 154. 22

Copiæ indiciorum non dantur, nisi publicato processu: quamuis aliquando 24 à Iudicibus idem processus ostendatur Accusatori, vt melius sciat Fisci partes tueri: quod tamen non practicatur, nisi ex magna causa, & in atrocibus. Quod si delinquentes sint plures, quorum vnus 25 carceratus, reliqui contumaces, detento & carcerato copiæ denegantur, donec contumaces condemnentur; licèt aliquo in loco practicetur, dari copias, deletis nominibus consociorum: sed hoc valdè periculosum, nec seruandum: quia, aut tollerentur defensiones, aut Fiscus decipi posset à Reo, discendo plus, quàm scire deberet, ratione contumacium. Prædictæ copiæ verò traduntur 26 expensis Petentis: (quidquid Alij contrà) nisi Petens esset pauperrimus; quia tunc gratis deberentur: præcipuè ex *Bulla* Pij IV. *part.* 1. *fol.* 756. Et quidquid sit ante Torturæ inflictionem, in repetitione, 27 & continuatione torturæ, vbi repetitioni sit locus, defensiones denegantur, tanquam calumniosè petitæ; nisi ante torturæ repetitionem, Reus aliquid deduceret, & allegaret. Quod si verum 28 esset, illius innocentiam detegeret, seù quando tortura esset danda non ex antiquis indiciis vrgentibus, sed ex nouiter acquisitis, vel quando Reus tortus, & confessus, nolens ratificare suam confessionem, allegaret esse erroneam, & se offerret probare: vsque ad *n. fin.* 166.

***

EX QVÆST. XL.

ARGVMENTVM.

An conuicto debeat dari tortura? & si detur, an per torturam illatam censeantur purgata indicia, & plenæ probationes.

1 TORTVRÆ tanta vis est, vt in ea persistens quidquid dixerit, vel negando, vel fatendo, puram veritatem dixisse præsumatur: quare per torturam esse purgata indicia, ante torturam labo-
2 rantia, nemo contradicit. Sed, an per torturam censeantur purgata indicia vrgentia, & indubitata? Doctores non conueniunt. Et licèt certum sit tortu-
3 ram esse remedium subsidiarium, ideóque non eo vtendum, quando adsunt plenæ probationes; quinimo Iudicem ita torquentem in Syndicatu teneri; attamen, si præminis non obstantibus, Reus grauatus vrgentissimis & indubitatis indiciis, vel etiam probationibus plenis conuictus, tortus fuerit, & perstiterit, vtrùm censeatur liberatus, néne? Varij varia dicentes, & inter se penitùs diuersi, vtramque partem singuli tuentur; sed quod sit liberatus, commu-
4 niter & verior opinio est: Declarando tamen, vt mox subijcitur. Et ex præmissis, Regula firma remanet, quod tortura non solùm purget indicia, & ea quidem vrgentia, seù indubitata, verùm etiam plenas probationes. Et licet
5 aliqui dixerint de sententia Bald. Regulam non procedere, quando conuicto tortura daretur, ne Confessus posset appellare; verius est, & in practica seruatur contrarium, & aliàs facere val-
6 de ridiculum esset. Verùm (quidquid Alij sentiant) si torqueretur Reus conuictus plenis probationibus, quod tamen nunquam est faciendum, tunc, inquam, poterit iste Reus, si in tortura perstiterit negando, in aliquam pœnam extraordinariam, & corporalem, putà, triremium perpetuarum, vel ad tempus, condemnari: & ità communius est, & in practica receptum. Sed, si
7 tortura esset durissima, ac ex ea plenè purgata indicia viderentur, non posset condemnari, si ad mensuram indiciorum tortus fuisset: quoniam si indicia plura vrgent, & versaremur in delictis atrocibus, & tortura fuisset modica, vtique condemnatio in pœnam extraordinariam sequi posset: provt ego seruaui de Anno 1649. Chisij contra quemdam 8
Clanceanensem inquisitum ob stupratam virginem priuignam, & inde occisam vna cum partu ex ea nato, nè delictum adeo graue detegeretur: quare ex multis vehementibus indiciis tortum, funis tormento ferè per horam, & persistentem, ad triremes per quinquennium condemnaui: meo voto assentiente Illustrissimo Domino Marcello de Pretis Generali Militiarum Auditore pro Serenissimo Magno Duce Hetruriæ Domino meo Benignissimo.

Non procedit iterum Regula, quando tortura infligitur, non super delicto, 9
de quo Reus est conuictus, seù confessus, sed pro vlteriore veritate habenda super aliis, seù ad habendum qualitates delictum aggrauentes, vel socios complices, mandatores, consultores, fautores, receptatores, seù alios participes, 10
iuxta facti contingentiam: quia iis casibus, facta protestatione per Iudicem, quod non intendit super delicto principali torquere, vtique potest condemnari etiam ad pœnam ordinariam delicti: Sed si protestatio esset contraria facto, 11
scilicet, quod Reus interrogaretur super delicto principali, vel aliàs super iis, de quibus prætenditur conuictus, tunc protestatio nihil operaretur, & per torturam purgarentur probationes. Et in proposito, protestatio dicitur contraria fa- 12
cto, non solum quando Reus interrogatur super delicto principali, sed etiam quando interrogatur super illius qualitatibus, quamuis interrogaretur oretenus, vel quando non specificato per Notarium interrogatiuo, dicatur solum, *& ad opportunam Domini interrogationem respondit*: quia tunc, si responsio Rei tangat principale delictum, super eo à Iudice præsumitur interrogatus: & idem quando Iudex in tortura interrogat, seù 13
monet Reum ad dicendum veritatem, si Reus respondeat negando principale delictum, interrogatio præsumitur facta super eodem principali delicto. Et demum dicas, quod tunc admittatur ta- 14
lis protestatio, quando tortura super aliis inferri possit, & esset moderata; aliàs esset absoluendus etiam super principali delicto, vel saltem tantùm extraordinem condemnandus; vt testatur Author practicatum fuisse Romæ de Anno 1575. Reus autem potest super

complici

complicibus · & qualitatibus torqueri, quando de principali delicto est vel confessus, vel conuictus, vel condemnatus;
15 aliter secus.

EX QVÆST. XLI.

ARGVMENTVM.

Tortura quibus personis inferri possit, & quibus non.

TORTVRA omnibus personis inferri potest, nisi expressè à Iure prohibitæ reperiantur, siuè Laici sint,
1 siuè Clerici, & Sacerdotes. Licèt enim aliqui voluerint, Clericos non posse torqueri, tamquam milites cælestis militiæ: veritatis tamen est in contrarium, præsertim in crimine læsæ-Maiestatis, hæresis, Veneni,& sepulchri violati. Et quamuis
2 multi pariter generaliter voluerint, Clericos non posse torqueri; alij verò distinguendo dixerint, quod solum torqueantur, si de delicto, pro quo inquiruntur, vltra legitima indicia sint diffamati; *Author* indistinctè posse torqueri profitetur, & bene comprobat, sed requiri indicia grauiora, quàm contra Laïcos, & quæ de *Iure* requiruntur. Quo verò ad genus tormentorum, & tempus tormenti, nulla prorsus inter eos, & Laïcos, datur differentia. Quidquid autem nonnulli senserint, Clericos à Laïcis non posse torqueri, etiam de mandato Epis-
4 copi: Contrarium de consuetudine seruatur: quia aliàs delicta remanerent impunita, cùm difficillime Clericus inueniretur, qui officio Birruariorum fungi vellet; & ideò ita serua de Communi: vsque ad *num.* 16.

Minor quatuordecim annorum non torqueri, sed tantùm terreri, ferula cedi, vel alio leuiori tormentorum genere af-
5 fligi potest: & de practica, tormento sibilorum supponitur: verùm si esset infans, nullo modo torquendus est. Et è contra, si esset maior quatuordecim annorum, licet minor viginti, & terreri, & torqueri posset, attenta qualitate personæ & delicti, dummodo leuis tortura inferatur. Quinimò si Statutum habilitaret minorem quatuordecim annorum ad testificandum, adhuc torqueri posset leuiter
6 tantum.

Senes decrepiti non torquentur; & si secus fiat, confessio exortura sic indebitè illata, nulla prorsus erit. Decrepitus ad hoc dicitur septuaginta annos habens, 7
& licet non sit Septuagenarius, sed tamen imbecillus, seù infirmus, adhuc torqueri non potest: quod totum est remissum Iudicis arbitrio vsque ad annos septuaginta: & hoc est pura veritas. Quocumque verò casu, potest terreri.

Milites antiquitus de Iure torqueri non poterant, sed de practicatissima opinione, & seruatissima consuetudine per totam, 8
Italiam indiscriminatim torquentur, nulla habita differentia, siue sint Equites, siue Capitanei.

Doctores quoque, siue sint Aduocati, siue Legentes; quidquid multi negent, distinguant, & disputent; indistinctè tor- 9
quentur, præcedentibus legitimis indiciis, nec aliter in iudicando seruatur.

Decuriones, Priores, & Conciliarij Ciuitatum quotidiè, & indistinctè capiuntur, & torquentur, non solum finito 10
Decurionatus officio, sed etiam eo durante, si delicti qualitas id patiatur, & ob moram in expectando finem Officij,inferatur fisco præiudicium:quidquid per DD. disputetur, & controuertatur: vsque ad *num.*70.

Generaliter verò Positi in aliqua magna Dignitate, qui ob eam possint *Illustrissimi*, seu *Clarissimi* nuncupari, mi-
nimè torqueri possunt, ex recepta Practi- 11
ca: extendendo ad existentes in aliquo magno Magistratu: & magis generaliter etiam ad personas *Nobiles*, nisi contraria adesset Consuetudo, quâ datâ, grauiora indicia requiruntur. 12

Mulier prægnans, ob periculum partus; imò etiam post partum per quadraginta dies infra, non torquetur. Extendendo etiam ad non grauidam, sed lactantem, quando puero iam nato, nulla 13
alia reperiretur nutrix quàm eius mater. Et hoc procedit, quamuis esset prægnans ex coitu damnato, & esset in principio prægnantiæ: putà infra decem, vel viginti dies post fœtum conceptum: sed si dubitaretur, an esset prægnans, necne; qui ei non creditur, adhiberi debent obstetrices, & Medici, qui de credulitate de- 14
ponant super prædicta prægnantia, & secundùm eorum relationem procedere.

Similiter, qui est Reipublicæ vtilis, torqueri non debet quamuis contra eum legitima præcedant indicia, si versemur 15
in casu, quo vel ex tortura mors sequi posset, vel taliter cruciaretur, vt ex ea debilitatus euaderet in aliquo membro, seù aliàs efficeretur inutilis.

16 Mutus, & surdus à natura, nec torquetur, nec damnatur: verùm de hoc vide *infrà, q.94.cas.17.*

17 Episcopus non torquetur, licet contra eum indicia sint vrgentissima, vel grauissima: quia hoc casu tantùm extra ordinem punitur. Infirmus, seù Valetudinarius, aut aliquo membro debilitatus, torqueri non potest, nisi habita relatione Medici iurata, testantis, hoc fieri posse absque periculo: vsque ad *n.93.*

18

Seruus non potest in Dominum torqueri: quod quando verum sit, necne? *Author* te remittit ad Carrer. *in pract. Crimin. tract. 2. §. circa tertium: num. 2.* Et generaliter si torqueatur non torquendus, confessio eiusdem, licet ratificata, non valet: & Iudex arbitrariè punitur, & eidem de facto resisti potest. Verùm omnia prædicta non considerantur in criminibus exceptis: in quibus, & personæ priuilegiatæ, seù à Iure quomodocunque torqueri prohibitæ, vtique torqueri possunt: exceptis sanè Septuagenario, Puero minore septem annorum, Muliere prægnante, & Infirmo, quando in iis adesset periculum mortis ad relationem Medicorum: & tamen isti prohibiti torqueri, possunt terreri, deueniendo vsque ad primum gradum torturæ inclusiuè, excepta prægnante. Et in casu, quo Reus, vel propter ætatem, vel propter dignitatem torqueri non possit, attamen extra ordinem punitur, vel Principe consulto etiam torquetur: vsque ad *n.111.*

19

20

21

22

23

EX QVÆST. XLII.

ARGVMENTVM.

Tortura in qua causa inferri possit, & in qua non.

IN quibus casibus inferri tortura non possit, & quibus? satis in præcedenti demonstratum est: Nunc sciendum, quod vbicunque à Iure contrarium non reperiatur expressum, vel quando veritas aliundè haberi non possit, indiciis legitimis præcedentibus, tortura inferatur. In criminibus ergo capitalibus in quibus pœna corporalis infligitur, absque dubio tortura permittitur, etiam quod postea pœna efficiatur non corporalis ex aliqua causa minuente, seù excusante delictum: eâ ratione, quia primordialis natura est attendenda. In leuibus verò non cadit. Et quæ ad propositum dicantur leuia, vltra ea, quæ deduximus *suprà, q.18.* sunt; v.g. trahere quempiam per capillos; proijcere lapides in aliquem, omnia delicta commissa sine dolo; armorum prohibitorum delatio; ire de nocte sine lumine; ludere ludo illicito vel noxio; percutere aliquem pugno; furtum, seù aliud delictum commissum in re parua; furtum domesticum; & verbalis iniuria. Leuiuscula verò crimina dicuntur, cuipiam capillos euellere, pessumdare pedibus, impingere colafos, conuïcia ingerere, iniuriam verbis inferre. Et quia ex qualitate pœnæ cognoscitur grauitas, vel delictorum veritas, idcirco tortura non infertur vbi venit imponenda pœna pecuniaria, etiamsi delicti pœna pecuniaria efficeretur afflictiua per reiterationem. Et licet pœna libelli famosi regulariter videatur capitalis; tamen quando in libello non infamatur quis de iniuria, cuius vigore pœna capitalis sit imponenda, non pro dicto libello pœna corporalis infligitur, sed ea tantum, quâ fuisset plectendus ille iniuriatus, si esset vera iniuria. Alij contrà: sed non recedas pro veriori, communiori, & æquiori opinione: vsque ad *num. 26.*

3

4

5

6

In causa Ciuili, & pecuniaria, absque dubio tortura inferri non potest: & hinc infertur, quod ex causa damni dati in agris, siue agatur de occisione animalium, siuè de quocunque alio damno illato in animalibus non admittitur. Et licèt multi dixerint in causa ciuili ardua inferri posse, præcipuè seruo: *Author* hoc dicit ridiculum, nec in practica vllo modo seruatur. Quando verò causa Ciuilis, & criminalis haberet crimen tale annexum, vt de sui natura Reus torquendus esset, tunc infligitur. Et singulariter torturantur Mercatores falliti, & decocti, vt indicent pecunias ipsis datas, quas denegant habere: & illatiuè, etiam in causa vsurarum, quando criminaliter agitur, & ad restitutionem vsurarum, & ad pœnam. Similiter quando agitur de rebus exportatis, & ad fiscum spectantibus, putà in causa thesauri inuenti, dummodo inquisitus sit malæ famæ, & adsint legitima indicia doli, quinimò etiam pro interesse ciuili, ex criminali descendente, contra eum, qui criminaliter molestari non potest, quia fuerit à Principe aggratiatus, vel cum fisco, & Præside compositus: vsque ad *n.43.*

7

8

9

10

EX

EX QVÆST. XLIII.

ARGVMENTVM.

Indicium, an, quando, & quale oriatur ex depositione socij criminis contra inculpatum ab eo.

AVTHOR noster, vt facilius intelligatur hæc quæstio, quæ nondum 1
à Iudicibus, & aliis in Curiis versantibus satis intellecta videtur, duas Inspectiones proponit. Prima, an, & quando Reus possit de consociis, & complicibus interrogari. Altera, an, & quando interrogatus, de sociis, faciat contra ipsos indicium? Sed quia DD. promiscuè loquuntur, Regula bipartita proponitur, & Negatiua: quod videlicet, Reus non solum non possit de consociis interrogari; verùm etiam si interrogatus (casu quo de Iure interrogari non debuerat) aliquem nominet, & inculpet, non faciat indicium ad torturam contra dictum inculpatum, & nominatum, siuè sit examinatus vt Testis, siuè vti principalis, quoad se; & Testis quoad socios: In criminalibus enim generale est, quod socius criminis non recipiatur in Testem, nec vt accusator. Et in tantum socio criminis non creditur, 3
vt nec etiam admittatur: quamuis deponat pro exculpatione consociorũ: Verùm hæc quæstio ab Authore ardua reputatur, nec bene à DD. in specie considerata, quia hinc inde proferuntur opiniones Patrum contradicentium. Diceret tamen ipse, quod si inquisitus de aliquo delicto, putà, vulnere, vel homicidio in rixa commisso, vellet ad sui fauorem inducere in Testem, vnum, vel plures ex illis, qui in 4
rixa interuenerunt, ad hoc vt deponerent, dictum inquisitum in ea rixa non interuenisse; vtique tunc non debent tales recipi in Testes, & Testes dicerentur quando extra carceres, & extra reatum ad inquisiti defensionem ab eodem inquisito deducerentur: quod poterit contingere, quando de eodem delicto fuerint aggratiati, vel si condemnati pœnam soluerint: hoc casu ergo non debent recipi in Testes; 5
& si recipiantur, non eis creditur. Sed è conuerso, si non sint inducti tamquam Testes à Reo, sed per Iudicem capti, carcerati, & examinati, de compluribus interrogati (quando id fieri permittitur) dicant Reum inquisitum, non interuenisse, & in tortura suum dictum confirment, in hac exculpatione, eis creditur. Sed quantum prosit dicta exculpatio? di- 6
cas, quod si est conuictus, tunc non tollatur dicta probatio: si verò sit tantum indiciatus ad torturam, tunc ex dicta exculpatione debilitantur indicia, adeo vt torqueri minimè possit. Verùm si non sit conuictus, nec indiciatus, sed tantum proprio ore confessus, nisi præcesserint indicia, confessio ad nihil redigitur: sed si confessio in tortura emanauerit, præcedentibus indiciis, adhuc restat elisa; quia ad probandum errorem confessionis, sufficiunt elisa. Sed si exculpatio proueniat 7
ex socio extra carceres, nihil prodest extendendo quamuis Inculpatus, siue Exculpatus, esset bonæ famæ, æstimationis, cuiusuis dignitatis, & gradus, quamuis sacerdotalis: vsque ad *n.* 25.

Contra hominem malæ famæ, vtrùm 8
dictum socij criminis faciat indicium ad torturam? DD. non bene conueniunt: *Author* tamen fœdere distinctionis conciliat, dicendo, quod si sumus in criminibus non exceptis, & in quibus Reus de Iure non potest interrogari de complicibus, tunc ex tali dicto indicium ad torturam non oritur, etiam aduersus hominem malæ famæ: si verò simus in criminibus exceptis, simile dictum iuncta mala fama *inculpati*, ad torturam extenditur. Generaliter verò depositio socij cri- 9
minis non facit indicium ad torturam, quamuis in tali dicto perseuerauerit vsque ad mortem: & in proposito socius & particeps dicitur non solum ille, qui eiusdem delicti numero fuit Socius, sed etiam in diuerso crimine connexo; vt putà, quod vnus sit causa, vel occasio alterius, vt est leno cum adulterio, mandans cum mandatario: vsque ad *n.* 34.

Vtrùm dictum duorum, vel plurium 11
sociorum criminum, faciat indicium ad torturam? DD. altercantes contendunt: multi enim volunt, nedum facere indicium ad torturam, sed etiam ad condemnandum: Multi verò neutrum admittunt. *Author* dicit, quod in criminibus exceptis, & vbi possunt interrogari de consociis, solùm ad torturam faciunt indicium, non autem ad condemnandum.

In *furto* multi contendunt, non posse 12
interrogari de consociis: Verius est, hoc esse permissum: & quod talis nominatio si proueniat à fure insigni, & famoso, seù à fure in furto qualificato, & quod per se solum minimè potuisset committere, sufficiat ad torturam, iunctis adminiculis.

In crimine *falsi* aliqui asserunt, Reum de se confessum non posse de consociis interrogari: & specificè loquuntur de Teste confesso, se falsum deposuisse. Contrarium alteri tenent: & *Author* generaliter profitetur hoc fieri posse, extantibus indiciis, quinimò testes, se falsum deposuisse asserentes, de consociis interrogandos esse intrepidè firmat.

13 In *Homicidio* Reus de se confessus, non potest de consociis interrogari: & est verissimum, nisi præcedant indicia tractatus.

Extende ad crimen *Simoniæ*, vbi, si
14 agatur criminaliter, socius indistinctè non admittitur; si verò ciuiliter, admittitur, si est socius criminis, & non muneris: ex text. *cap. 1. de Testib. in 6.* Et ad hoc adnotantur per Specul. *in tit. de Testib. n. 37.* hæc duo carmina:

Per Testem socium sceleris Simonia probatur:
Muneris, & sceleris Testis socius reprobatur.

15 Verùm si Symoniacus sit diffamatus, potest interrogari, & facit indicium secundùm aliquos; sed quod talis depositio non noceat inculpato Simoniaco: quando agatur ad priuationem beneficij, *Rota* sæpè sæpiùs tenuit admitti: vsque ad *n. 56.*

16 Generaliter in casibus exceptis à *Iure*, & in quibus ius statuit posse de se confessos, de aliis sociis interrogari; certum est quod si confiteantur, faciunt indicium ad torturam contra nominatos. Dicuntur in proposito *crimina excepta*, quæ Reipublicæ pestifera sunt, & bonum publicum nimis lædunt; veluti crimen læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ; Conspiratio, & coniuratio, vbi admittuntur Testes, & participes criminis, etiam quod pro hoc pretium recepissent. Crimen falsæ monetæ, quod comprehenditur crimine læsæ-Maiestatis: Latrocinium, & grassatio viarum, Assassinium, in
18 quo Assassinum de mandatoribus interrogari posse, innumeri dicunt; & hoc est generale in omni mandatario, quando non apparet in eo causa, cur ad delinquendum exse ipso motus fuerit: In Sacrilegio, in quo socius criminis admittitur ad testificandum: In Maleficis, & Mathematicis, qui de consociis interrogantur, & torquentur, cùm sit delictum, cuius extirpatio spectat ad omnium salutem. In delictis occultis, & difficilis probationis, in quibus veritas aliter haberi non po- 19
test, & isto casu socij reputantur Testes idonei, & omni exceptione maiores; ex quo non solum socius vnicus facit indicium ad torturam, verùm si plures sint, plenè probant, & sufficiunt ad condemnandum.

Sed ad hoc, vt in proposito dicatur, veritatem aliter haberi non posse, requiritur, vt delictum sit tale, quod nec interuenerint, nec interuenire regulariter potuerint testes idonei, & sic vt actu, & habitu, veritas aliàs haberi non possit.

In crimine Adulterij, in quo admit- 20
tuntur ad probandam vitam meritriciam ij, qui cum meretrice peccarunt: quinimò dictum vnius Nobilis, asserentis, se pecuniam dedisse mulieri ob copulam, sufficit, iunctis adminiculis, ad torturam.

In crimine Sodomiæ, & in Stupro 21
commisso siuè cum mare, siuè cum fœmina, & siuè sodomiam passus, sit sit maior, siuè minor, quando sodomitatus fuit patiens, non spontè, sed per vim: Alij contrà. Resolutiuè vero *Author* dicit, tale dictum ad torturam sufficere, iunctis adminiculis. Non autem potest sodomitatus interrogari de lenonibus, mediatoribus, & similibus, nisi adsint indicia, quod aliàs interuenerint; vel simus in confessato delicto. Et hoc vnum nota, quod nunquam dictum sodomitati faciat indicium ad torturam nisi illud fuerit etiam in tortura confirmatum.

In Lenocinio, vbi admittuntur so- 22
cij criminis.

In crimine suppositi partus, in quo pariter depositio duarum mulierum plenè probat, quando agitur Ciuiliter ad priuandum hæreditate paterna filium suppositum: quia si agatur criminaliter contra supponentem, debent præcedere indicia: vsque ad *n. 105.*

Multi sunt distinguentes cum *Bart.* 23
non posse inquisitos interrogari de consociis in delictis commissis ad alterius iniuriam: secùs in eis, quæ committuntur ad propriam commoditatem, prout sunt latrocinia, & similia: sed hæc distinctio non recepta; & contra eam insurgunt acerrimè quasi Legiones integræ Patrum; qui quidem verius dicunt, & sunt amplectendi. In delictis verò, quæ de sui natura solent cum pluribus committi; de se 24
confessus,

confessus, potest interrogari de Participibus: Et licèt Alij contrà; ab ista conclusione, vti verissima, & in practica ser-
25 uata, non recedas. Imò extende, quod de consociis detur interrogatio, quando delictum est tale, vt verisimiliter, nisi cum pluribus non fuerit commissum: seù quando adsint indicia, quod à pluribus fuerit vel commissum, vel tractatum: vsque ad *n.* 111.

In Ciuilibus, quidquid pro, & contrà,
26 varij varia dicant, conclusiuè procedit, quod socij admittantur, non ad plenam probationem, vt aliqui voluerunt; sed tantum ad aliquam præsumptionem faciendam; vel, & meliùs, quod ad plenam probationem admittantur, si de cri-
27 mine fuerint emendati. Serui quoque etiam in Criminalibus possent de consociis interrogari: & generaliter quicunque socius, nisi esset periurius, infamis, criminosus, seù alios pateretur defectus.
28 Et licèt, quidquid sit de *Iure* de *Consuetudine* Reos confessos semper interrogari de consociis; Contrarium est verius, & seruandum: vsque ad *n.* 125.

Vtrùm dictum socij criminis faciat indicium ad torturam, vel ad inquirendum?
29 DD. non concordant: *Author* distinguit, aut dictum socij criminis est adminiculatum, vel non; si est adminiculatum, siuè simus in exceptis, siue in non exceptis, semper facit indicium ad inquirendum:
30 si verò non est adminiculatum, iterum distinguit; aut quæritur vtrùm sufficiat ad inquirendum, aut ad transmittendam inquisitionem: primò casu indistinctè, & in quibuscunque delictis satis est ad inquirendum; si verò agatur de formanda, & transmittenda inquisitione, in criminibus exceptis, vbi permissa est interrogatio de consociis, sola nominatio sufficit ad inquirendum. Ex quo infertur, quod
31 vbi agitur de Reo interrogando de consociis, interrogandus non est de persona consocia in specie, sed tantum in genere, nisi de specifica extent indicia. Et quia
32 socius propter delicti confessionem redditur infamis, tanquam talis nunquam admittitur sine tortura, quæ infligitur pro habenda confirmatione depositionis; nec sufficeret illa, in qua delictum confessus fuisset: postquam autem ratificauerit confessionem tam quoad se, quàm quoad socios, poterit ad confirmationem suæ confessionis, vt socios magis afficiat, & ad purgandum infamiam, poni in tortura;
33 quæ isto casu leuis esse debet. Et tale dictum vbicumque, & quocunque casu nunquam faceret indicium, nisi esset iuratum: quinimò etiam iuratum de per se ad torturam non sufficit, nisi aliàs sit adminiculatum. Quæ verò debeant esse 34
ista adminicula? quinque recensentur ab *Authore* DD. opiniones, quas penès eum videre poteris, cùm nimis longum esset recensere: sed in specie ista adminicula erunt. *Primò*, quando cum nominatione concurrunt Testes de auditu. *Secundò*, 35
quando concurrit vnus Testis de visu omni exceptione maior, & idoneus. *Tertiò*, quando concurrit inimicitia nominatim cum occiso. *Quartò*, quando concurrit fama contra nominatum. *Quintò*, quando concurrit fuga eiusdem nominati. *Sextò*, quando cum nominato, & nominante concurrit amicitia. *Septimò*, quando cum socio criminis concurrit secreta allocutio. Et vltra prædicta necesse est, 36
talem nominationem adeo esse verisimilem, vt vltra adminicula præfata Iudex certò credat nominantem non mentiri. Ac magis specificè, dictum socij crimi- 37
nis nullum facit indicium ad torturam, quando aliunde sit infamis, criminosus, inhabilis, seù patiatur alios defectus; præcipuè si sit inimicus, aut periurius, nisi concurrant grauia adminicula, ex quo idem est in vario, & contrario in suis depositionibus. Et licèt aliqui dixerint, nec 38
etiam facere indicium, si sponte nominauerit, hoc non admittitur in practica, nec verificari potest, nisi duobus casibus. *Primò*, quando non carceratus, sponte, 39
& suâ propriâ voluntate Iudicem adit, sponte crimen reuelando. *Secundò*, in sponte reuelante delictum, de quo à Iudice fuit sibi promissa impunitas. Primò enim casu, succedit loco Accusatoris. Secundo autem, dicitur corruptus promis- 40
sione impunitatis: & ideo si falsum dixerit de se, & aliis, acerrimè punitur: pro vt ego memini aliàs practicasse de Anno 1650. Radicofori, vbi quemdam de Cascaris reuelantem sibi mandatum esse impartitum à Carolo de Miglioris, data certa quantitate pecuniæ pro occidendo Laurentio de Sartis I. C. cum postmodùm retractasset confessionem dicendo, se falsum deposuisse, ad triremes per quin-
quennium condemnaui. Et tandem nul- 41
lum facit indicium, quando talis nominatio emanauit in tortura non legitimè data: putà, sine præcedentibus indiciis.

EX QVÆST.

EX QVÆST. XLIV.

ARGVMENTVM.

Indicium, an, quando, & quale oriatur ex depositione Mandatarij contra Mandantem.

AD videndum, an, & quando dictum Mandatarij faciat indicium contra mandantem; præmittitur, quod quando apparet de propria causa, ex qua quis motus fuerit ad delinquendum, tunc non possit idem delinquens de Mandatoribus interrogari: secùs si adessent aliqua indicia concludentia, Consultores, fautores, Persuasores, Auxiliatores, & similes interfuisse. Tota difficultas versatur, si Reus dicat, se deliquisse de mandato alterius, an & quale faciet talis inculpatio indicium? *Author* Regulam negatiuam adducit, quod scilicet Mandatarij dictum nudum, contra assertum Mandantem, nullum indicium faciat ad torturam, etiam quod sit in ore duorum mandatariorum, seu plurium, nisi tamen sint contestes. Regula tamen non procederet, concurrentibus præsumptionibus: eóque fortiùs concurrente Teste de auditu traditi mandati. Et quia si mandatum fuerit minimè acceptatum, sed recusatum, tunc cùm cessat ratio criminis, & infamiæ, reuelando tanquam bonus vir veniat laudandus, aliqui dixerunt ex hoc dicto contra mandantem indicium ad torturam oriri. Contrarium tamen est verius, nec immeritò: quia quilibet posset damnum inferre, & lacerare proximum, & ideò, nisi mandatum aliunde datum, & non acceptatum probetur, nihil valet, & nihil infert: eóque magis, si mandatarius diù post mandatum sic reuelasset: vsque ad *num.* 18.

Specialiter Assassinus contra mandantem facit indicium ad torturam, concurrentibus adminiculis: quibus deficientibus sufficit ad instructionem: & è contrà, eius exculpatio prodest, adeo vt mandans torqueri non possit, nisi in contrarium vrgeant coniecturæ. Tandem in simili dicto mandatarij, ea necessaria sunt, quæ requiruntur in nominatione socij criminis: valet enim argumentum tàm negatiuè quàm affirmatiuè, de socio criminis in genere, ad mandatarium in specie: vsque ad *n. fin.* 29.

EX QVÆST. XLV.

ARGVMENTVM.

Indicium, an, quando, & quale oriatur ex depositione Testis dicentis, se falsum deposuisse de mandato alterius.

TESTI asserenti, falsum deposuisse, mandato alterius præcedente, seù præmio recepto, nec fides ei præstatur, nec indicium ad torturam sufficiens contra mandantem infert. Et quidquid Alij contra; firma Regulam, benè comprobatam ab *Authore*; obiectis respondente. Eámque ampliando concludas, dictum Testis corrupti indicium non facere contra corrumpentem ad inquirendum specialiter: licèt secus quoad capiendas informationes, & secundum practicam etiam ad capturam. Extende, quamuis depositio prædicta in tortura confirmaretur. Verùm si essent duo, vel plures, aduersùs corrumpentem testificantes, nisi is aliquid releuans allegaret, facerent equidem indicium ad torturam, & si cum eorum dictis præsumptiones vehementes concurrerent, non esset absurdum dicere, locum dari condemnationi, secundum *Authorem*: vsque ad *n.* 29.

Et quamuis asserant multi, quod solùm tentatus ad falsum deponendum, qui non promisit se corrumpi, faciat indicium ad torturam; Contrarium est verius: quia non sufficit, nisi iunctis præsumptionibus, seù adminiculis; sed si ipse Testis ab inculpato fuisset ad examinandum transmissus, & de subornatione deponeret contra inducentem, ac de falsitate depositionis constaret; vtique sufficeret ad torturam, nisi intra se varius, aut periurius à principio negasset subornationem, deinde fuisset confessus: adeo vt requiratur ad formandum simile indicium, quod sint contestes; secus si singulares, & singularitas versetur circa diuersam causam; quia *hîc* sine dubio testes non coniunguntur, & tantum probat vnus quantum mille: si verò singularitas non sit circa causam, sed circa locum, tempus, modum, & similia; coniunguntur ad infligendam torturam: & ità tene, eo adiecto, quod in hoc Teste corrupto, de corruptione deponente, omnia requirantur quæ dicta sunt in socio criminis requiri.

EX

EX QVÆST. XLVI.

ARGVMENTVM.

Indicium quale oriatur ex inculpatione querelantis, etiam existentis in articulo mortis. Quid de exculpatione, & quid de Teste Iudice, seù Notario, asserentibus, se præmio corruptos.

VT distinctè in præsenti quæstione procedatur, quæ satis vtilis, & necessaria est, veniunt plures distinguendi
1 casus. Et *Primus* erit in eo, qui graui infirmitate oppressus, propter vulnus, & offensam sibi illatam, ac in mortis articulo constitutus, nominet offendentem. Huic autem vtrùm sit credendum, nécne? variè DD. hinc inde contendunt.
2 Sed quod ei non credatur, verior, communior, & receptior est opinio: concurrentibus verò adminiculis, oritur indicium ad torturam, & quidem sufficiunt leuia, licet in hoc versetur multum Iudicis arbitrium: & quamuis aliqui contendant, quod sola assertio talis constituti in articulo mortis, nisi aliunde probari possit, tunc sufficiat ad torturam, in hoc *Author* non concurrit: & quatenus sustinere velis primam opinionem, hoc vnum
3 aduerte; quod est probandum tempore depositionis offensum fuisse sanæ mentis: quia si reconualuerit, & superuixerit, illamet depositio euanescit, & pro non facta habetur: vsque ad *n.* 56.

Secundus casus est in Teste, qui etiam
4 in articulo mortis constitutus extraiudicialiter fatetur ad sui exonerationem, falsum deposuisse contra aliquem. Hæc depositio nullo pacto est attendenda, nisi aliunde probetur; quandoquidem retorquebitur contra eum, cuius fauore à principio emanauerit; quamuis sic deponentes, & constituti in mortis articulo, fuissent duo; quinimo, etiamsi iudicialiter id faterentur in causa falsitatis criminaliter
5 intentata: Et licèt Alij contra; Firma conclusionem, nec ab ea recedas, nisi concurrentibus coniecturis, adeò vrgentibus, vt pro certo Iudex inducatur ad sic credendum: & tamen hoc etiam casu depositio fide diminuitur, si res sit integra; scilicet, quod ex tali prima depo-
6 sitione ius non fuerit pars quæsitum. Sed singulariter, quando sic deponens in causa criminali ad fauorem fisci, vel vt principalis, vel vt Testis pro inculpatione inquisiti, si postea in patibulo ad suæ conscientiæ exonerationem dicat, se falsum deposuisse, adeò eneruantur vires primæ depositionis, vt nec sufficiant ad torturam: eóque magis, si fuerit facta dissdictio in *confortatorio*, seù in actu recipiendi sacratissimam Eucharistiam: Quod intellige, quando prima inculpatio fuerat nuda, sola, & sine aliis indiciis, & coniecturis; secus, si grauata, & adminiculata; hoc enim casu, licet tolleret inculpationem, non auferret indicia concurrentia, seù concomitantia: Et hoc vnum nota, 7
quod si exculpatio sequatur in carcere, siuè extraiudicialiter, non tollat præcedentem inculpationem; cùm esset absurdum, iudicialia per extraiudicialia eneruari.

Tertius est casus in Notario asserente 8
in articulo mortis ad suæ conscientiæ exonerationem falsum fabricasse instrumentum: & hoc casu minimè ei creditur, secundum multos, in præiudicium eius, ad cuius fauorem cantat instrumentum: Verùm de opinione Baldi *cons.* 252. in contingentia facti, studendum est per Testes, & per omnem aliam viam veritatem inquirere; & si ea haberi non possit, nulla fides instrumento adhibetur; eò quia instrumenti author, eidem instrumento detrahit per propriam confessionem: Verùm id totum Iudicis arbitrio remissum esse multi contendunt: & *Author* noster te remittit ad Boss. *tit. de fals. n.* 93. *& seq.* ac ad Surd *decis.* 135. *&* 10[illegible].

Quartus est casus in Iudice pariter in
articulo mortis asserente, iniquam tulisse 9
sententiam ad fauorem alterius, pretio, vel præmio corrupto in præiudicium ipsius, ad cuius fauorem fuit lata, quod extenditur etiam ad arbitrum. Et quam- 10
uis multi dicant, istis credendum, quando non allegant turpitudinem propriam, nempe nisi dicant se pretio corruptos; attamen *Author* suum dictum benè comprobans profitetur id non admitti, si alteri præiudicium inferatur. Sed quando 11
concurrerent coniecturæ, facillimè esset credendum: Sed quidquid dicant aliqui, scilicet, quod credatur, si Iudices sint duo; contrarium verius est & seruandum: vsque ad *n.* 92.

Quintus est casus in inculpatione, quam facit aliquis offensus, seù aliter 12
damnificatus contra aliquem, non in articulo mortis, sed sanè valens: & hìc sine hæsitatione facias conclusionem negatiuam; scilicet, nedum facere indicium

ad

ad torturam, quinimo nec ad inquirendum, quamuis se offerat in tortura accusationem sustinere: in tantum vt nec Principi credatur asserenti, se ab aliquo eius subdito offenso, eóque minus, si diù post offensionem factam, & iniuriam illatam, querelam, & accusationem porrexerit: vsque ad *n.* 105.

Sextus, & vltimus est casus in eo vul-
13 nerato, seù aliter offenso, qui præsertim in articulo mortis constitutus, aliquem exculpat, dicendo, ab eo se minimè fuisse vulneratum, & offensum: & isto casu dicuntur sublata omnia indicia, quamuis exculpatio esset tacita, & implicita: nempè quod alium non inculparet & etiam quod prius eundem exculpatum inculpasset, si exculpatio inde sequatur in articulo mortis. Sed hoc non habet locum,
14 quando aliàs constaret de delicto; quia licèt exculpatio tollat fictam probationem à Statuto inductam, & remissio valeat in præiudicium remittentis, eiúsque hæredum; non tamen valet in præiudicium Reipublicæ, cuius interest delicta non remanere impunita. Ex quo infertur quod similis exculpatio non tollat vrgentissima indicia, nisi concurrentibus suffi-
15 cientibus indiciis innocentiæ: & an exculpatio sit verisimilis, nécne remittitur id Iudicis arbitrio, coniecturis consideratis, quarum maxima erit illa si exculpans lucrum amitteret: vsque ad *num. finem* 119.

EX QVÆST. XLVII.

ARGVMENTVM.

Fama siue bona, siue mala, siue in genere, siue in specie, ac siue in ciuilibus, siue in criminalibus, quid probet, quid operetur, quomodo, & quando præsumatur, atque probetur.

PRÆSENS quæstio in quatuor Inspectiones distribuitur: *Prima*
1 continet quid probet fama in specie alicuius rei, vel delicti, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus. *Secunda*, quid, & quantum valeat, ac operetur in criminalibus bona, seù mala fama alicuius. *Tertia*, quomodo probetur fama alicuius rei, vel delicti in specie. *Quarta*, quomodo probetur bona, vel mala fama alicuius in genere.

In prima Quæstionis inspectione, Re-
2 gula negatiua proponitur: scilicet quod tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus, fama non faciat plenam probationem: imò in Criminalibus, nec etiam faciat indicium ad torturam. Et licet Alij contra; ista est communior, & in practica magis seruanda opinio: adeo vt, si per solam famam quis fuerit tortus, in tortura confessus, & postmodùm confessionem ratificatus, adhuc ex tali confessione nihil sibi præiudicat, nisi versaremur in delictis occultis, & difficilis probationis, in quibus sola fama ad torturam sufficit, & adminiculis iunctis plenam probationem inducit.

Adminicula verò in proposito satis 3
considerabilia censentur, inimicitia, fuga, minæ, depositio publici denunciatoris, mala fama Inquisiti in genere, eóque fortiùs, si fama fuerit vehemens, ortúmque habuerit à dignis, & honestis Viris, & sic concurrentibus bona origine quoad 4
personas, & vehementia quoad causas. Indeque fama vehemens de se sola (provt omnes vno ore fatentur) facit indicium 5
ad torturam, quando certo certiùs vehemens est: & quod talis sit, Iudicis arbitrio remittitur, dummodo sit regulatum à Iure; ex iis videlicet *primò*, quod non 6
habeat ortum à Viris inhonestis & non fide dignis. *Secundò*, quod attendatur famæ origo, non numerus personarum. *Tertiò*, quod attendatur vrgentia, & grauitas ipsius originis, & causæ. *Quartò*, quod non sit nuda, sed causis probatis, & bona origine induta, seu repleta. Et tamen quandocunque facit indicium ad 7
inquirendum; etiam quod Testes non dicant, se audiuisse à maiori parte Populi: imò sufficit ad inquirendum particulariter, si processerit ex aliqua verisimili causa, & coniectura in Actis probata. Et licèt verum sit, plenas probationes non in- 8
ducere, adminiculatur tamen, & adiuuat istas, inducendo semi-plenam probationem ex seipsa; in Ciuilibus tamen, non in Criminalibus, in quibus certum est, probationes requiri luce meridiana clariores, etiam quod crimen excipiendo intentetur. Extende ad causam Ciuilem 9
magnam, & arduam, præcipuè vbi agatur de dissoluendo Matrimonio, vel vbi iuramentum suppletorium non defertur. Et licet ad probandam excommunicationem, vbi non agatur de Tertij præiudi- 10
cio, & in foro animæ admittatur fama ad probandum; vbi tamen excommunicatio opponitur, ad repellendum agentem

à Iudicio,

à Iudicio, tunc fama apertissimis documentis probanda est, & ipsa sola nec plenè, nec semiplenè probat: vsque ad *n.* 63.

11 Fama iuncta cum Teste de visu, plenam inducit probationem, & hæc est verissima conclusio. Licèt Alij contrà. Idémque, si ex duobus Testibus, vnus deponat de visu, & fama; alter verò de fama tantùm: iunguntur enim ad faciendam plenam probationem: eóque fortiùs, pluribus Testibus de fama deponen-

12 tibus: Sed ne intelligas in Criminalibus, quoad pœnam corporalem infligendam, nisi præter famam cum Teste de visu, alia indicia concurrerent, ex quibus deduci posset plusquam semiplena probatio: quia tunc hæc omnia simul iuncta, plenam probationem inducerent, si boni Iudicis arbitrio ita videretur. In Ciuili-

13 bus verò, quando extorta ex verisimilibus causis, adsunt coniecturæ, & præsumptiones graues, & vrgentes, de se constituentes semiplenam probationem, famáque fit plenè probata, plenam itidem probationem inducit: vsque ad *n.* 91.

In iis, quæ sunt difficilis probationis,

14 aliquibus adminiculis iunctis, fama benè probata, onus probandi transfert in aduersarium: præcipuè in probatione valoris, vbi plenè probat: Excipe probationem filiationis, & mortis: quidquid Alij contrà; quas ipsa sola probat, dummodo habeat ortum ex verisimili causa, & coniectura,

15 & agatur de leui præiudicio. Sic, & probat plenè Nobilitatem, Virtutem, Doctoratum, omniáque alia, quæ non veniùt ex natura hominis: sic & causas leues, facta antiqua, in quibus probatur etiam per Dominium, aut aliquid aliud, quamuis agatur de graui præiudicio: eóque fortiùs, fama de præterito probat dominium de præsenti: multóque magis, probat in factis notoriis, antiquis, & in loco longinquo; & præsertim in antiquis probat Con-

16 finia. Sed in proposito, tempus antiquum multi voluerunt esse centum annorum: Aliqui minus: pro concordia dicas, quod quando agitur de graui præiudicio, tempus centum annorum requiratur: si autem de modico, minus. Vel melius, quando sumus post centum annos, fama plenè probat: quando verò infra centum, licet non probet plenè, probat tamen plusquam semiplenè. Imò etiam quod agatur de graui præiudicio in antiquis, & infra centum annos, *Author* concludit plenè probare.

Sic, & pariter quando *Lex* præfert

17 communem opinionem veritati, ob publicum fauorem; seù quando communis opinio tribuit verbis certum intellectum; vel quid aliud potest inducere, vt in probatione communis vsus loquendi.

Item in probatione malæ fidei, & in 18
consuetudine, vbi tractatur aliquid circa materiam peccati.

In possessione verò non probat primum extremum, scilicet possessionem antiquam actoris; sed bene probat secundum, hoc est iunioris aduersarij possessionem. Probat ius patronatus, iuncta longissima præsentandi possessione. Probat defen- 19
sionem insultati: distantiam de vno loco ad alium: pactum de retrouendendo: vsuram, iunctis adminiculis. Et in hoc aduerte, quod non valet Statutum Episcopi, 20
vt per vnum Testem de veritate, & tres de fama, quis dicatur conuictus de Vsura. Probat impedimentum Matrimonij: nec non similiter, quando extaret Statutum disponens famam plenè probare: sed quia hoc Statutum esset contra Ius commune, idcirco strictissimè esset interpretandum.

Ex quo infertur *Primò*, non extendi ad causas criminales. *Secundò*, quatenus de 21
Criminalibus loqueretur, intelligeretur de delicto principali, non de adminiculis. *Tertiò*, intelligeretur de fama legitima, habente omnia requisita. *Quartò*, dummodo fama haberet ortum ex verisimili causa, coniectura. *Quintò*, quòd deberet probari per duos Testes. *Sextò*, quòd deberent esse omni exceptione maiores. *Septimò*, quòd Statutum fuisset conditum ex aliqua rationabili causa: vsque ad *num.* 52.

Et licèt fama ortum habere debeat ab 22
honestis, & non maleuolis personis; si tamen ageretur de aliqua re turpi, de qua regulariter non solet esse sermo inter honestas personas, tunc probatur etiam quòd ortum habeat à personis Vilibus, & infamibus: ortúmque habere potest à mulieribus, quando sumus in facto, quod æquè respicit vtrumque sexum. Dignitas verò, & honestas personarum præsumitur à Iure, quandiu contrarium non probatur. Generaliter autem tunc fama probat, 23
quando est vniformis, & eadem in toto Populo; secùs si varia, & diuersa: famæ enim testimonium idoneum non est, nisi ipsa fuerit solida, inconcussa, crescens, non leuis, non vaga, non contraria, nec in aliquo labefactata: ideóque quando diuersis temporibus vna fama est alteri contraria, posterior tollit priorem, nisi prior es- 24
set fundata in melioribus rationibus, & coniecturis: quod si eodem tempore oriantur contrariæ famæ, tunc illa attenditur,

quæ à verisimiliori causa, & coniectura ortum habet, & si Testes hinc inde famam probantes, ac verisimilitudines, ex quibus ortum habet, sint æquales, tunc vna tollit aliam: Negatiua tollit Affirmatiuam: & in delictis, bona tollit malam. Nota tamen, quod Testes deponentes super publica voce, & fama, quod Titius occiderit Scium: Alij autem interrogati, an de hoc aliquid sciant, vel audierint, respondeant nihil scire, isti vltimi Testes reprobant primos: vsque ad *n.* 172.

In Ciuilibus fama non inducit probationem, nisi illa fuerit orta ante litem mo-
25 tam, ac nisi exprimatur tempus: quod pari passu procedit etiam in Criminalibus, in quibus ortum habere debet ante inquisitionem, nec operatur, nisi sit in loco commissi delicti: sed tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus, non releuat procurata, & affectata: vsque ad *n.* 181.

Quoad secundam inspectionem fama
26 bona alicuius in genere tollit eiusdem malam famam pariter in genere, ac omnem præsumptionem ex eadem mala resultantem, quia Testes probantes bonam, præferuntur probantibus malam, eóque fortiùs mala fama in genere tollit per bonam in specie, & licèt ista in specie non omnino tollatur, adeò tamen debilitatur, vt si sit nuda, nihil prorsus operetur: vsque ad *num.* 199,

Quoad tertiam inspectionem, mala
27 fama in genere alicuius delicti, præsumptionem facit, & quandoque operatur, vt possit sequi condemnatio, vel in pœnam exilij, vel ad triremes: & de hoc assignan-
28 tur tria Exempla. Primo, In Reo confesso, vel conuicto de aliquo crimine, pro quo de *Iure* non potest puniri ità grauiter, quia nihilominùs si fuerit malæ vitæ, & famæ, punitur in supradicta pœna. Secundò, In eo qui de grauissimis delictis accusatus, si in tortura perstiterit, & aliàs sit homo malæ famæ, ac indicia taliter vrgeant, vt sit certum, illum deliquisse; supradicta pœna imponitur. Tertiò, In Reo, nec conuicto, nec torto, contra quem de aliquo graui delicto subsit mala fama in genere, iunctis specialibus circunstantiis delicti, de quo
29 inquiritur, potest absque tortura, tanquam conuictus vt supra, condemnari. Verùm, ne erres, aduerte, quod hoc vltimum exemplum *Bossij* nec est verum, nec seruatur in practica: absurdum enim esset, quemlibet condemnare ex solis indiciis, & mala fama, eo comparente, & negante.
30 Mala fama debet esse in eodem genere delicti, nec de se sola sufficit ad torturam, nisi iunctis adminiculis, quamuis ageretur de delictis occultis, & inquisitus esset persona vilis, & abiecta: vsque ad *n.* 207.

Ad probandam famam publicam exa- 31
ctè, cùm sit difficillimum, & quasi nunquam dari possit, provt testatur Gramm. qui dixit, in tota vita sua nunquam vidisse processum, in quo esset probata sufficienter: ideò forma Casus, seù Requisita; quo-
rum *Primum* sit, vt Testes illam proban- 32
tes ad minus sint duo, nec vnicus sufficiat; adeo vt iste tantùm vnicus, conteste non habens, reputetur de falso suspectus. *Secundum* Requisitum, quod isti Testes sint spectatæ fidei, integræ, & optimæ opinionis: & vt dicunt DD. omni exceptione maiores, ac ista sufficientia Testium debeat articulari, & probari de iure communi: licèt Contrarium seruetur in pra-
ctica. *Tertium*, vt debeant reddere, & ex- 33
primere rationes, causas, indicia, & coniecturas, quibus orta est fama, etiam non interrogatis aliàs non probent: Et licèt Alij contrà firma. *Quartum*, quod debeant scire quid sit fama; aliàs, si de famæ diffinitio- 34
ne interrogati, respondeant se ignorare; minimè probant: quinimò tenentur respondere exprimendo eius contrarium, scil. quid sit bona fama, siue isti Testes sint periti, siue etiam imperiti; debent enim reddere, & congruentem definitionem, non quidem per verba Iuris, imò si sint imperiti, & definiant per verba Iuris, habentur tanquam suspecti, & instructi à Procuratore. *Quintum*, quod debeant deponere 35
specificè in illis particularibus capitulis, in quibus est fama articulata, secùs si in vltimo generali. *Sextum*, quod debeant nominare Authores, à quibus ortum ha- 36
buit, etiam quod non sint interrogati: Et licèt Alij contrà firma Quinimò isti tales nominati, debent esse diuersi à contestibus desuper examinatis: si verò dixerint non recordari, à quibus audiuerint, nihil pro- 37
bant: at si aliquos nominassent, & deinde dixerint de aliis pluribus, quorum non recordantur, vtique probant *Septimum*, quod debeant dicere, se audiuisse à maiori parte Populi, nec sufficiat deponere audiuisse à pluribus, à mille, à diuersis, à pluribus, & pluribus: sed impersonaliter dicere debent à maiori parte Populi. Alij contrà. Item nec sufficere, si 38
dicerent à tota Ciuitate, nisi superaddant à maiori parte Populi, illius Ciuitatis; super addendo, audiuisse publicè, & ab omnibus illius Ciuitatis. Ista non procedunt in probanda peritia, in qua sufficit dicere, audiuisse à maiori parte peritorum.

Verùm

Verùm etiam quòd Testis non dicat, se audiuisse à maiori parte Populi, sed tantùm deponat, se ità publicè audiuisse, probat. Alij contra: Sed retenta prima opinione magis practicata, dicas, quod tantum procedit in foro Ecclesiastico, non autem in casu, quo famâ facit plenam probationem.

Et generaliter declarando prædicta Septem Requisita, dicas, famam probari 40 per Testes singulares. Et licèt Alij contrà non recedas: Declarando tamen, vt inferiùs. Et iterùm dicas non habere locum, vbi probata esset per decem Testes, etenim numerus supplet in foro Ecclesiastico, non autem in foro Ciuili, vbi, etiam sic probata, non sufficit ad torturam, nisi coniecturis adminiculata, vel data habilitate Testium in præciso numero decem. 41 Non obstantibus præmissis, probatur per scripturas, priuilegia, & instrumenta antiqua, dummodo sint plura, & habeant originem à diuersis personis: quando verò probatur per Testes, vtrùm sit bene probata, nécne? sedet in arbitrio Iudicis, qui ad plures probationum species animum applicare potuerit: vsque ad *num.* 277.

Quoad quartam inspectionem Regu- 42 la sit, quòd quis in dubio præsumitur bonus, bonæque conditionis, & famæ: eóque magis ille, qui est natus in bona Patria, ex bonis Parentibus, Nobilis & Diues, ac benè educatus: & non solùm quis præsumitur bonus, sed etiam bonæ æstimationis, & sic à *Iure* bona fama præsumitur; nisi adsit contraria præsumptio specialis: bonus enim quis præsumitur, etiam quòd contingat verba impropriari. 43 Verùm licèt vnusquisque præsumatur bonus, non tamen præsumitur optimæ famæ: eò magis, quando agitur de præiudicio Tertij, vel quando quis bonam famam pro fundamento suæ intentionis allegat, seù specialiter requiritur ab aliquo Statuto, vel lege, quia tunc alleganti in- 44 cumberet onus probandi. At quando præsumptio bonæ famæ redundaret in præiudicium eius, pro quo præsumitur, tunc cessat præsumptio: provt quis bonus non præsumitur, si ex non præsumptione bonitatis, resultaret animæ vtilitas: Et tandem bonitatis præsumptio cessat in eo, qui dat operam rei illicitæ, vel aliquid prohibitum facit: vsque ad *n.* 301.

Quomodo autem probetur bona, vel 45 mala fama alicuius in genere? Forma Conclusiones. Quarum *Prima* sit, quòd requirantur omnia ea, quæ ad probationem famæ in speciè requiruntur. *Secunda*, quòd possit probari per Testes. *Tertia*, quòd ad probandum bonam, vel malam famam in genere, sufficiant Testes singulares, dummodò sint conteſtes in specie infamiæ irrogatæ. *Quarta*, etiam per Testes inhabiles; ità vt bona fama probetur per Testes amicos, & consanguineos. *Quinta*, quòd Testes super infamia deponentes, debeant reddere rationem suæ depositionis, & causas infamiæ adducere, etiam non interrogati. *Sexta*, vt debeant dilucidè explicare factum, ex quo dicunt infamiam oriri, & tale factum debeat verificari, aliàs non probetur. *Septima*, quòd deponens super bona fama, satis probet, si dicat ità scio, quia sunt vicinus: non è contrà, in probanda infamia. *Octaua*, quod valeat ratio in bona fama dicere, scio bonum, quia talem expertus sum. *Nona*, quòd mala probetur per illos, qui dixerint, tales vidisse à probis viris vitari. *Decima*, quòd quocumque casu, debeant Testes nominare Authores, à quibus audierint bonam, vel malam famam. *Vndecima*, quòd deponentes super mala, dicant, se audiuisse à maiori parte Populi, vel Viciniæ. *Duodecima*, ex quo sola fama non probat quem criminosum, idcirco deponentes super infamiam, non probant solùm dicendo, sic extare vocem. *Decimatertia*, quòd non probetur fama bona, vel mala, per Testes dicentes, ità eum reputari, & audiuisse ab omnibus eum cognoscentibus. *Decimaquarta*, quòd Iudex de bona, vel mala fama alicuius, potest se extraiudicialiter informare. *Decimaquinta*, quòd Testes non probent, nisi dicant locum, ex quo talis fama ortum habuit.

EX QVÆST. XLVIII.

ARGVMENTVM.

Fuga prætensi Delinquentis, an, & qualem contra ipsum faciat probationem, & indicium.

QVÒD fuga contra fugientem faciat indicium, præsumptionem, & suspicionem non leuem, id à Doctoribus non reuocatur in dubium: sed an tale indicium sit sufficiens ad torturam? non conueniunt. *Author* tamen Regulam affirmatiuam proponit, scilicet, quòd 1

faciat indicium ad torturam : & eam extendit ad latitantem, seù præparantem se ad fugam, licèt non aufugerit eóque magis, si fugæ iuncta fuerit iudicialis contumacia : & eò fortiùs, si aufugerit per
2 loca inuia, & insolita. Et licèt aliqui voluerint, fugam in actu capturæ facere indicium ad torturam ? Contrarium est verius, nisi essent Mercatores falliti ex propria culpa. Et licèt rursus aliqui dixerint,
3 fugam facere indicium, etiam contra Tertium ; scilicet, si sint duo de eodem delicto præuenti, quorum vnus sit carceratus, alter aufugerit ; Contrarium tamen indistinctè est verius : quamuis negari non possit, quin faciat aliquam suspicionem, quæ iuncta aliis legitimis indiciis, aliquid operetur : vsque ad *n.* 27.

Generaliter Regula non procedit,
4 quando fuga arripitur, ex causa iusti timoris, carcerationis, contrariæ factionis, propter minas illatas ab inimicis. Et quod quis discesserit ex aliqua causa probabili, & non ob conscientiam patrati criminis, probatur iuramento ipsius fugientis, & fugæ præsumptio per iuramentum tollitur. Alij contrà : Tu distingue ; quod si constat de causa probabili propter quam quis dicit discessisse, credatur iuramento discedentis, non è conuerso : quia iusta tantum, & probabilis causa excusat. Sic nec procedit Regula in
5 eo, qui fugit Iudicis sæuitiam, seu post fugam sponte se in carceribus constituit, etiam quod aufugiat de manibus familiæ : quia per reuersionem spontaneam, fugæ indicium purgatur, siue citò, siue ex interuallo fugiens reuertatur : eóque fortiùs operatur spontanea comparitio in eo, qui nunquam aufugit, vel ante Bannum comparuit, quamquam citatus ; dicitur enim & hic sponte comparere, & innocentiæ præsumptionem pro se habere : Similiter & ille, qui sciens, se quæri à Birruariis, non fugiens cùm possit, permisit se capi. Sic pariter contra homi-
6 nem bonæ famæ, fuga non facit indicium : & quia quandocunque est indicium remotum, nunquam ad torturam infert, adeò vt nec Statutum possit facere vt fuga inducat plenam probationem, nisi esset conditum ex aliqua iusta, vrgenti, & necessaria causa ; aut delicta contra fugientem essent manifesta, & vltra fugam fugiens citatus, esset contumax: vsque ad *n.* 65

Quando verò fuga obijcitur alicui, non
7 tanquam delicti signum, seù indicium, sed tanquam proprium, & specificum delictum : vt putà, in Desertore militiæ, & fugiente ex Castris ; tunc inducit plenam probationem : provt pariter, quando sola suspicio crimen inducat, scilicet quando agatur de remouendo Tutore, seù quando famulus recesserit à Domino absque licentia, si aliquid fuerit furatum in domo, præsumitur furatum à famulo, si agatur Ciuiliter; secus, si criminaliter; quia in iis sola fuga ad torturam non sufficit: nisi concurrat *Primò*, quod constet de amissione rerum. *Secundò*, quod Dominus qui de furto conqueritur, sit bonæ famæ. *Tertiò*, quod è contrà, famulus fugiens sit aliàs suspectus. *Quartò*, quòd verisimile sit, seruum fugientem furari potuisse : quibus non concurrentibus, credit *Author*, quod nec in Ciuili, fuga famuli aliquid operetur : vsque ad *n.* 77.

Fuga Officialis ex officio tempore Syndicatus facit contra eum semi-plenam 8
probationem : & ideo omnes querelæ contra ipsum datæ, probantur medio iuramento querelantium Extende ad quemliber administratorem fugientem tempore quo tenetur reddere rationem : & contra talem fugientem Officialem procedi-tur ex non scripto libello : habetur pro confesso in omnibus querelis contra ipsum porrectis, etiam in præiudicium fideiussoris, si agatur Ciuiliter, seù Criminaliter ad restitutionem rerum ablatarum ; secùs si agatur ad pœnam, quia tunc non inducit nisi indicium ad torturam. Strictè tamen intellige, vt *suprà* dictum est, quando fu- 9
git in Syndicatu ; secùs si durante officio ; quia tunc non inducit aliquam probationem, sed talis fuga posset de se puniri, vti delictum læsæ Maiestatis : quod extenditur etiam si fugiat durante Syndicatu. Alij contra. Sed retinendo primam opinionem, 10
non erit delictum læsæ Maiestatis in primo capite : provt non esset delictum, si aufugeret ob tyrannidem Domini. Et quocunque casu, tempore Syndicatus aufugiens, si reductus fuerit, aut remissus, licèt possit torqueri ; si agatur criminaliter ; attamen quoad Ciuilem actionem, fuga nihil præstat : præsertim, si sponte reuertatur. Et denique fuga etiam est permissa durante Syndicatu, quando sequeretur ex metu Syndicatorum, ne ipsum carcerarent, aut aliud grauamen inferrent : vsque ad *n. fin.* 94.

EX

EX QVÆST. XLIX.

ARGVMENTVM.

Inimicitia, an, & quando faciat indicium ad torturam, quot modis contrahatur, atque probetur, & quæ in proposito dicatur inimicitia capitalis.

INIMICITIA alia est capitalis, alia non capitalis. Et vt distinguas
1 quæ capitalis dicatur, & quæ non? Conclusiones formantur: quarum *Prima* sit, quod capitalis inimicitia contrahitur ex lite omnium, vel maioris partis bonorum. *Secunda*, quod contrahitur ex ablatione & spoliatione bonorum, seù alterius rei particularis, respectu spoliati, nisi modica sit. *Tertia*, si agatur de graui,
3 & ardua causa, vt putà, matrimoniali, monachationis, filiationis, vel status.
4 *Quarta*, ex lite, & accusatione Criminali, licet querela sit data in causa non capitali, & de crimine agatur Ciuiliter. *Quin-*
5 *ta*, quando quis alterum in carceribus detinet. *Sexta*, ex iniuria personali, eò magis si sequatur vulnus in facie: & quamuis
6 offensio sit in consanguineo, quia iniuria facta vni, censetur facta omnibus de illius sanguine, intra quartum gradum.
7 *Septima*, ex verbis, licet iniuriatus sit absens, vel præsens: sic & ex minis ad mortem, si minans sit solitus minas exequi, vel potens ad illas exequendas: præsumi-
8 tur quoque inimicus, qui se declarat non amare aliquem, dicítque se illi nociturum, vbicunque poterit: sed non præsumitur capitalis inimicitia, nisi vitæ parauerit insidias: præsumitur etiam ille, qui non alloquitur, nec salutat, quem
9 priùs alloqui & salutare solitus erat; vel ille, qui aliquem non osculatur in Ecclesia, dum datur *Pax*: sed hæc non præsumitur capitalis inimicitia. *Octaua*, con-
10 uersans cum inimico meo, est inimicus meus: & propterea participes, adhærentes, complices, confœderati, consultores, fautores, auxiliatores, amici, & fami-
11 liares inimici mei, dummodo amicitia sit stricta, magna, & continua, & sint de præsenti, non de præterito: qui tamen non dicuntur inimici capitales. *Nona*, lu-
12 dex, qui contra me iudicauit, dicitur inimicus meus, si procedat ex officio in causa criminali; secus si causa sit Ciuilis: quia tunc nulla oritur inimicitia: sed certè quandocunque non contrahitur capitalis. Aduocatus, seu Procurator mei accusa- 13
toris in causa criminali, dicitur meus inimicus. Ex testimonio prolato in causa cri- 14
minali, ex inobedientia, ex diuortio, ex expulsione de domo, putà famuli; sed hæc omnia non inferunt capitalem inimicitiam. *Decima*, ex retentione vxoris 15
alienæ; contrahitur inimicitia capitalis inter Virum ipsius & retinentem: Idem de sorore, seu alia coniuncta persona. Extra istos casus, qui à Iure sunt comprobati, & à DD. communiter recepti, mult- 16
tum Iudicis arbitrio tribuitur, an, & quando quis dicatur inimicus? & quando etiam inimicitia reputetur capitalis? vsque ad *num.* 88.

Regula sit ergo, quod inimicitia facit 17
aduersus inimicum occisum, non modicam præsumptionem, quæ sufficiens sit indicium ad torturam; siue inimicitia processerit culpa, & facto offensi, siue per viam accusationis; etiam quod offendens priùs fuerit offensus, & quamuis inimicitia sit occulta; dummodò causæ sint cognitæ offendendi: non solum enim facit indicium, quando non constat verè de occisore, sed etiam si constet quòd inimicus occiderit, præsumitur deliberatè occidisse ex præcedenti inimicitia: quod est commune; quamuis inimicitia non appareat capitalis: sed si esset leuis, non exindè oriretur, nisi concurrerent indicia, & coniecturæ; quamuis istæ debiliores sufficerent. In delictis occultis, & difficilis pro- 18
bationis, in quibus aliunde non appareat causa homicidij, sola inimicitia infert ad inquirendum, & quandoque ad torquendum, sed leuiter, præcipuè quando certum sit, vnum ex pluribus hominem occidisse, sed incertum quis occiderit: vsque ad *num.* 109.

Secutâ pace, seù reconciliatione, inimicitia non facit indicium ad torturam, 19
nisi quando de recenti post reconciliationem (quia adhuc inimicus præsumitur iratus) homicidium commissum extitit. Non iterum procedit, quando offensus 20
habebat plures inimicos, isto enim casu, attenditur inimicitia grauior, recentior, adminiculata, & ad animum reuocata: in quibus omnibus multùm Iudicis arbitrio defertur. Similiter non facit indicium ad torturam in delictis ad proprium com- 21
modum commissis, putà, furtum, falsum, Adulterium, & similia: nec quando non erat data cautio de non offendendo: quinimò ex hac inimicitia non probatur: & ad hoc, vt faciat indicium, probari debet

cum omnibus ſuis qualitatibus, & cauſis; cùm in dubio aliàs quis præſumatur amicus: & licèt in ſimili probatione admittantur coniecturæ, debent eſſe tamen optimè probatæ, euidentes, & manifeſtæ.

EX QVÆST. L.

ARGVMENTVM.

Minæ quando faciant contra minantem indicium ad torturam.

MINÆ faciunt indicium ad tortu- 1
ram contra minantem, delicto ſecuto in perſonam, in quam fuerunt illatæ: quoniam ſi certus ſit homicida ex præcedentibus minis, homicidium præſumitur deliberatum: ex quo etiam iactatio contra iactantem indicit coniecturam, ſi huiuſmodi iactans erat ſolitus, & potens minas exequi. Quinimò etiam fa- 2
ctæ per ænigma, ſi ſint adminiculatæ, indicium præ ſe ferunt. Sed quando occiſus habuiſſet alterum inimicum vltra minantem, tunc non faciunt indicium: quod exemplificatur ab Authore in illo, qui vi- 3
dens inimicum dicat, *Ti farò tagliare le gambe, chenon paſſarà molto tempo*, quod audiens alter inimicus illius, contra quem ſimiles minæ fuerunt prolatæ, illum occidit: & in hoc multùm valet Iudicis arbitrium: vſque ad *n.* 18.

Et denique tunc minæ faciunt indi- 4
cium ad torturam, quando ſunt certæ ac illicitam vindictam, & offenſionem inferentes: vnde ſecus ſi ſint dubiæ, & in *Iuris* vindictam etiam ſonare poſſint, vt pu- 5
tà, ſi quis dixerit, *Me ne vendicarò, me ne reſentirò, gli ne farò pentire*, non intelliguntur de vindicta perſonali, ſed tantum de vindicta *Iuris*, etiam quando inquiſitus dixiſſet, *Meglio farebbe attendere à ſuoi negotij, che litigare inguiſtamente, mai goderà de quei beni:* & ſimilia.

Eſt præterea aduertendum, quando 6
delictum fuerit poſt minas ſecutum, vtrùm ſit illud idem in minis comminatum, nécne? ſi enim eſſet, vtique faceret indicium; ſecus ſi in genere diuerſo, putà, quis minatus eſt occidere, poſtea ſecu- 7
tum fuit incendium. Et ſingulariter ſemper intellige de minis deliberatis ſedato animo, & ex interuallo poſt receptam iniuriam, ſeu offenſam illatis; ſecùs incontinenti, vel per iracundiam. Idem intelligendum de minis conditionalibus: quia niſi probata illa qualitate, indicium 8
non inferunt: iſtæ autem minæ probari plenè debent per duos Teſtes conteſtes; quoniam ſi is, qui recepit offenſam, ex qua orta fuit inimicitia dediſſet querelam coram Iudice, & ſic viâ *Iuris* ſe vindicare cepiſſet, tunc non videtur habuiſſe animum occidendi: vſque ad *finem.*

EX QVÆST. LI.

ARGVMENTVM.

Indicium, an, & quale reſultet contra eum, qui delicto non obuiat cum obuiare poſſit? Quando quis delictum reuelare, & an Sacerdos poſſit, & quo caſu in Confeſſione ſibi expoſita propalare.

DE iure Ciuili nemo regulariter te- 1
netur obuiare delicto, aut inſultatum defendere, quamuis commodè facere poſſit: quinimò nec obligatur reuelare, ſiue ſolis acclamationibus impedire. Hæc tamen non procedunt in foro conſcientiæ: nec ſibi vindicant locum in eis, qui non offerentes latrones, ſeu alios nocentes, vel eos admoniti exhibere differentes, diſpendio facultatum puniuntur. Et licèt ad propoſitum Text. in *L.* 1. *&* 2. 2
Cod. de iis, qui Latron. occult. Loquatur in delictis conſummatis; extenditur ad eos receptantes, & occultantes: quia licèt de iure communi nemo obligetur reuelare delinquentes, attamen valent *bandimenta* Præſidum, pœnas imponentia non reuelantibus: quæ notabiliter non comprehendunt eos, qui poſt eorum publicationem de delinquentibus notitiam habent.

Regula pariter limitatur in filiis ſeruis, 3
ſubditis, & Vaſallis, qui ſcientes delictum committendum in patrem vel in dominum, illud non reuelantes, ſeu illi non obuiantes, puniuntur; ſiue ſeruus exiſtat ſub dominica poteſtate, ſiue ſit mercenarius, & conductus: ac ſiue filius ſit legitimus, ſiue naturalis, ſpurius emancipatus, vel non, ac etiam ſpiritualis. Extenditur ad fratrem non reuelantem deli- 4
ctum in fratrem committendum. Similiter ad vxorem, non reuelantem tractatum aduerſus virum, & ad cæteros coniunctos, vſque ad quartum gradum: ea

ſcilicet

scilicet solidissima ratione, quia in iis omnibus consideratur parricidium. Et in tantum, filij, ac alij coniuncti desuper enumerati tenentur; vt si coniunctos defendendo, insultantes occidant, impunes euadant, ac si ad propriam necessariam defensionem occidissent. Extranei verò,
6 reuellare obligantur mortem & offensionem inferendam patri per eius filium, cum hoc sit peculiare in Parricidio. Et è conuerso, Patres & Domini tenentur obuiare delictis committendis per eorum filios & seruos, aliàs puniuntur: ex *L. 2. ff. de noxal.*

7 Sic & pariter Regula non includit eos, qui ratione officij tenentur delictis obuiare, vt Duce belli delicto committendo per suos milites: Prælatus per subditos: & signanter Officialis, seu Potestas potest ab officio deponi, si videns rixantes, & ad arma ruentes, familiam non mittat ab obuiandum. Sic & Vniuersitas, quæ tenetur obuiare delicto committendo per suos ciues in Dominum vel Officialem: quando enim isti offenduntur, quilibet priuatus, & præsens defendere tenetur: provt quisque debet defendere Clericum, si offendatur. In crimine parricidij, & læsæ-Majestatis; quilibet ex debito obuiare debet.

8 Et quamuis generaliter non teneatur aliquis reuelare delictum, insultatum defendere, aut aliàs delictis committendis obuiare; attamen si velit, sibi licet malefactorem propria authoritate capere, & propterea etiam extraneus potest insultatum defendere, & insultatum occidendo, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non tenetur. Clericus obligatur reuelare delictum committendum contra aliquem Sacerdotem, eóque fortiùs contra suum Episcopum.

9 Quando fuit dictum, quem teneri ad reuelandum, sanè intellectum fuit, vt procedat, dummodo constet reuelare debentem, habere certam notitiam delicti committendi, nec sufficit quælibet scientia, debet enim esse verisimilis: & quocunque casu, non personam delinquentis, sed solum delictum reuelare cogitur: vsque ad *n.* 69.

Ex sola scientia in crimine læsæ-Ma-
10 iestatis, quis tenetur, & punitur non reuelans: & propterea sciens tractatum, conspirationem, seu rebellionem contra suum Principem, & Rempublicam, nisi reuelet, eiusdem criminis reus efficitur: quinimò, multi voluerunt, eadem pœnâ mulctari. Alij contra. Tu distingue, aut sciens tractatum contra Principem; poterat illud post reuelationem probare; 11
& tunc secuto defectu ex deficientia reuelationis, punitur pœnâ mortis, & confiscationis bonorum: aut sciens tractatum non poterat illum probare, & tunc non reuelando, tantam pœnam non meretur. Notabiliter verò vxor sciens tractatum à 12
suo viro facto contra Principem, & è contra, non tenetur iugalem fidem frangendo reuelare. Idem est in Patre, aduersus filium: resolutiuè tamen obligatur obuiare, si potest: si autem non obuiat, tenetur eadem pœnâ. Et licet multi dicant, quis non teneri reuelare tracta- 13
tum contra Principem inferiorem; attamen, si disputaretur sub eodem Principe offenso, opinio contraria prævaleret. Si verò particeps conspirationis illam à principio Principi reuelauerit, & impunitatem, & præmium meretur; si non à principio, sed post aliquod tempus, dummodo ante delictum, tunc impunitatem tantum consequitur: vsque ad *numerum* 93.

Sacerdos non potest nec debet sibi in 14
Confessione exposita reuelare: quia secretum, & confessio, sunt de *Iure Diuino*: si autem reuelauerit, tanquam violator Sacramenti punitur: per *c. Sacerdos, de Pœnit. distinct.* 6. Deponitur, & in monasterium detruditur; nec talis reuelatio nocet confitenti; declarando quando confitens reuelat sacerdoti, habuisse animum committendi delictum, sed modo illum pœniteat; quia sacerdos nullo pacto reue- 15
lare potest: si verò pœnitens diceret non posse tentationi resistere, & propterea delictum se executurum, tunc quia non est vera confessio, sacerdoti permittitur reuelare delictum permittendum, vt futuro scandalo obuietur: sic & quando aliunde notitiam habuisset: sed Sacerdoti sic asserenti non creditur. Quinimò, si in Confessione Pœnitens Complices nominasset, eósque credat de facili executuros, reuelare potest *delictum*, non autem *delinquentes*. Poterit insuper reuelare de li- 16
centia Pœnitentis, quo casu sibi plenè creditur, tribus concurrentibus; Primò, quod Sacerdos sit bonæ famæ. Secundò, quod assertio sit iurata. Tertiò, dummodo confitens non contradicat. Poterit insuper reuelare quando sibi fuisset dictum non 17
in actu *Confessionis*, & Pœnitentiæ, licet secretè, & sub sigillo *Secreti*: dummodo agatur de delicto grauissimo *committendo*, non de *commisso*. Cætera quæ ad forum externum spectant in hac materia

vide, ex Iuris Consultis, penes Menoch. *de Arbitrar. lib. 2. cas. 414. in addit. num. 2.*

EX QVÆST. LII.

ARGVMENTVM.

De diuersis indiciis ad torturam sufficientibus.

EXPLICATIS generaliter indiciis, quæ ad torturam sufficiunt, hac vltima quæstione nonnulla principaliora, & specifica ab Authore proponuntur. *Primum* itaque erit ex *Mendacio* desumptum, ex quo maximam oriri præsumptionem non contenditur: verùm an oriatur sufficiens ad torturam? Doctores non bene conueniunt, sed inter se diuisim propugnant. *Auctor* firmat, quod mendacium circa qualitates & circumstantias substantiales, hoc est pœnitentes, & inferentes delictum, dummodo sit adminiculatum, seu plenè probatum, ad torturam satis esse, nisi reus habeat pro se aliquod indicium innocentiæ: quia tunc vnum tollit aliud: vsque ad *n.* 18. 1

Secundum est indicium, *Variatio*: & hîc pariter Doctores decertant ad inuicem. *Author* verò firmando Regulam, dicit Variationem indicium facere ad torturam; ne dum si emanauerit ante, sed etiam in ipsa tortura, quando fuit inflicta legitimis præcedentibus indiciis; & dummodo sit adminiculata, ac percutiat delictum principale, vel eius qualitates, & circumstantias substantiales: non enim noceret variatio correcta per aliquam probabilem causam, vt putà obliuionis, quia potest reus dictum suum corrigere per seipsum antequam à Iudice corrigatur: vsque ad *n.* 39. 2

Tertium est indicium, *Vacillatio*, & titubatio: differt hæc à Variatione; quia variare dicitur is, qui primò dicit vnum, & deinde contrarium, nullam variationis causam assignans. vacillans autem dicitur, qui dubitando, & tremendo loquitur. Et hinc constituitur Regula, quod vacillatio, titubatio, trepidatio, tremor, timor, pallor, & similia signa, faciant indicium ad torturam: & è contrà, constantia, alacritas, & in respondendo audacia, maximè Rei innocentiam demonstrent. Verum vacillatio sola absque variatione non sufficit ad torturam. Ratio 3 4

est, quia præsentia Iudicis terret, & eam multi quoque innocentissimi pertimescunt: sed quocunque casu pallor, erubescentia, & alia signa desuper posita à Notario describenda sunt in processu de Iudicis mandato: vsque ad *n.* 50.

Quartum oritur indicium, & illud quidem ad torturam de se solum sufficiens contra eum, qui *fugiens*, visus fuit exire de aliqua domo *pallidus*, & cum *gladio sanguinolento*, ibique inde reperiatur aliquis *mortuus*; imò voluerunt multi, quod sit sufficiens ad condemnandum. Alij contrà. *Author* firmando Regulam, conclusionem inducit, quod sufficiat ad condemnandum, non solum in casu proposito, sed etiam, si quis fuerit visus exire de agro, seu via publica, cum gladio euaginato, & sanguinolento, quando ibi appareat cadauer occisi: imò plus etiam, quod eius ensis & gladius reperiatur sanguine aspersus; sed hoc casu indicium diluitur, si probaret Dominus, illud alicui commodasse, vel amisisse, seu forsan sanguis non esset recens; & in vtroque casu huiusmodi indicium probandum est per duos testes; nec non oportet vt domus, ex qua dicitur iste indiciatus egressus, vnum tantum ostium, & vnum aditum habeat, & licet hoc indicium satis sit ad condemnandum, sanè intelligas quoad pœnam extraordinariam citra mortem; quando enim Iudex sententiam ex præsumptionibus profert, vtique mitiùs pronunciare debet: vsque ad *n.* 69. 4

Quintum est *armorum delatio*: siquidem, cum à iure prohibita sit, facit contra deferentem malam præsumptionem, siue de Delinquente non constet, siue etiam constet, putà de Occisore; & probetur, ipsum ante rixam arma detulisse, cum solitus non esset; quia præsumitur homicidium deliberatè commisisse; eóque magis si deferat euaginata: & maximum contra eum, cuius gladius repertus fuerit prope cadauer occisi, præcipuè si penes inquisitum existat vagina vacua, apta ad recipiendum gladium sic repertum. Indéque oriuntur contra eum, qui ante homicidium commissum, visus fuit acuere, polire, vel de armis aliquam experientiam facere, & contra illum, qui ante homicidium patratum, se exercebat in armis & *scrimia*: nec non contra eum ad cuius gladij mensuram reperiantur vulnera occisi; sed certè hoc est multum debile, alio non concurrente. Simile delationis indicium excluditur, quando quis arma deferat ex aliqua iusta causa, quæ 5

remittitur

remittitur Iudicis arbitrio considerandа, & tanquam indicium remotum nunquam infert ad torturam : vsque ad *num.* 85.

Sextum, *Conuersatio cum malis hominibus*, quia ex mala conuersatione oritur indicium maleficij; & ideo si commissum sit homicidium, & probetur, quod de eo inquisitus, solitus sit conuersari cum homicidiariis, & ipse indiciatur, & simul cum eo prætensi complices & participes, dummodo conuersatio sit stricta, & continua, ac aliis præsumptionibus cumulata; quia simpliciter de per se nihil operatur: vsque ad *n.* 93. 6

Septimum oritur contra eum, qui statim commisso aliquo delicto, *affectatè* vadit ad Curiam, sponte sollicitat, perquirit, & inueniendi delinquentem curam demonstrat: sed hoc indicium tanquam remotum, aliis non concurrentibus, ad torturam non sufficit; sed notabiliter, quando quis reperitur interfectus domi, in vinea, vel agro, si tale homicidium habitator, vel Dominus, primus, & sponte vnà cum malefactoribus Curiæ denunciet, non solum non indiciatur; quin potiùs si taceat, vel ex interuallo denunciet, redditur suspectus: & si plura concurrant, torquetur, quamuis sit bonæ famæ: vsque ad *n.* 98. 7

Octauum, contra *Dominum domus*, vbi quis reperiatur *occisus*; præsertim nisi statim Curiæ denunciet: quia ex hac sola taciturnitate, indicium ad torturam desumitur. Extende ad cohabitantes, & familiares, qui tanquam verisimiliter informati torqueri possunt; eò magis, si sint malæ famæ: & hoc casu tortura incipienda est ab iis, qui sunt magis suspecti: Alij contrà. Certè articulus iste est valde dubius. Vnde pro resolutione ità distingue; si Dominus domus torquetur, non tanquam reus principalis, sed tanquam testis verisimiliter informatus, potest torqueri, etiam quod non sit malæ famæ; si verò tanquam principalis, & concurrat aliqua præsumptio, etiam torqueri poterit: quod si nulla vrgeat, & fuerit bonæ famæ tunc consideret Iudex, an homicidium domi commissum potuerit committi ab alio, quam à Domino domus, & ibi habitantibus; an verò à nullo alio, quàm à domesticis. Primo casu, non poterunt vllo pacto torqueri, nisi fuerint malæ famæ, vel soliti similia committere: Secundo casu, poterunt torqueri, quamuis sint bonæ famæ: sed quandocumque probari debet Dominum fuisse domi: vsque ad *n.* 120. 8

Nonum, quando *mortuus* reperitur in *via*, & prope *domum alicuius*; dominus enim illius domus potest torqueri, dummodo sit homo malæ famæ, seu loco malæ famæ concurrat aliquod aliud indicium: & tamen de se solùm, non sufficit ad torturam, præsertim nisi iste Dominus habuerit *inimicitiam* cum occiso: vsque ad *n.* 127. 9

Decimum resultat ex vicinitate, regulariter enim de *iure*, homicidium, damnum, furtum, & generaliter quodcumque delictum, si nesciatur à quo fuerit commissum; commissum præsumitur à vicinis; & ideo possunt torqueri, non solùm tanquam Rei principales propter præsumptionem delicti ex capite vicinitatis resultantem; sed etiam tanquam testes verisimiliter informati. Ita concluso recipit omnes illas restrictiones quas admittit Regula illa, quod *vicinus præsumitur scire facta vicini*: de quibus per Duen. *reg.* 25. Nouell. *reg.* 137. scilicet quando vicinus erat malæ famæ, aut habebat inimicitiam cum occiso: vsque ad *n.* 133. 10

Vndecimum, contra eum, qui tempore maleficij, vel incontinenti post, inuentus est *in loco delicti commissi*, siue *propinquo*; concurrente insolita armorum delatione, & mala fama: quia aliàs oritur solùm quædam præsumptio sufficiens ad capturam, & ad inquirendum: vsque ad *n.* 138. 11

Duodecimum, contra eum, qui tempore maleficij, vel incontinenti post, siue ante delictum patratum visus fuit *pertransire*, & *deambulare* in illam viam & locum, in quo fuit commissum: iuncta tamen inimicitia, mala fama, & aliis adminiculis: vsque ad *n.* 144. 12

Decimumtertiũ oritur ex *causa* delicti: qui enim causam delinquendi habuit, deliquisse præsumitur: & in proposito, causa dicitur id ex quo vel propter quod aliquid fit: & est duplex, Impulsiua scilicet, & Ratiocinatiua. Impulsiua, quæ sine aliqua cogitatione per quandam animi affectionem hominem ad delinquendum mouet; vt amor, iracundia, ægritudo, violentia, & cætera similia, in quibus animus ita videtur affectus vt rem perspicere cum cura, & consilio non possit; 13

homi

hominémque ad delinquendum impellit, potiùs impetu, quàm cogitatione. Ratiocinatiua, est diligens, & considerata delinquendi cogitatio: vt si per amicitiam, vindictam, odium, spem, dolorem, metum honorem, dominationem, commodum, incommodum, pecuniam, lucrum, libidinem, & iis similia deliquerit. Regu-
14 la procedit etiam nulla existente causa, dummodo tamen delinquens putasset causam adesse: multóque magis, si ita esset à natura comparatus & propensus ad id; seu in illam causam propter quam deliquit; vtputà causa amoris, si probetur luxuriosus, & libidinosus; honoris, si ambitiosus; odij, si promptus ad vindictam; pecuniæ, si auarus; & iis similia. Hoc indicium magis afficit, quando apparet neminem alium habuisse causam delinquendi: & sicut causa existente delictum præsumitur; ita cessante causa, cessat præsumptio delicti. Hæc tamen causa debet probari specificè, non genericè; debétque esse grauis, non leuis: vsque ad *num.* 154. & tamen aliis non concurrentibus indiciis, ad torturam inferendam non sufficit.

Decimumquartum, & illud quidem ad
15 torturam sufficiens oritur contra eum, in cuius aspectu occisi cadauer *sanguinem* mittit: sed tamen quidquid dicant multi, istud per se solum, ex causis per *Authorem* allatis, non sufficit ad torturam, sed tantum ad inquirendum; dummodo etiam sanguis è cadauere fluat, infra septem horas post mortem occisi, & non aliàs: vsque ad *n.* 157.

Decimumquintum oritur ex *acclama-*
16 *tione*, aut vociferatione: si enim mulier, vel alius auditus fuerit in aliqua domo clamare, seu auxilium implorare, nascitur indicium, quòd is vim patiatur de vulnere, percussione, stupro, aut quo alio simili: eò magis, si tali acclamante, visus fuerit aliquis exire, vel aufugere de dicta domo Verum talis acclamatio probat delictum, non autem delinquentem, & tanquam indicium remotum liquidari debet per duos testes, & satis est quod deponant de acclamatione, quamuis acclamantem non viderint: vsque ad *n.* 163.

Decimumsextum oritur ex *præparatio-* 17
ne armorum, equorum, pecuniæ, seu alterius rei, vel instrumenti ad delinquendum inferentis: sed de se solum non facit indicium ad torturam: vsque ad *n.* 165.

Decimumseptimum ex mala *physio-* 18
gnomia, & malo seu turpi *nomine*: exemplificando secundum *Authorem* in illo qui cognominatur *Foraboſco*, *Tarabuſco*, *Spezzacroce*, *Tizzaguerra*, *Mezzofrà*, *Falameſchia*, *Scaramella*, & similia. Tortura enim, quando infertur, est primum incipienda ab iis, qui habent talia nomina: sed hæc indicia faciunt tantum præsumere delictum in genere, non autem inducunt indicium speciale super delicto, de quo inquiritur: vsque ad *numer.* 167.

Decimumoctauum ex *denunciatione* 19
Officialis, seu Syndici maleficiorum. Super quo forma Regulas: quarum *Prima* sit, quod sufficiat ad inquirendum generaliter, quamuis deponat ex relatione alterius. *Secunda*, quod non faciat indicium ad torturam, nisi deponat immediatè, & de visu super maleficio. *Tertia*, quod sibi non credatur in grauibus delictis, nisi lege municipali caueretur esse credendum; sed etiam hoc casu quis non prohibetur probare contrarium: Creditur quoque ipsi quando eius officium consistit non solùm in denunciando, sed & in inquirendo: Quod procedit in delictis leuibus: vsque ad *n. fin.* 187.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.
PROSPERI FARINACII
PARS SEXTA.

EX

LIBRO SECVNDO, TITVLO SEXTO, QVÆST. LIII. DE OPPOSITIONIBVS CONTRA Personas Testium.

ARGVMENTVM.

Inimicitia an & quando Testem à testimonio repellat.

VTILIS admodum, & in Iudiciis quotidiè opportunus, necnon necessarius est huiusmodi tractatus de *Testibus*: ex quo conabor pro viribus clariorem succum, optimèque purgatum exprimere atque expromere. Quare si forsan iuxta stylum mihi propositum longior euadam, sciat Lector, quod expressio debet esse valida, ac benè defæcata, vt suauiùs noster *Succus* gustetur.

1 Testium edictum hoc, ideo prohibitorium dicit *Author*, quia quilibet ad testificandum admittitur, nisi à *lege* expresè prohibitus reperiatur: & ideo Titulum hunc *de Oppositionibus contra testes*, post Titulum, *de Indiciis, & Tortura*, subnectere voluit: quia hæc testium materia, cum difficilis, & ampliſſima sit, & à Doctoribus valde inuoluta & intricata ab ipso in breue Compendium redacta fuit; Ego quoque ipsam perbreuissimè restringo.

2 Opponitur ergo *primò*, quod testes sint *inimici*, odiosi, & maleuoli: Constituitur Regula, quod inimicus à testimonio repellatur, siue masculus, siue fœmina: etiam in criminibus exceptis occultis, & difficilis probationis: Nec recipitur in testem etiam à Iudice habente liberum, & amplum arbitrium. Quinimò, nec Princeps de potentia ordinaria potest facere vt inimico credatur. Huius inhabilitas per torturam non suppletur, siquidem inimico, nec etiam in articulo mortis creditur. Non sufficit ad inquirendum specialiter: Inimicitia opposita impedit testis receptionem, dummodo incontinenti probetur; etiam quod causata extiterit facto, & culpâ illius contra quem producitur, & quamuis ortum habuerit à causa minus probabili: & etiam si de inimicitia non appareat plenè, dummodò adsint inimicitiæ causæ: & siue sit inimicus verus, siue 3 etiam præsumptus, suspectus, & occultus. Extende ad odiosum, seu non beneuolum, vel non diligentem eum, contra quem producitur. Verùm si causæ inimicitiæ sint incognitæ, non ei contra quem testis producitur, sed ipsi testi, non sufficiunt ad repellendum, nisi testis tempore depositionis sciret causam, quæ odium aliquod in se haberet. Sic & pariter odium *publicum* non repellit; quod est, quando quis aliquem odio habeat, tanquam facinorosum, infamem, vel peccatorem *priuatum* autem odium, est quid carnale, vel familiare ex causa capitali,

&

& in causa capitali fundatum; & hoc specificè repellit: vsque ad *n.* 33.

A testimonio etiam repellitur inimicus
4 consanguinei mei; consanguineus inimici mei; socius, & domesticus; & ille qui *ligam* vel parentelam aut confœderationem facit cum inimico meo. Frater, seu alter coniunctus, familiaris, & domesticus amici mei, non repellitur à testificando contra me: & exinde, Regula procedit vt loquitur, scilicet quando familiaritas cum inimico est magna, ac talis vt possit dictum testem ad deponendum falsum inducere; & nihilominus amicus inimici, seu cum inimico habitans & conuersans, dummodò conuersatio, & habitatio sit antiqua & continua-
5 ta, testificanti fidem minuit Extende quod ex testimonio prolato in causa criminali oriatur inimicitia capitalis: qua propter vna vice sic examinatus non potest iterum ad testificandum admitti, si prima vice sponte se examini subiecit; secus si coactus: verumtamen etiam hoc casu non poterit dici omni exceptione
6 maior. Generaliter in proposito, si versemur in Ciuilibus, inimicitia debet esse capitalis: si verò in Criminalibus, etiam leuis repellit. Iterum primo casu, nec est idoneus, nec semiplenam probationem inducit, nisi aliàs Iudicis arbitrio contrarium videatur. Et iterum generaliter non
7 repellitur inimicus reconciliatus, vel pacificatus, nisi reconciliatio & pax fuerit facta, vel post depositionem, vel de recenti: recens verò dicitur vsque ad triduum: & quia reconciliatio non præsumitur, ideo est probanda. Non etiam procederet Regula, si inimicitia esset affectata, & procurata ad impediendam depositionem: quod quando sit, nécne? Iudicis arbitrio defertur: vsque ad *n.* 68.

Inimicus admissus ad testificandum
8 Iudicis officio, vel ad partis instantiam, nec est idoneus, nec probat: at si Pars consentiat, & illius depositioni stare se offerat, nihil est, cur non admittatur: & vtique probat testis inimicus contra producentem: ac quocunque casu, cum inimicitia non præsumatur, alleganti eam incumbit onus probandi. Et licèt multi
9 voluerint quod testis inimici dictum adminiculum, faciat indicium ad torturam; Contrarium firma, & conclude de mente *Authoris* optimas, & magistralissimas rationes reddentis: & sic tenendum iudicando: vsque ad *n.* 75.

EX QVÆST. LIV.
Regula I.

ARGVMENTVM.

Coniunctus per affinitatem vel sanguinem, an & quando, à testificando repellatur; an verò potiùs admittatur; & admissus quam fidem faciat.

PONITVR II. quod Testes sint *coniuncti*, consanguinei, vel 1
affines: & ex præmissis firmatur Regula, non esse idoneos, neque integram & legitimam probationem inducere: imò, quod tanquam à *Iure* reprobati, sint prorsus à testimonio repellendi in Criminalibus criminaliter intentatis, & in Ciuilibus criminaliter inductis, dummodò contineant agentis iniuriam. Præmissa eò 2
fortiùs procedunt in Socero, & Socru, qui vice parentum habentur: & sicut consanguinei ad fauorem suorum consanguineorum non admittuntur, sic & contra eosdem cogi non possunt, siue in Ciuilibus, siue in Criminalibus: volentes tamen admittuntur: sed si sponte, & vltrò se offerant, nullam fidem faciunt. Recipiuntur, vbi aliàs veritas haberi non possit. Vsque ad quem gradum non possint 3
compelli ad testificandum? variæ sunt Doctorum opiniones: sed illa verior, vt vsque ad tertium gradum inclusiuè, & non vltra, hoc priuilegium competat. In Ciuilibus causis licèt, vt diximus, recipi 4
possint, hoc sanè intelligendum de, causis leuibus, & parui præiudicij; secus de grauibus, arduis, & valde præiudicialibus: vsque ad *n.* 27.

Affinitas verò, vel consanguinitas de- 5
bet esse per lineam ascendentem, vel descendentem, si versemur in Ciuilibus: quia in Criminalibus nullatenus recipiuntur: verumtamen dissoluta affinitate, ex quo cessante causa cessat effectus, recipi possunt. Sic & admittuntur ad defensio- 6
nem, nisi inducerentur ad reprobandos testes pro fisco examinatos, licèt etiam ad defensam non sint integræ fidei; præcipuè, si ex condemnatione Inquisiti, eis inferretur aliqua iniuria, vel infamia. Singulariter notandum venit quod in instru- 7
mentis affines & consanguinei non prohibentur esse testes ad Partium instantiam, si agatur de probanda veritate instrumenti,

menti, non autem reſpectu Notarij, quando iſte accuſaretur de falſitate inſtrumenti, ſi totum inſtrumentum redargueretur de falſo, ſeu diceretur non celebratum. 8 In teſtamentis quoque admittuntur iſti affines, & conſanguinei: nec non ſimiliter, quando affinitas ex vtroque latere eſſet æqualis, provt eis indiſtinctè fides non diminuitur, ſi ſint Religioſi, vel Laïci probatæ integritatis: & ſicut de expreſſo partium conſenſu poſſunt eſſe teſtes, ſic etiam admittuntur, niſi conſideretur in eis magna affectio, quia licet dictum affinis & conſanguinei ſit de ſe debile, & inane, ſuppletur tamen ex adminiculis, vel ex numero: Omni 9 caſu faciunt aliquod indicium ad inſtructionem, & informationem. Affinitas debet eſſe legitima, non illicita, ad hoc vt teſtimonium impediat: & vbi ſimus in probatione facti, cuius veritas aliter haberi, vel melius probari non poſſit quàm per affines, & conſanguineos; tunc tam in Ciuilibus quàm in Criminalibus recipiuntur; præcipuè in Criminalibus exceptis, & contra producentem: ſed in Ciuilibus, ac generaliter nunquam reputantur integræ fidei, nec ex eorum dictis iuramentum ſuppletorium defertur: Quãuis Alij contra: vſque ad *n.* 83.

EX QVÆST. LIV.
Regula II.

ARGVMENTVM.

Frater pro fratre quando admittatur, & quam probationem in teſtificando inducat, ſiue in Ciuilibus, ſiue in Criminalibus.

IN Criminalibus frater repellitur à 10 teſtimonio ad fauorem fratris: & licèt in Ciuilibus non repellatur, nihilominus admiſſus non eſt integræ fidei, nec omni exceptione maior: vigore enim ſuæ atteſtationis non defertur iuramentum ſuppletorium. Et ideo Regula conſtituitur, vt frater pro fratre non ſit idoneus teſtis, nec legitimam faciat probationem. Quinimò in Criminalibus, quam- 11 uis ciuiliter intentatis, vbi agitur de iniuria facta fratri, non eſt admittendus. Et licèt in teſtamentis, vt diximus, conſanguinei, & affines admittantur, non tamen admittitur frater niſi à Teſtatore expreſsè rogetur, vel ſimus in teſtamento facto iure ſpeciali. Imò, nec poteſt cogi ad teſtificandum contra fratrem, non ſolùm in cauſa criminali, ſed nec etiam ab extraneo in cauſa ciuili productus, licèt ſecùs à fratre.

Regula procedit, & appellatione fratris venit, tam carnalis, quàm ſobrinus: 12 ſed vbi veritas aliter haberi non poteſt, cogitur ad teſtificandum, & volens admittitur tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus; niſi ſponte, & vltrò ſe offerat. Extende, quando vtraque pars litigantium conſentiret, vel ſi adhibeatur 13 tanquam teſtis inſtrumentarius, ſeu in criminibus exceptis. In cauſis ciuilibus parui momenti, iudicis arbitrio. Item quando teſtificaretur inter duos fratres, vel in Criminalibus ad defenſam, & ad 14 fratris innocentiam purgandam in cauſa hæreſis; ſed tamen non eſt teſtis integræ fidei, & omni exceptione maior. Poteſt inſuper admitti in inſtrumento fratris, cum extraneo celebrato, dummodò ſit rogatus, vel pars non opponat. Probat contra inducentem: Ex quo in- 15 ductus à Fiſco, contra fiſcum probationem facit, & quolibet caſu eius depoſitio ſuppletur ex numero; & ſic admittitur quando eſt Religioſus, vel etiam laïcus ſummæ & exemplaris probitatis; præſertim ad probandam ætatem, & in cauſa Matrimoniali: ſed ſi inſimul ha- 16 bitent, aut in communione omnium bonorum, vel ſub patria poteſtate ſint admitti non debent; & admiſſis illis quanta fides ſit adhibenda? Iudicis arbitrio remiſſum eſt.

EX QVÆST. LIV.
Regula III.

ARGVMENTVM.

Parentes pro filiis, & è contra, quando recipiantur in teſtes, & quam faciant fidem.

PATER pro filio, & è contra; vel mater pro filio, & è contra; non ſunt teſtes idonei: & appellatione filio- 17 rum veniunt omnes Aſcendentes, & Deſcendentes, tam maſculi, quàm fœminæ vſque in infinitum: imò, nec patri teſtimonium ferre permittitur in cauſa, in qua filius ſit procurator, & agatur

de probando factum filij : Sed è contrà, filius potest testificari secundùm aliquos, vbi pater sit procurator ; ea scilicet ratione , quia plus pater diligit filium, quam filius patrem. Contrarium est verius secundùm *Authorem*.

18 Imò extendendo Regulam; filius omnino repellitur , siue sit legitimus & naturalis , siue naturalis tantum; siue emancipatus , siue spurius, siue tandem adoptiuus. Appellatione *Parentum* in pro-
19 posito veniunt Nutritores , & Nutrices; siue habitent in domo alumni , siue non: licèt quam faciant probationem ? remittatur Iudicis arbitrio. Limita in Collactaneo , hoc est lactis fratre : Sed extende ad Priuignum, & Vitricum : ita vt
20 parentes non possint cogi ad testificandum contra liberos , nisi vbi veritas aliter haberi non possit : verùm Iudex ab hoc abstinere debet:& si delictum sit atrox,Princeps consulendus est.

Singulariter excipiuntur crimina læsæ-
21 Maiestatis , & hæresis , in quibus Pater, & è contrà filius , compelluntur, & admittuntur ad testificandum , & ad accusandum : sed iis exceptis, nec volentes recipiuntur.

Mater tamen ad probationem ætatis filiorum admittitur , in qua huiusmodi at-
22 testatio efficax est , nisi filio resultet commodum , & vtilitas. Extende ad probandum Religionis ingressum , animo profitendi nécne ; & causam status. Admittuntur parentes in instrumento celebrato cum extraneo , si iste extraneus filiationem non ignorabat , & expressè , siue ta-
23 citè consentit. Item in causa Matrimoniali, quando agitur, & dubitatur de subitantia Matrimonij ob affinitatem ; secùs si quæratur , vtrùm Matrimonium sit con-
24 tractum , nécne. Similiter in factis , quæ de sui natura sunt difficilis probationis, siue in iis quæ per patrem & matrem sciri præsumuntur meliùs quàm per alios Item
25 in testamento filij militis testantis de castrensi peculio in castris , & in militia existentis : sed è contra filius in testamento Patris , vti testis non admittitur . vsque ad *num.* 198.

Pater & filius spirituales non prohi-
26 bentur ad inuicem testificari, sed non reputantur integra fidei , & omni exceptione maiores : ex quo in Criminalibus repelluntur: & licèt aliqui dixerint esse omni exceptione maiores , ne recedas à proposita veriori conclusione. Notabiliter
27 etiam pater testificari permittitur pro vno filio contra alium : & è conuerso , filij contra patrem ad fauorem cessionarij ipsius patris , (nisi cessio fiat in fraudem) præcipuè quando ipsemet pater cedens , ex pacto, vel aliter , non teneretur de euictione iurium cessorum. Similiter in causa correctionis , vel prohibitionis peccati, & in Criminalibus , quando ad defensam testimonium Patris habet contestem : vsque ad *n.* 207.

EX QVÆST. LIV.
Regula IV.

ARGVMENTVM.

Maritus pro vxore , & è contra, quando possint testificari , & quam fidem faciant.

MARITVS pro Vxore , vel Vxor pro Marito , repelluntur à testifi- 28
cando. Extende ad Sponsam : imò , & ad Concubinam , pro eo qui ipsam retinet in concubinatu : & magis generaliter ad quemlibet Amasium pro sua Amasia, & è contra : ac etiam ad vxorem expulsam , adeò vt quocumque casu eadem vxor à testimonio repellatur. E contra tamen cogitur vir ad testificandum con- 29
tra vxorem : provt singulariter vxor compellitur in causa Hæresis , & Matrimonij , quando veritas aliter haberi non po- 30
test , quando agitur de probando innocentiam inquisiti , vel si agatur pro delicto ad vindictam publicam , & pro fisci vtilitate : verùm , cùm hæc in pratica non subsistant ; ne serues : vsque ad *numerum fin.* 230.

EX QVÆST. LV.
Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Domestici an & quando à testimonio repellantur ? & admissi qualem faciant probationem.

OPPONITVR Tertiò , quod tes- 1
tes sint *Domestici* producentis , & constituitur Regula negatiua , scilicet, quod Domestici à testificando repellantur , nedum in iis quibus imperari potest

ratione

ratione patriæ, vel dominicæ poteſtatis, ſed etiam in habitantibus ſimul in eadem domo, dummodò habitatio ſit continua & aliqua data ſuperioritate, vel inferioritate reſpectiuè: quinimò etiam data æqualitate non dicuntur omni exceptione maiores, & repelluntur ſi viuant communibus expenſis, ac habeant communes mentes, & dentes. 2 Extende ad mercenarios, illos ſcilicet, qui conuentâ mercede alicui operas ſuas locant, quos quandóque laboratores, quandóque ſalariatos appellamus: ſi enim in ſimul habitent cum Domino, penitus repelluntur; ſi ſeparatim, 3 Iudicis arbitrio relinquitur quanta fides ſit iſtis adhibenda. Idem dicimus de negotiorum geſtore, factore ſeu inſtitore, 4 qui omnes non ſunt omni exceptione maiores, ſed eis fides minuitur arbitrio iudicantis: vſque ad *n.* 20.

Et adeò generaliter repelluntur domeſtici, 5 vt nec etiam admittantur cum tormentis, niſi quando veritas aliàs haberi non poteſt: ſiue verſemur in Ciuilibus, ſiue, & eo magis in Criminalibus; etiamſi impropriè vt familiares, ſiue impropriiſſimè, vt coloni, laboratores, liberti, & mercenarij conſiderentur: poſſunt tamen admitti ad fauorem fiſci, Iudice procedente ex officio, ſiue quando ageretur de probanda obuiatione in delicto committendo. Non repelluntur pariter Domeſtici Domeſticorum; neque qui tempore teſtimonij ampliùs non eſt, quamuis antea fuerit domeſticus, niſi ex fraude dimiſſus fuiſſet, quæ quidem fraus præſumeretur, ſi prolato teſtimonio, vel etiam lite finita, iterum domeſticus fieret: vſque ad *num.* 35.

Admittuntur indiſtinctè quando veritas aliàs haberi non poteſt: 7 eóque magis, quando ſumus in facto, de quo veriſimiliter domeſtici ſunt informati: provt exemplificari poteſt in factis domeſticis, delictis nocturno tempore patratis, in probatione Stupri, & Adulterij, ſeu Matri- 8 monij clandeſtini: ſic & in probatione ſ upellectilium, infirmitatis, valoris rerum furatarum, rerum immiſſarum in naui, vel domo, in interpretatione ſignorum alicuius Muti, in ſubtractione rerum poſt confectionem inuentarij: ad probandum ſecreta Patrimonij. Et generaliter in probandis factis, ac delictis domeſticis, non ſolùm admittuntur, ſed admiſſi præferuntur aliis non domeſticis: habentur integræ fidei & maiores omni exceptione; niſi inducerentur à condomeſticis 9 contra tertium. Et in caſibus, in quibus veritas aliàs haberi non poteſt, admittuntur quidem, ſed non ſunt omni exceptione maiores, præterquàm ſi deponerent contra Dominum, aut Domeſticum. Et ad hoc vt veritas dicatur aliunde haberi non poſſe, neceſſe eſt, vt locus in quo factum, & negotium ſecutum fuit, ſit ſui natura talis, vt in eo alij teſtes intereſſe 10 non potuerint, quia aliàs haberent contra ſe præſumptionem, & ſine tormentis non reciperentur; quia licèt admittantur ad defenſionem Rei inquiſiti, & ad illius innocentiam probandam, attamen repellerentur, ſi ageretur de reprobatione aliorum teſtium: vſque ad *n.* 81.

Domeſtici verò valde honeſti & probatæ vitæ recipiuntur, ac generaliter 11 adhibentur in inſtrumentis, dummodò ſint rogati, & contrahentes domeſticitatis cognitionem habuerint: ſic pariter in teſtamentis ſi ſint Domeſtici teſtatoris; non autem hæredis ſcripti. Et iterum ge- 12 neraliter, quamuis admiſſi, vbi admitti non poterant, nullam faciant præſumptionem; tamen parte non opponente, & faciunt indicium, & probationem; præſertim ſi deponant contra alium Domeſticum, & multo magis contra ſuum Dominum. Admittuntur & Clerici domeſtici fauore Eccleſiæ: provt Domeſtici vtriuſ- 13 que partis, ſi deponant pro, & contra inducentem reſpectiuè: ſic & in crimine hæreſis, & læſæ Maieſtatis, & recipiuntur, & coguntur teſtificari: vſque ad *n.* 99.

Dominus teſtificando contra ſuos domeſticos, niſi aliàs ſit perſona vilis, probati 14 quamuis non dicatur idoneus, quapropter in Criminalibus vtrùm ſit admittendus, & ad quam probationem? Iudicis arbitrio defertur. In probatione conſanguinitatis, Domeſtici abſque dubio probationem inducunt, ſiue agatur ad dirimendum Matrimonium contractum, ſiue etiam ad impediendum contrahendum, 15 ſiue per impedimentum conſanguinitatis, ſiue per quodcumque aliud, ex quo Matrimonium veniret diſſoluendum. Similiter cæteris in caſibus, domeſticum teſtimonium ſuppletur ex idoneitate, & integritate, ſeu ex numero conteſtium. Extende, vt etiam recipiatur in factis antiquis, & ſpecialiter domeſtici Poteſtatis, & Officia- 16 lis, tempore Syndicatus poſſunt eſſe teſtes; provt eſſe poſſunt amici: eóque magis generaliter ad probandum furorem ipſius furioſi familiaris, & domeſtici: vſque ad *num.* 116.

EX QVÆST. LV.
Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Familiares, Famuli, Ancillæ, an & quando pro eorum Dominis possint testimonium ferre, & quantum valeat eorum depositio.

17 REGVLARITER *Familiares* alicuius non admittuntur pro eo ad testificandum; quamuis sint familiares ludicis criminaliter ex officio contra aliquem inquirentis si Iudex aliquam affectionē habeat ad causā: & generaliter nō sunt testes integræ fidei, & omni exceptione maiores. Hæc non procedunt in familiaribus Episcopi, Abbatis, seu alterius magni Domini; qui cum reputentur honestæ & laudabilis vitæ admittuntur pro eorum Dominis, &
18 ad illorum fauorē. Et licèt familiaris meus repellatur à testimonio ferendo pro me, non tamen repellitur familiaris familiaris mei, nec familiaris procuratoris mei: repelluntur enim illi tantùm familiares, qui domi versantes, salarium, & impensas recipiunt à Domino & quamuis isti non admittantur admissi tamen aliquod indicium, seu præsumptionem faciunt; & ideò excipiens de familiaritate, non satis est si dicat *familiares* simpliciter, quia requiritur expressio *causæ familiaritatis*: vsque ad *num.* 135.

19 Famuli, & seruitores non admittuntur ad testificandum pro eorum Dominis etiā quod deponant de facto proprio, vel de iis quæ viderāt ante famulatum: sed hoc non intelligitur de famulo gratis inseruiente, absque expensis & salario: nec de famulis alicuius magni Domini, seu Illustrissimæ Personæ; non de famulo Tutoris, cui permittitur testimonium ferre pro pupillo: &
20 pari ratione famulus Abbatis ad fauorem Monasterij: sic & ille, qui antea famulus, talis non est tempore testimonij ferendi, nisi per fraudem fuisset licentiatus, quæ in dubio cùm non præsumatur, probanda est per allegantem: sed vtique præsumeretur, si finita lite, illicò ad famulatum reuerteretur: provt maximè faceret ad excludendam fraudem, quod famulus ante depositionem quæsierit alterum dominum cui operas suas locaret: & licèt multi dixerint fraudem præsumi, si lite pendente se licentiauerit; attamen contrarium est verius, nisi spem reuertendi habeat. Similiter, & ancilla ad instar famuli, & recipitur, & repellitur: vsque ad *num.* 165.

Regulariter cùm seruus de iure Ciuili habeatur pro mortuo, ideo à testimonio 21
repellitur in quocumque actu, instrumento, & testamento, nisi iste seruus reputaretur communiter liber, aut veritas aliàs haberi non posset, seu versaremur in exceptis criminibus, vel in testimonio de facto proprio, iunctis præsumptionibus: sed istis casibus sine tormento non recipitur. Pari passu admittitur ille, qui actu 22
est liber, & in potentia seruus, vt putà in seruo sub conditione, & in eo, qui in statu libertatis existens licèt super seruitute pendeat iudicium: non autem idem consideratur in eo, qui actu est seruus, sed potentia liber vt puta, quia libertas sibi relicta sit sub conditione, cùm in hoc attendatur tempus depositionis. Potest etiam seruus liber factus testificari de iis, quæ antea vidit in seruitute; nisi deponeret ad fauorem sui Domini, quia adhuc pro domestico reputatur: vsque ad *n.* 180.

EX QVÆST. LV.
Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Subditi, & Vasalli, an & quando admittantur ad testificandum pro eorum Dominis? & admissi qualem faciant fidem, & probationem.

REGVLA affirmatiua proponitur, quod *Vasallus* ratione feudi potest 23
esse testis pro Domino suo; nisi obligaretur ad præstandum sacramentum, vel contrarium suaderet ratio personæ Vasalli, eiúsque famæ & fidei; vel nisi Dominus esset adeo sæuus & terribilis, quòd si Vasalli eius voluntatem adimplere recusarent, illis vim inferre, aut similia facere solitus esset. Et tunc demum Vasalli admittuntur ad ferendum testimonium pro 24
Domino, quando agitur de probando quid factum, vel dictum in comitatu Baronis; secùs è contrà: & tamen vbicumque Vasallus non admitteretur ad testificandum ad fauorem rei, quam habet in feudo; vel quando vltra vasallagium concurreret magna amicitia: verum

verumtamen quandocumque admiſſus, non eſt teſtis integræ fidei, nec concurrit cum teſtibus non vaſallis: vſque ad *n.* 203.

Regula ſecunda pariter proponitur af-
25 firmatiua, quod ſcilicet ſubditus, ſeu Vaſallus ratione Iuriſdictionis non prohibeatur teſtimonium ferre pro ſuo Domino, etiam habente in eum merum, & mixtum imperium, quando agitur de probando factum vel dictum in ſtatu illius Domini, vbi teſtis inducitur; vel niſi ſubditus iſte eſſet vilis, pauper, & in veriſimilia deponeret, aut aliqua ſuſpicione laboraret; & ideo Vaſalli, & ſubditi, Angarij, & Parangarij, cùm habeantur pro vilibus, & multùm ſubiectis, & quaſi loco ſeruorum, vix admittuntur: ſed quocumque caſu, & generaliter ſubditi admittantur, non reputantur teſtes integræ fidei, & omni exceptione maiores: vſque ad *n.* 212.

EX QVÆST. LV. Inſpectio IV.

ARGVMENTVM.

Coloni, Inquilini, & Emphyteutæ, quando admittantur ad teſtificandum pro Domino, & quam fidem faciant.

26 COLONVS non admittitur ad teſtificandum pro Domino ſuo præcipuè ſi ſit adſcriptitius, ſeu talis cui imperari poſſit: ſed quidquid ſit de *Iure*, hodie de *Conſuetudine* à teſtimonio non repellitur: ſic & *Colonus partiarius*; niſi quando ageretur de fructibus fundi, & tractaretur conſequenter de proprio commodo ipſius coloni: quamuis omni caſu, vtrùm ſit illi adhibenda fides, nécne? Iudicis arbitrio remittitur. *Inquilinus* autem domus, cùm non poſſit dici domeſticus, provt Emphytheuta, (niſi agatur de re emphytheotica)
27 ideò admittuntur. Et iterum quamuis Coloni fides non ſit integra, cum non dicatur teſtis omni exceptione maior, ſupplebitur tamen, vel ex habilitate conteſtium, vel ex eorum numero. Eóque magis admittitur Colonus partiarius, quando
28 agitur de poſſeſſione probanda illius agri, de quo commodum non reportat, niſi ratione fructuum recollectorum ex induſtria: idémque quando tractaretur de modica re, aut eſſet colonus rei minimæ, puta vnius ſacculi frumenti: vſque ad *n.* 329.

EX QVÆST. LV. Inſpectio V.

ARGVMENTVM.

Amici teſtimonium, ad amici ſui fauorem prolatum, an, & quando faciat de Iure *probationem & fidem.*

AMICVS an admittatur ad teſtificandum pro ſuo Amico, & an ad- 29
miſſus, ſit integræ fidei, & probationis: non bene à Doctoribus firmatur: vnde *Author* relatis aduerſantibus opinionibus, tandem Regulam format, ſcilicet, quod Teſtis *amicus*, quamuis à teſtimonio non repellatur, non tamen ſit integræ fidei, & omni exceptione maior. Eſſet tamen integer teſtis, quando non ageretur de commodo, ſiue incommodo ſui Amici: & quocumque caſu, Amicorum teſtium dicta ſupplentur ex depoſitione conteſtium, ita vt vbi duo teſtes, non Amici plenè probarent, pro- 30
bent tres Amici, aut plures; niſi amicitia eſſet maxima. Admittuntur etiam Amici Parte non opponente: ſeu Amici coniuncti 31
quadam *caritatiua*, vel vt alij volunt dilectione pietatis plena; vel amicus vtriuſque Partis; necnon indiſtinctè, vbi veritas aliàs haberi non poteſt: ideóque recipiuntur ad probandum furtum, vel dolum factum in ædibus Amici. Et inde *Compatriota* quoque admittitur, niſi alia contra eum vrgeat exceptio; Quidquid in contrarium dubi- 32
tent multi: ita vt volens repellere teſtes prætextu amicitiæ, debet non ſolum illam probare genericè, ſed etiam ſpecificè, & punctualiter qualitates, & circunſtantias amicitiæ, ad hoc vt Iudex dignoſcere poſſit, an ſit talis, vt teſtis fidem minuat. Et hinc infertur, quod ſi teſtis interrogatus 33
reſpondeat ſe Amicum eſſe producentis, ſicut alterius communiter, ex tali reſponſione non redditur eius dictum inualidum: quod ſi reſpondeat ſe ſimpliciter Amicum, non adhuc dicitur amicitia probata; ſed ſi deponat vehementer, ſe expoſiturum vitam in contingenti caſu, ad beneficium producentis, licet percipiatur feruens beneuolentia, & feruidus amor, non ta- 34
men teſtimonium redditur inutile; ea ratione, quia non præſumitur velle exponere animam deponendo falſum: vſque ad *num. fin.* 257.

EX QVÆST. LVI.
Præludia.

ARGVMENTVM.

De Teste Infami: discutitur quid, & quotuplex sit Infamia? qui dicantur Infames infamiâ iuris, seu facti? & quomodo probetur infamia.

OPPONITVR quartò contra testes, quod sint *Infames*. Infamia autem morti æquiparatur, & eam duplicem esse, aliam scilicet *iuris*, & aliam *facti*, omnes Doctores exclamant. Infamia ergo nihil aliud est, quàm læsæ dignitatis status, moribus & legibus improbatus. Et pro faciliori cognitione, formandæ Conclusiones

1 Prima erit, quod Infames infamiâ iuris sunt, omnes enumerati à Prætore in *l. 1. ff. de iis qui not. infam.* vltra eos, qui ex aliqua *lege*, vel *constitutione* particulari æstimantur infames; seu infamiæ pœna illis irrogatur.

2 Secunda, quod ex Infamibus infamiâ iuris, alij sunt qui *ipso iure* infames euadunt, aut *ipso facto*. Infames ipso facto sunt illi, qui statim post aliquid commissum Lex illos infamat. Infames ipso iure, seu ex sententia, sunt illi qui infamiam non incurrunt, nisi post condemnationem.

3 Tertia, Infames infamia *facti* sunt qui de *Iure* non dicuntur infames, sed tamen commiserunt tale quid, propter quod communiter eorum opinio, fama, & æstimatio remanet læsa, & grauata apud bonos, & graues viros.

4 Quarta, quod damnatus de *publico* iudicio, efficitur infamis infamia Iuris. Damnatus autem *priuato* iudicio, non dicitur infamis, præterquam in actione furti, vi bonorum raptorum, & iniuriarum.

5 Quinta, crimen *iniuriarum* dicitur priuatum, & non publicum, siue iniuria sit atrox, siue leuis; & siue ciuiliter siue criminaliter agatur; & siue de iure Canonico, siue de Ciuili.

6 Sexta, præcedentis declaratiua, quod licèt condemnatus ex priuato crimine in actione furti, vi bonorum raptorum, & iniuriarum, efficiatur infamis; attamen procedit quando condemnatio sit ratione doli, secus si ratione culpæ, quamuis latæ.

Septima, quod ex confessione, quis probetur infamis, etiam quod sit confessio ficta resultans ex transactione facta super crimine infamatorio, nisi fiat authoritate & iussu Iudicis, vel sit gratuita; & pro pœna, nulla pecunia soluta. 7

Octaua, quod per sententiam quis probatur esse infamis, si sententia contineat crimen infamatorium. 8

Nona præcedentis declaratiua, quod pendente appellatione à sententia condemnatoria super crimine infamatorio, similis condemnatus non habeatur infamis. 9

Decima, quod ex sola probatione criminis quis non dicitur infamis nisi adsit sententia, vel confessio. 10

Vndecima, quod infamia *facti* probatur per testes. 11

Duodecima, vltra infamiam *iuris*, & *facti* datur alia species infamiæ, quæ *Canonica* vocatur, & verificatur in illis, qui impœnitentes persistunt in peccato mortali: vsque ad *n.* 25. 12

EX QVÆST. LVI.
Articulus I.

ARGVMENTVM.

Infamis infamiâ Iuris, *an & quando à ferendo testimonio repellatur, vel admittatur.*

REGVLA proponitur negatiua, quod scilicet Infamis infamiâ *Iuris* non admittatur ad testimonium ferendum, tam in Ciuilibus, quam in Criminalibus; & tam de iure Ciuili, quam de Canonico: quinimò nec per torturam talis infamia purgatur, ac post mortem testis potest probari. In testamentis non admittitur, nec etiam contra infamem, eiúsque dictum, tanquam omnino nullum, suppleri non potest; nisi adessent duo alij testes fide digni: sed hoc casu dictum Infamis non consideratur nisi adminiculum. Posset insuper admitti vbi aliàs delictum non posset probari nisi per infames, & hoc casu nec etiam plenè probant, sed tantum faciunt indicium ad torturam, si cum tortura deponant. Quod autem veritas aliàs haberi non possit actu, & habitu, hoc est articulandum, & probandum, nec immeritò, quia si essent plures, adeo vt posthabitâ infamiâ Reum conuincerent, 13 14

uincerent, ac deponerent de viſu ſuper
15 delicto principali, non autem ſuper adminiculis, facerent indicium ad torturam. Recipiuntur etiam in criminibus exceptis, hæreſis, læſæ-Maieſtatis, Simoniæ, Sacrilegij, fraudatæ Annonæ, dilapidationis bonorum Eccleſiæ, fraudati Cenſus, Perduellionis; & tamen in prædictis non reputantur integræ fidei: & ſi in prædictis delictis exceptis alij idonei eſſent examinati, iſtorum infamium dicta nihili æſtimarentur: vſque ad *n.*79.

Infamis reſtitutus ad famam, & ad
16 honores per Principem, ſiue diſpenſatus, recipitur in teſtem. Diſpenſatio verò debet fieri à poteſtatem habente, provt eſt Papa, tam quoad Laicos quàm Clericos; Princeps ſecularis quoad laicos; Epiſcopus in caſibus ſibi conceſſis. Admittitur quoque Infamis occultus; ac Arbiter, & Iudex, iudicandi poteſtatem habentes ex æquitate, & ſola facti veritate inſpectâ, poſſunt admittere huiuſmodi Infamis teſtimonium: quod recipitur etiam in denunciatione Euangelica. Non repellitur
17 iterum ſimilis teſtis, ſi de facto proprio, ac etiam de conſenſu partium deponat, ſeu ſi tantummodò condemnatus de infamia à condemnatione appellauerit, etiam quod poſt appellationem cauſa efficiatur deſerta; quinimò, nec ſuperueniens infamia fidem teſtimonij prolati imminuit, quamuis ſuperueniat ante depoſitionem, ſed poſt iuramentum. Recipiuntur pariter in inſtrumentis ſi infamia
18 ſit occulta: qui enim dicit teſtem infamem, debet probare, vnà cum qualitate infamiæ; quia teſti dicenti in interrogatoriis ſe infamem eſſe, ſibi non creditur, niſi aliunde infamis appareat: vſque ad *num.*99.

EX QVÆST. LVI.
Articulus II.

ARGVMENTVM.

Infamis infamiâ facti *an à teſtificando repellatur, an verò admittatur, & admiſſus quam faciat fidem.*

19 INFAMES infamiâ *facti*, niſi cauſa ſit ardua, & magni momenti, in Ciuilibus non repelluntur; quia tantum reijciuntur in caſibus, in quibus à *Lege*, vel *Statuto* requiruntur teſtes omni exceptione maiores: ex quo non admittuntur in cauſa Matrimoniali, nec in probatione ingratitudinis, & in cauſis leuibus ſi recipiantur, arbitrio Iudicis defertur qualis, & quanta fides ſit eis adhibenda; quamuis eius depoſitio ſuppleri poſſit ex magna habilitate conteſtis, ſeu ex præſumptionibus, coniecturis, & adminiculis. In Criminalibus ad faciendum indicium, non autem ad inducendam plenam probationem, poſſunt admitti, quando aliàs veritas haberi non poteſt; ſed per tormenta infamiam purgare debent: præcipuè concurrente vilitate perſonæ: vſque ad *n.*125.

EX QVÆST. LVI.
Articulus III.

ARGVMENTVM.

De Teſte Criminoſo.

REGVLARITER Criminoſus à teſtimonio repellitur, & talis dici- 20
tur Homicida, Fur, Adulter, Inceſtuoſus, Maleficus, Sodomita, Sacrilegus, Sortilegus: & repelluntur nedum ſi de iis criminibus ſint condemnati per ſententiam, ſed etiam ſi illis oppoſitum crimen probetur. De iure Canonico & Ciuili, quando infamia ipſo facto incurritur, quamuis ſit emendatus à crimine non admittitur: ſed ſimplex oppoſitio dictæ infamiæ debet probari; quâ ſic probatâ, emendatio quoque probari debet per triennalem laudabilem vitam: vſque ad *num.*140.

Criminoſus parte non opponente non
reijcitur, & ſimilis oppoſitio poteſt fieri 21
etiam in cauſa appellationis, niſi malitioſè, gratiâ vexandi, in prima inſtantia non fuerit expreſſa: nec per hoc prohibetur quin huiuſmodi criminoſus officio Iudicis repelli poſſit, dummodò exceptio oriatur ex crimine ſpeciali cum adiectione loci, & temporis: quinimò neceſſe eſt probare, ſi adhibeatur in teſtamentis, & inſtrumentis, nedum quem eſſe criminoſum, ſed etiam vti talem ab omnibus reputari: quia licèt generaliter criminoſus nec 22
etiam contra criminoſum admittatur, & quod magis eſt, nec Chriſtianus criminoſus contra Iudæum; attamen vbi veritas aliàs haberi non poteſt, admittitur, & cum tortura examinatus facit aliquam

probationem, & si coadiuuatur dicto aliorum testium, vel aliquibus adminiculis, fortissimum inducit indicium; quinimò, si crimen commisisset in fraudem testimonij ferendi, nec repelleretur, & acer-
23 rimè puniendus esset. Demum non omne crimen repellit de iure Ciuili, debet enim esse graue, scandalosum, & punibile: quamuis de iure Canonico, etiam leue maculam inferat, & repellat: vsque ad *num.* 166.

EX QVÆST. LVI. Articulus IV.

ARGVMENTVM.

De Teste carcerato, vel accusato.

ACCVSATVS, Inquisitus, siue
24 denunciatus, accusatione, inquisitione, & denunciatione, pendentibus, regulariter in criminalibus, præterquam in exceptis, à testimonio repellitur: dummodò accusatio contineat causam capitalem & grauem: quinimò pendente accusatione non prohibetur examinari, sed eius dictum suspenditur expectato euentu causæ, ex qua si fuerit absolutus, pro-
25 babit: eóque fortiùs non esset reijciendus, si malignè, & per fraudem ne testimonium ferret accusatus fuisset. Carceratus similiter, dum est in carcere testimonium ferri non potest; dummodo carceratus detineatur pro crimine famoso, istóque casu testium numerus defectum suppleret: &
26 hinc carceratus ille, qui criminis suspicione caret, non prohibetur testificari, & quomodolibet in carceribus detineatur, in testamento ad pias causas testis esset satis idoneus: vsque ad *n.* 185.

EX QVÆST. LVI. Articulus V.

ARGVMENTVM.

De Teste periuro.

PERIVRVS tam in Ciuilibus,
27 quam in Criminalibus etiam emẽdatus, & pœnitentiâ peractâ nec recipitur in testem; nec prorsus vllum indicium
28 facit. Extende, quamuis sit peruersus non in principali delicto, sed in accessoriis & extrinsecis, & hinc periuriis defectus, nec purgatur per torturam: adeo vt licèt inhabiles in exceptis non reijciantur, periurus tamen perpetuò, & in quolibet enormissimo delicto repellitur, siue peierauerit in iuramento assertorio, siue promissorio, etiam de præsenti, quàm de futuro; nisi tamen iuramentum violatum, fuisset illicitum, & temerarium euidenter, 29
& apertè, ac de eo pœnitentiam egerit, vel nisi fuerit dispensatus à Papa: & quolibet casu excusaretur à periurio, si constaret non peieràsse ex animi leuitate, aut odij fomite, sed ex zelo iustitiæ: vsque ad *num.* 204.

EX QVÆST. LVI. Articulus VI.

ARGVMENTVM.

De Teste Iudæo, Hæretico, aut Infideli.

REGVLARITER Iudæus, Hæ-
reticus, Paganus, seu quicumque 30
alter infidelis, testis esse non potest. Extende ad *Dubium* in Fide: ad *Neophitam*, & quemlibet conuersum ad Fidem de recenti: quia adhuc videntur considerandæ reliquiæ infidelitatis: quinimò etiam si fuerit conuersus à longo tempore citra, & neglexerit filios ad Fidem veram trahere, non probatâ diligentiâ de trahendo; suspectus reputatur. Quod pariter procedit in hæretico pœnitente, & Crucem portante. Admittitur tamen Iudæus contra alium Iudæum, etiam inductus à 31
Christiano, & hoc casu contra producentem probat: imò inductus à Christiano contra Christianum ex paritate odij non repellitur: admittitur insuper in testamentis, & contractibus, nisi iudicialiter examinetur: & quocumque casu suppletur eius testimonium, ex coniecturis, & præsumptionibus; sic & non reijcitur, Christiano tacitè, vel expressè consentiente: ac generaliter recipitur in causa vsurarum 32
& concurrentibus coniecturis in criminibus exceptis: & vbi agitur de interrumpenda præscriptione in casibus quibus veritas aliter haberi non potest, & vbi non admittendus admitteretur. Si falsum dicat, punitur de periurio, & falso: & quan- 33
do legitimè recipitur, iuramentum præstare debet secundum suam, non autem secundùm nostram Legem: bene verum est, quod si secundùm nostram Legem iuramen

iuramentum fuerit illi delatum, ad eum ſeruandum adſtringitur: vſque ad *n.* 239.

EX QVÆST. LVI. Articulus VII.

ARGVMENTVM.

De Teſte Excommunicato; de non Confeſſo nec Communicato; de Concubinario; de Adultero, ſeu alio exiſtente in peccato mortali.

REGVLARITER *Excommunicatus* à teſtimonio repellitur, 34
quamuis nulliter fuerit excommunicatus: exceptio enim Excommunicationis poteſt opponi coram Iudice laïco, licèt iſte non poſſit de ea cognoſcere circa eius validitatem, niſi quando dubitetur in facto, an ſcilicet teſtis ſit excommunicatus 35
nécne. Et adeò Excommunicatus repellitur, vt nec teſtimonium ferre valeat contra alium Excommunicatum: ſufficit enim opponere ad propoſitum, & probare illum aliàs fuiſſe excommunicatum, quia ſemper talis præſumitur, niſi verſetur in Excommunicatione conditionali, vel habeatur publicè pro abſoluto, vel dicat inſtrumentum abſolutionis deperditum. 36
Et in tantum procedit Regula de qua *ſuprà*, vt Excommunicationis exceptio poſſit quandocumque opponi, etiam poſt lapſum terminum: vſque ad *n.* 261.

Idem eſt in non Confeſſo, & non Communicato, ſi ob id, eo Anno, quo vult teſtimonium ferre, fuerit excommunicatus declaratus: ſi verò non fuerit declaratus, vſque ad declarationem habetur tanquam Infamis infamiâ *facti*, & ideo in Criminalibus eſt reijciendus, non autem in Ciuilibus: ſed in iſtis non reputatur integræ fidei. 37

Quæ diximus de Excommunicatione, intelleximus de Excommunicatione maiori, at ſecùs de minori, in qua ſolùm fides minuitur: imò in inſtrumentis adhibentur Excommunicati etiam primo caſu tanquam à Partibus approbati. Reſtringendo, non procedere. *Primò*, quando teſtis apponitur ad probationem ipſius inſtrumenti, ſecùs ſi ad illius ſubſtantiam. 38
Secundò, quando inſtrumentum eſſet ſuſpectum de falſo, & Excommunicatus, in eo deſcriptus, examinaretur ad illud probandum. *Tertiò*, in Excommunicato occulto, de quo contrahentes notitiam minimè habuerint. Admittitur etiam in crimine hæreſis, & generaliter eius depoſitio valet, quando poſt eam fuit effectus excommunicatus: ac demum omni caſu, quo recipitur Infamis, Excommunicatus non reijcitur: vſque ad *n.* 282. 39

Exiſtens in peccato mortali cum dicatur Infamis *infamiâ Canonicâ*, ideo etiam 41
à teſtimonio repellitur. Ex quo Concubinarius & eſt turpis perſona, & de iure Canonico, ſiue iſte ſit Clericus, ſiue laïcus, repellitur: eóque fortiùs, ſi ſit vxoratus concubinam retinens, ſiue Adulter; ſcilicet ille, qui iam de Adulterio eſt condemnatus. Exiſtens verò in peccato mortali tunc repellitur, quando ſcilicet peccatum mortale eſt notorium, & in illo perſeuerat; quo caſu, tantum in Ciuilibus repellitur, non autem in Criminalibus. 42
In quibus pœnitentia, & emendatio adhuc non videretur ſufficere; & in eo qui de peccato, & crimine, præcedente accuſatione, fuerit conuictus; & quolibet caſu, cùm pœnitentia in peccato mortali notorio non præſumatur, per allegantem eſt probanda. Hæc procedunt de iure 43
Canonico, ſecus de iure Ciuili, à quo non conſideratur niſi peccatum mortiferum ſucceſſiuum & frequentatum: & de vtroque *Iure* requiritur vehemens, non leuis opinio; quia dicens mendacia, quamquam non lædentia, admittitur, ſed minor fides ei adhibetur: vſque ad *n.* 300.

EX QVÆST. LVI. Articulus VIII.

ARGVMENTVM.

Bannitus quando ſit infamis? & quando ob infamiam à teſtimonio repellatur.

REGVLA prima ſit quod Bannitus in contumaciam, eóque magis propter homicidium, tam de iure communi, quam ex Bulla Pij V. *de Anno* 1566. *Bullar. fol.* 937. *p.* 2. quæ tamen non extenditur ad Bannitum in contumaciam, repellitur à teſtimonio. Extende ad illum qui poſt litem conteſtatam aufugiens, permiſit ſe condemnari: hic enim non ſolùm eſt infamis infamiâ *facti*, verùm etiam infamiâ *iuris*: & id nedum ſi condemnatus fuerit in contumaciam vigore 44 45

Statutorum

Statutorum volentium contumacem haberi pro confesso; verùm etiam si fuerit condemnatus vigore Iuris communis: siue processum fuerit per viam accusationis, siue per viam inquisitionis; nam vtroque casu, tam de Iure Ciuili, quàm de Canonico, si crimen erat famosum, habetur pro infami. Ex quo infertur, quod ad hoc vt repellatur. Bannitus, requiritur, & crimen esse famosum, & condemnationem fuisse sequutam non est pura contumacia, sed ex probationibus præcedentibus; quia contumax condemnari non potest delicto non probato, etiam Statuto annuente quod habeatur pro confesso: vsque ad *n.* 428. 46

Regula secunda sit quod Bannitus cùm à *Iure* infamis reputetur, hoc ideo à testimonio repellitur; siue exulet secundum terminos iuris Ciuilis, siue Statutorum, & consuetudinis: ac etiam, siue Bannitus obtinuerit saluum-conductum ad effectum testificandi, siue toleretur; quia per tolerantiam inhabilitas non remouetur. 47

Hæc non procedunt extra locum banni, nec vbi veritas aliàs haberi non potest: & vbicumque fuerit examinatus, licet non faciat indicium sufficiens, attamen satis est ad inquirendum generaliter: & si esset restitutus, vel rebannitus post iuramentum, sed ante depositionem, tunc restitutio retrotrahitur ad tempus iuramenti, & valet depositio si expressè restitutus fuerit ad famam, honorem, & dignitates; quoniam per simplicem indulgentiam delicti, non censetur restituta fama, & habilitas ad testificandum: iste tamen restitutus bene quidem testificatur in causa ciuili, secùs in causa criminali: quia licèt possit Princeps infamiam *iuris* auferre, tollere non valet infamiam *facti*, nisi expressè id faciat quoad ferendum testimonium: eóque minùs habilitaretur restitutus per viam compositionis, vel rebannitus ex homicidio, seu ex causa periurij, quia tales adhuc reputantur infames: vsque ad *n.* 251. 48 49 50

EX QVÆST. LVI. Articulus IX.

ARGVMENTVM.

De Teste Vsurario.

VSVRARIVS ab vniuerso Iure improbatus, Maiestati diuinæ exosus, societati humanæ semper nocuus, à testimonio ferendo tanquam infamis repellitur; quamuis sit vsurarius occultus, dummodò talis detegatur: quinimò idoneus non reputatus, etiam post pœnitentiam peractam: sed si sit occultus, tanquam testis, in vltimis voluntatibus adhiberi non prohibetur: & generaliter posset admitti in quocumque iudicio, si à Principe superiore potestatem habente fuerit restitutus: vsque ad *n.* 457. 51 52

EX QVÆST. LVI. Articulus X.

ARGVMENTVM.

De Teste Lenone, & Meretrice.

REGVLA proponitur, quod cum *Meretrix* sit ipso iure infamis, ideo à testificando repellitur. Quæ autem dicatur Meretrix? habebis *infrà; in tit. de delictis: huius nostri Succi, parte* 16. 53

Extende non solùm in Criminalibus, secundùm communem opinionem, sed etiam in Ciuilibus: & quamuis meretrix desierit meretricari, quia adhuc infamis reputatur ex antecedenti meretricio. Idem est in *Lenone*, lenocinium enim reddit infamem, eo excepto, quod impropriè committi dicitur à marito vxorem in adulterio deprehensam retinente. Admittuntur, sed non tanquam testes fidei in iis quæ dicuntur crimina *excepta*, ac in quibuscumque gestis in prostibulo, in quibus cùm veritas per alios meliùs quàm per lenones, & meretrices haberi non possit, hoc ideo habiles reputantur: vsque ad *num.* 369. 54 55

EX QVÆST. LVI. Articulus XI.

ARGVMENTVM.

De Teste Birroario.

BIRROARII tanquam viles, & infames à testimonio repelluntur, nec fides adhibetur etiam in annexis antecedentibus, & pendentibus ab eorum officio, putà si dixerint se in executionibus impeditos aliqua verbali, vel personali iniuriâ affectos, vel reum in flagranti crimine 56

crimine repertos : diſtinguendo tamen quod in grauibus eis non credatur ; ſecùs
57 in leuibus : quinimò & in grauibus, ſi per alios veritas haberi non poſſit : ſed quia adhuc non reputantur integræ fidei, ad torquendum tantum ſufficiunt, non autem ad conuincendum. Et licèt illis
58 fides non adhibeatur in antecedentibus, ſequentibus, vel prudentibus ab eorum officio, in iis tamen, quæ ad eos præcisè ſpectant, vt putà, ſi deponant de executione ab eis facta, vtique creditur. Eóque magis ſi fuerint conſtituti particulariter ad inquirendum, & capiendum delinquentes, ex eorum dicto ſic reperti, poſſunt condemnari, niſi legitimam adduxerint defenſionem ; vt putà in nocturnis cuſtodibus deputatis ad capiendum fures nocturnos, vel alios ad horam prohibitam, noctis ſilentio, per ciuitatem vagan-
59 tes. Item in poſitis ad cuſtodiam alicuius paſſus vt capiant, vel denuncient fraudantes gabellas, vel res vetitas aſportantes. Generaliter etiam iſtis fides adhibetur de executione bonorum ſibi commiſſa aſſerentibus non inueniſſe, vbi executionem facerent, ac præcipuè non repelluntur deponentes pro innocentia alicuius : &
60 hinc probant pro Poteſtate in Syndicatu, dummodò ampliùs ei non inſeruiant, vel niſi ſint adeò extremæ vilitatis, vt etiamſi non eſſent Birroarij, repellerentur. Admittuntur etiam contra eundem Prætorem, ſed ad teſtificandum non compelluntur inuiti : & obſtat tamen eis exceptio *Birroary* ; niſi deponerent de pertinenti-
61 bus ad ſuum officium. *Bariſelli* quoque habentes annexam iuriſdictionem, ac poteſtatem cognoſcendi cauſas, & puniendi delinquentes, prout ſunt in Ciuitate Liuenſi, quorum officium non dedignantur facere, etiam homines alicuius conditionis : admittuntur, ſed non ſunt omni exceptione maiores. Sunt etiam idonei ad teſtificandum inter ſeipſos ; ex Regula ;
62 *Nil Iudæus Iudæo, nil Catilina Cethego :* quando agitur de rebus geſtis in loco vbi illi ſoli verſantur, vel vbi aliàs veritas haberi non poteſt. Et tandem *Birroarij*, de-
63 poſitio aperit : viam ad ſumendum informationes, quamuis deponerent ad ipſorum fauorem ; præcipuè concurrentibus validis conſecturis : quia licèt generaliter non admittantur niſi mediâ torturâ, hoc remittitur Iudicis arbitrio : vſque ad *num.* 198.

***

EX QVÆST. LVI.
Articulus XII.

ARGVMENTVM.

De diuerſis aliis perſonis, qui ob infamiæ notam à teſtimonio repelluntur.

SPVRIVS cùm infamis ſit infamiâ *facti*, regulariter à teſtimonio re- 64
pellitur : & propterea ex illius depoſitione non defertur iuramentum ſuppletorium : multo magis in cauſis vbi requiruntur teſtes omni exceptione maiores : & eò fortiùs in Criminalibus ; quamuis iſte Spurius fuerit legitimatus : & ſiue ſit Spurius inceſtuoſus, ſiue naturalis ex concubina, vel ex ſoluto cum ſoluta natus. Excipe Spurium *bonæ vitæ & famæ*, Spurium *Religioſum*, ac Spurium *magnæ conditionis, & ſtatus* : vſque ad *n* 413.

Blaſphemator regulariter non eſt teſtis omni exceptione maior : imò omnino re- 65
pellitur in cauſis grauibus, criminalibus, matrimonialibus, & ſimilibus. Declara tamen non repelli Blaſphematorem non adhuc condemnatum, niſi ſit publicus & notorius, vel blaſphemare conſuetus, qui reputatur infamis infamiâ *iuris*. Sic & repellitur ſolitus iurare & mentiri, quamuis ſine alterius iactura : & quatenus admittatur in cauſis grauibus, modica vel nulla ei fides adhibetur. Sed licèt Blaſphematores regulariter non admittantur ; attamen admiſſi ad torturam infligendam ſufficiunt : vſque ad *n.* 427.

Luſor & ipſe à teſtimonio repellitur, dummodò conſuetudinem ludendi ha- 66
beat, & hæc non inducitur ex vno actu ludendi continuato per vnicam diem, quamuis cum variis, & diuerſis perſonis, ac ludorum diuerſo genere : requiruntur enim tempora diuerſa : & debet conſtare de ludis prohibitis ; & in ludis vitam agere, & luſorem eſſe tempore prolati teſtimonij. Admittuntur tamen Luſores, quando agitur de probando quid factum in ludo, ſcilicet quem luſiſſe cum taxillis falſis, aut quid ſimile ; dummodò iſte teſtis luſor non ſit particeps falſitatis : ſed adhuc non eſt omni exceptione maior : vſque ad *n.* 434.

Ebrius & ipſe repellitur, & nihil pro- 67
bat examinatus, ſi tempore teſtimonij erat ebrius ; ſecus ſi ante depoſitionem : quia

quia tunc admitteretur, & probaret, nisi esset solitus inebriari se, quia tunc non admitteretur, scil. ex capite vilitatis, & infamiæ. Et hinc popinones vel vt alij vocant *Tabernarij*, in popinonis, & tabernis vitam ducentes edendo, bibendo, & ludendo, à testimonio repelluntur. Demum intelligas Regulam procedere in penitùs ebrio, qui nesciat quid agat, vel quid dicat; secus in exhilarato, seu gaudente propter vinum: vsque ad *n.* 439.

Histriones, Mimi, aut illi qui artis ludi-
68 cræ causa in publicam scenam prodeunt, & iis similes, à testificando repelluntur. Extende ad *Saltatores*, *Arcnarios*, *Ioculatores*, & *publicos*, *Circulatores Empiricos*, qui lucri causa huiusmodi artes exercent; hi enim omnes, tanquam infames non sunt idonei. Declara, Regulam non comprehendere illos, qui causâ virtutis, exercitij, vel solatij decentis non lucri causâ ludicram artem exercent: & quando illi secùs vt *suprà* admittuntur, scilicet in *exceptis* delictis, & vbi veritas aliter haberi non potest, medio tormento recipiuntur: vsque ad *n.* 444.

Apostata à Religione sua ad testificandum
69 non admittitur, quia iste tanquam infamis, periurus, & ipso iure excommunicatus, nullo pacto recipi potest: eóque fortiùs si sit Apostata à *Fide*: quinimò iste, quamuis pœnituerit, est repellendus: vsque ad *n.* 446.

Decoctus, & vt vulgò dicitur *Fallitus*,
70 & ipse tanquam infamis in Criminalibus à testimonio repellitur: sed si cessisset bonis vltra *fallimentum*, siue non fallendo, in Ciuilibus quidem non admitteretur; sed in Criminalibus recipitur, quando deponit ad defensam, vel de his quæ à seipso gesta fuerunt: vsque ad *n.* 452.

Proditor, necnón *filius proditoris*, ac
71 ille qui pro proditore supplicare aut interuenire aliquando tentauerit, repelluntur: sed quoad filios, & supplicantes procedit in proditoribus Principis: & sic in crimine læsæ-Maiestatis: vsque ad *n.* 455.

Fustigatus, à testimonio sine dubio re-
72 pellitur, quia vndique infamis: & si mille annis viueret, nunquam posset esse testis: vsque ad *n.* 456.

Prodigus à testimonio repellitur, quia
73 æquiparatur pupillo, qui neque testamentum facere potest; tùm etiam quia est infamis infamiâ *facti*, dummodò ei bona fuerint interdicta: vsque ad *n.* 459.

Calumniator condemnatus tanquam
74 talis dicitur infamis: ideo tanquam actione famosa damnatus repelli debet à testimonio: sed in hoc multùm Iudicis arbitrio tribuitur: vsque ad *n.* 461.

Litigator continuus, & litium redemptor, quia præsumitur calumniator, & 75
omnia mala scit, & omnia mala facit, ideo tanquam infamis instar calumniatoris à testificando repellitur: vsque ad *num. fin.* 461.

EX QVÆST. LVII.

ARGVMENTVM.

Pauper, & vilis, quando ob pauperta-
tem à testimonio repellatur? &
admissus, quam faciat
probationem.

OPONITVR quintò; quod testes sint *pauperes*, & *viles*: in qua 1
oppositione contrariis impugnatis, & bene discussis, tandem *Author* firmat Regulam, quod *pauper* non sit testis idoneus, integer, & omni exceptione maior; sed tamen non repellendus (quamuis Alij contrà) à testificando in causis ciuilibus: verùm in criminalibus omnino inhabilis, & non admittendus; licèt per torturam talis inhabilitas purgetur: & si quid contra Fiscum deponat, vtique probat; necnon examinatus, quando examinari non 2
debuerat, indicium ad torturam infert iunctis adminiculis. Extende quod non admittatur in causa ciuili ardua, & ma- 3
gna: eóque fortius in causa matrimoniali, & in confectione Inuentarij, in quo requiruntur testes optimæ opinionis. Et hinc infertur, vt pauper reputetur testis diminutæ fidei: & in concursu aliorum testium contrarium deponentium, ipsi non credatur, ex quo magis nobilioribus, quàm vilioribus, eóque magis constitutis in aliqua dignitate, quàm minùs dignis (etiam quòd 4
isti sint numero plures, & illi pauciores, nisi tamen excessus esset magnus) magis creditur. Sed in concursu diuitis, & pauperis, pauperi bonæ famæ magis creditur quàm diuiti malæ. Et hoc vnum aduertendum, quod diuitiæ non habilitant, si fuerint acquisitæ iniustè, & per vsurariam prauitatem. Eò fortiùs tamen pauperes 5
repelluntur, si in paupertatem inciderint culpâ & facto proprio, scilicet bona dilapidando, & malis moribus consumendo. Pauperes autem in proposita materia huius quæstionis dicuntur, qui sic laboribus impliciti

impliciti ſunt, vt eos tota die in agro eſſe
6 oporteat, vel magis generaliter, qui de proprio labore, & artificio inſudantes viuunt: idcirco agricolæ & artifices, qui ſic in agro, & de eorum artificio, ac ſudore vix viuere poſſunt, non ſunt teſtes integræ fidei, extendendo ad illos Nobiles, qui mercenarij euaſerunt: quia ex hoc nobilitatem amiſerunt. Verùm ſi
7 ars, quam quis exercet, non ſolùm ſit vilis, ignobilis, & mechanica, ſed etiam vulgò talis reputetur, prout carpentarij, qui ſtant in curia communi, vel in *ſpanaldis*; ſeu alij, qui obſcuram artem &
8 obiectam profitentur, mundantes latrinas, radentes in balneis, & ſimiles, nec ſunt integræ fidei, nec omnino ad teſtimonium admittuntur. Quod ſi ars non ſit mechanica, & vilis; non repelluntur, niſi aliàs ſint viles eam exercentes, vt Inſtitores, ſeu Factores alicuius Domini, quibus tanquam pauperibus, ex capite paupertatis, fides minuitur: vſque ad *num.* 54.

Viles & ignobiles qui ſint, vt à teſti-
9 monio repellantur, Iudicis arbitrio remittitur. Regulariter tamen noſtra ætas *Viles* eos dicit, qui *Villani* nuncupantur, & qui ex infima plebe nati, humiles in *Iure* exiſtimantur. Quidam verò Viles ſunt vilitate ſcilicet artificij, nempe *Ludij*, *Hiſtriones*, *buffones* ſeu *Mimi*, *Iocu-*
10 *latores*, & *Galiardi*. Quidam autem ſunt Viles propter eorum abiectam, & inhoneſtam vitam, vel propter crimen infamiæ notâ affecti; & iſti apud omnes viliſſimi reputantur, vt ſunt *Lenones*, *Meretrices*; *de publico delicto damnati*, & alij ſimiles. Et demum aliqui dicuntur Viles, qui non ex vilitate artificij, infa-
11 miæ, aut criminis, ſed quoniam eorum ſtatus à iure Gentium & Ciuili diminutus reputatur, vt ſunt *Serui*, & qui ſub numero Seruorum veniunt. Viles in prima ſpecie accepti & exemplificati, vt ſunt Villani, aliíque ex humili, & plebeio genere nati altercantibus licèt Doctoribus) reſolutiuè dicas, quod non repelluntur à teſtimonio, ſed tantùm eis de fide diminuitur: & ad teſtificandum non admittuntur ſine tortura, ſecundùm ali-
12 quos; At verò diſtinguendo dicas, quod ſi tales teſtes non appareant aliàs inhoneſtæ & reprobatæ vitæ, admittuntur etiam ſine tortura; ſecùs ſi vilitas ſit iuncta paupertati: quia vbi nobiliores haberi non poſſint, iſti pauperes admittuntur: imò cum paupertas non præſumatur, eſt probanda per opponentem: adeò vt nec dicatur probata, quamuis teſtificans ſe pauperem dicat. Quomodo autem hæc paupertas probetur? relatis pluribus opinionibus, *Author* dicit, hoc Iudicis ar- 13
bitrio eſſe remiſſum. Et licèt pauper non ſit teſtis integer; illius fides ſupplebitur, vel ex legalitate alterius teſtis, vel ex numero plurium: & in inſtrumentis non reijciuntur, cum per rogationem à Partibus tacitè cenſeantur approbati: vſque ad *num. fin.* 101.

EX QVÆST. LVIII.

ARGVMENTVM.

Infans, Impubes, & Minor, quando, & in quibus cauſis à teſtimonio arceantur? & admiſſi an faciant indicium, & quale.

OPPONITVR Sextò, quod teſtes ſint *minores*, & *impuberes*. Hinc 1
ergo Regula firmatur, quod impubes maſculus, minor quatuordecim, fœmina minor duodecim annorum, à teſtimonio repellantur in cauſis Ciuilibus: eóque magis infans, minor ſcilicet ſeptennio. Et licèt maior quatuordecim, 2
& ſic pubes teſtamentum facere poſſit, & in eo eſſe teſtis, non tamen admittitur in Criminalibus, in quibus repelluntur etiam puberes quamuis hoc non ſeruetur ex *Conſtitut. Marchiæ*, *libr.* 4. *cap.* 17. Verùm cum talis conſtitutio ſit Carpenſis, & non Ægidiana, extra Marchiam non habet locum. *Impuberis* er- 3
go teſtimonium eſt ipſo iure nullum, tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus. In Ciuilibus tamen pubes, licèt minor viginti quinque annorum, non prohibetur eſſe teſtis, niſi cauſa fuiſſet ardua, & grauis: imò in Criminalibus 4
proximus pubertati admittitur ad faciendum qualequale indicium: & in crimine læſæ-Maieſtatis maior quatuordecim annorum cogitur ad teſtificandum, torquetur etiam ſine authoritate Tutoris: & in Pratica, quidquid ſit de *Iure*, quando agitur de facto domeſtico, cuius per 5
alios, veritas haberi non poteſt, admittuntur impuberes, qui ſi ſint plures, ſufficiunt ad torturam. Et quamuis *minoris* teſtimonium de iure recipi non debeat,

attamen in pratica de *Consuetudine* recipitur, etiam impubes minor quatuordecim annorum quoad veritatem 6 indagandam: præcipuè in atrocibus delictis, in quibus eius dictum adminiculatum sufficiens est ad torturam. Impubes verò, pubes factus, non prohibetur testificari de iis, quæ vidit in pupillari ætate; nisi testes maiores requirerentur à *Statuto*, non ad probationem, sed ad solemnitatem, 7 & substantiam Actus: Quinimò de testamento militis, quod vidit in pupillari ætate confici, testificari posset. Sed ea, quæ à se visa deponit 8 in pupillari ætate, talia esse debent vt cadant sub sensum, & intellectum pupilli; secus è contra: & propterea si adultis deponat se vidisse in pupillari ætate fabricari falsam monetam, 9 illi non creditur. Ac generaliter, illa, de quibus deponit, necesse est vt viderit, non tempore infantiæ, scilicet infra septennium, sed proximus pubertati, nisi in infantia visa talia essent, vt cadere possent sub sensum infantis: vsque ad *n.* 66.

EX QVÆST. LIX.

Casus I.

ARGVMENTVM.

De Muliere testimonium dicente in causa Criminali.

OPPONITVR septimò, quod 1 testis sit *mulier*, ideóque in criminalibus causis de Iure Canonico repellatur, si agatur criminaliter ad pœnam: verùm quando veritas aliàs haberi non potest, tunc de Iure Canonico, & in subsidium admittitur 2 fœmina: Sic & quando Iudex procedit ex officio, vel per inquisitionem, ac generaliter in omnibus casibus in quibus de eodem iure Canonico Infames admittuntur: provt non arcetur ad defensionem Rei & ad illius innocentiam probandam: quinimò in Statu Ecclesiæ ex *constitut. Marchiæ libr.* 4. *cap.* 13. in omnibus maleficiis, vel quasi, recipiuntur: provt indistinctè admittuntur de iure Ciuili, quamuis agatur de pœna mortis; sed hoc casu non est omni exceptione maior: & hinc duæ solæ fœminæ in capitalibus non conuincunt, sed saltèm tres sunt 4 necessariæ: & licèt duæ fœminæ plenè probent suppositionem partus, hoc intelligendum, si ciuiliter agatur ad dissolutionem matrimonij, secus si criminaliter ad pœnam: vsque 5 ad *num.* 31.

EX QVÆST. LIX.

Casus II.

ARGVMENTVM.

De muliere Testimonium dicente in Causa ciuili.

MVLIER in Causa ciuili, quamuis graui, & matrimoniali, reputatur integræ fidei, & omni exceptione maior: ac actori probanti suam intentionem per vnam mulierem potest deferri iuramentum suppletorium: quod tamen non procedit in Causa feudali vbi requiruntur testes integræ fidei: imò nec potest admitti in testem in scriptura priuata, nec in instrumentis. Et licèt in Ciuilibus non arceatur, non tamen est tantæ fidei, quantæ est masculus: quare si hinc inde reperiantur testes contraria deponentes, magis credendum masculis, quàm fœminis; sed data paritate, & in concursu fœminarum, potiùs creditur virgini incorruptæ, quàm viduæ & corruptæ: ac fœminis magis crederetur, quam masculis, quando isti essent malæ famæ, fœminæ verò bonæ: quibus etiam magis creditor ad defensionem Rei, quàm masculis ad offensam, nisi isti verisimiliora deponerent: vsque ad *numer.* 54.

***

EX QVÆST.

EX QVÆST. LIX.

Caſus NI.

ARGVMENTVM.

De muliere recipienda in teſtem in teſtamento.

IN Teſtamento mulier de iure
9 Ciuili regulariter tanquam teſtis adhiberi non poteſt : quod eſt veriſſimum , nec habet contradictorem. Idem procedit in hermaphrodito , ſi præualeret in eo ſexus fœmininus , vel ſaltèm in vtróque verſaretur æqualiter : quinimò nec in teſtamento condito à Ruſtico ; vel etiam vbi eſſent inſtituti qui
10 venirent ab inteſtato. Admittitur tamen & adhibetur in codicillis , etiam quod omnes teſtes eſſent fœminæ. Vnde vtiliter nota , quod cùm hodie in teſtamentis communiter apponatur Clauſula Codicillaris , ſi teſtes adhibitæ fuerint fœminæ in aliquo teſtamento , poterit ſuſtineri tanquam Codicillus virtute dictæ Clauſulæ. Poſſunt etiam eſſe teſtes in donatione cauſa mortis , & in teſtamentis inter liberos legitimos & naturales , ſecùs inter baſtardos. Exten-
11 de quod admittantur in teſtamentis ad pias Cauſas , in teſtamento militis , in teſtamento facto tempore peſtis , & ab illo , qui in ciuitate permanſit vt labenti Reipublicæ ſubueniret. Item in de-
12 clarando teſtatoris voluntatem ambiguam ; vel quando Statutum requireret in teſtamento ſolùm numerum duorum vel trium teſtium , ſecùs ſi requireret numerum quatuor , vel quinque : ſic &
13 ea fœmina , quæ ſexum mentita communiter reputatur pro viro , donec detegatur verus ſexus , idonea teſtis erit : vſque ad *numerum finalem* 82.

***

EX QVÆST. LX.

ARGVMENTVM.

In cauſa propria , vel in qua teſtis habet commodum , intereſſe , aut affectionem , an , quando , & in quibus caſibus repellatur.

OPPONITVR Octauò , quod teſtes ſint *intereſſati*, *affectionati* ad cauſam, ſeu deponant in cauſa propria : Quare Regula ſit neminem in cauſa propria teſtem eſſe poſſe , nihil probare , nec vllo modo examinari. Cauſa propria dicitur illa , in qua quis commodum, aut intereſſe 2
aliquod habeat : eóque magis in Criminalibus , quamuis intereſſe ſit ſecundarium , & in conſequentiam : licèt enim intereſſe in conſequentiam non repellat in totum , & licèt Iudicis arbitrio remittatur , an , & quando teſtis propter affectionem repellatur ; non tamen arbitrari 3
poteſt ratione commodi ; propter quod etiam Clerici repelluntur : quia commodo intercedente , nec Rex , aut Princeps in cauſa propria recipitur ad teſtificandum , ſiue intereſſe ſit verum , ſiue præſumptum.

Ratione intereſſe arcetur teſtis , qui tractat de ſe exonerando , ſeu de conſequendo honorem , & laudem ; vel de euitando dedecus , & vituperium ; qua propter non creditur famulo , portitori , ne- 4
gotiorum geſtori , ſeu cuiuis alteri perſonæ dicenti ſe portaſſe quaſcumque res , eáſque conſignaſſe cui mittebantur. Excipe baiulos publicos , & *brentatores*, quia 5
iſtis , etiam quod de ſe exonerando tractare videantur , attamen creditur , niſi alias paterentur exceptiones. Ratio eſt , quia deponunt de arte ab eis exercitata. Sola affectio teſtes repellit etiam in criminibus exceptis , & in cauſa matrimoniali. Extende ad affectatè nimis depo- 6
nentem , & ad eum qui ſe magis *beneuolum* producenti , quàm alteri Parti oſtendit ; quia reputatur ſuſpectus : provt ille , qui nimis animosè deponit affirmando id quod ſcire non poterat , ſiue teſtis nimis verboſus , vel nimis citò reſpondens ante lecturam articuli : & è contra moroſus in reſpondendo præſumitur dubius , & incertus , & ideo ſuſpectus : vſque ad *num.* 41.

Testis habens causam similem illi, super qua producitur, ob præsumptam affectionem, neque integer, neque idoneus est, sed à testimonio repellitur, si ex similitudine commodum, & interesse reportare valeat: verùm non omne commodum, interesse, vel affectio testem isto casu ob similitudinem causæ à testimonio repellit, sed Iudicis arbitrio, quale, & quantum esse debeat, remissum videtur: quinimò non veniret considerandum, quando testis protestaretur, quod non intendit ex sua depositione, & decisione illius causæ aliquod commodum reportare. Propter præsumptam affectionem, non reputatur etiam integer, & idoneus ille, qui desiderat victoriam Partis, nisi sui desiderij redderet bonam rationem. Repelluntur etiam consortes, & adhærentes illius qui volunt deponere in causa propria, tam in prima instantia, quàm in secunda appellationis, etiam appellatione deserta, & adhæsione finita. Verùm hæc non procederent si protestarentur nullum commodum reportare velle, quamuis hoc casu non essent testes omni exceptione maiores; licèt si testes essent multùm legales, & fide digni, tunc quamuis de eorum interesse aliqualiter ageretur, admitterentur præcipuè in causa modici valoris: provt etiam, vbi veritas aliàs haberi non posset; vel quando actus de sui natura talis esset, vt in eo alij interuenire non potuisset. In instrumentis interuenire possunt, si tantum commodum in consequentiam reportarent.

EX QVÆST. LX. Illatio I.

ARGVMENTVM.

De Teste Accusatore.

REGVLARITER sicut in Ciuilibus testis in *causa propria* non admittitur; ita nec etiam, & multò magis in Criminalibus: ita vt depositio accusantis contra accusatum nullum prorsus faciat indicium: etiam quod Accusator sit Princeps, vel alia Nobilissima persona: & quamuis Accusatores sint plures: quinimò nec qui accusationem impetrauit: & amplius nec consanguinei, familiares, seu aliàs de domo Accusatoris, vel cum eo conuersationem continuam habentes recipiuntur in testes; præter quam in causa hæresis, contra furem, & prædonem, & in causa matrimoniali. Excipiuntur pariter Officiales denunciatores publici, qui ex causa, & necessitate officij denunciant: vsque ad *n.* 77.

EX QVÆST. LX. Illatio II.

ARGVMENTVM.

Vsurarium quem esse, an probetur per per testes asserentes se illi vsuras persoluisse.

TESTIBVS asserentibus se alicui pecunias vsuræ causâ persoluisse, minimè creditur, nec vllo pacto probant: quinimò, nec in contrarium valet Episcopi constitutio. Bene tamen valet in toto Statu Ecclesiæ *constit. Marchiæ lib. 3. c. 13.* quâ disponitur credendum esse quatuor testibus, qui vsuram soluerunt, si illarum repetitioni apertè apud Acta renunciauerint. Amplia procedere regulam maximè in Criminalibus quoad procedendum, & sumendum informationes: quinimò & in Ciuilibus, quia vtroque casu obstat exceptio commodi & interesse. Non tamen procedit vbi testes deponerent ad fauorem Tertij, sed hoc casu non essent integræ fidei, & omni exceptione maiores nisi eorum interesse, & commodo expressè renunciauerint, vel cum eorum testimonio concurrerent plures coniecturæ; quia tunc omnibus simul iunctis videretur eis credendum, quidquid sit de Iure communi: vsque ad *n.* 88.

EX QVÆST. LX. Illatio III.

ARGVMENTVM.

De Iudice, & Arbitro, an, & quando in causa coram eis vertente possint testimonium ferre.

REGVLA sit negatiua, quod scilicet ob præsumptam affectionem, & quia absurdum est quod quis in causa duplici officio fungatur, Iudices, & Arbitri minimè testimonium ferre possint in causa

ſa coram eis pendente: & quamuis eâ finitâ ſi deponant ſuper iis quæ reſpiciunt iuſtitiam, vel iniuſtitiam ſuæ ſententiæ, vel laudi; quia ſecùs ſi deponerent ſuper iis
21 quæ reſpicerent ſolùm proceſſum. Extende, vt nec ſibi permittatur teſtimonium ferre ſuper cauſa appellationis; quamuis in executione laudi, vel ſententiæ, ſeu de conſenſu appellantis, vel in iis qaæ reſpiciunt Acta & proceſſum coram ipſis fabricata, non denegetur, niſi ex dictis depoſitionibus dedecus fugiant vel hono-
22 rem conſequantur. Multóque minùs recipiuntur, quando deponunt de rebus ab ipſis geſtis, & ſuper facto proprio: ſed etiam hoc caſu reciperentur quoad præſumptionem faciendam, ſi nullum reciperent honorem, vel dedecus. Arcentur
23 in iis quæ reſpiciunt validitatem ſententiæ, ſeu eiuſdem nullitatem, quando cauſatæ eſſent Iudicis, & Arbitri negligentiâ. Pariter & multò minùs admittuntur in concernentibus iuſtitiam, niſi venirent ad illius impugnationem, & iniuſtitiam detegendam. Regula autem generali-
24 ter procedit nedum in Iudice ordinario, ſed etiam in Delegato, & Arbitrio; quamuis Iudices ſint duo; etiam quod habeant Iudicem vel Arbitrum adiunctum. Idem in Aſſeſſore, & Arbitratore, niſi Arbitrator haberet poteſtatem procedendi de Iure & de facto, ſi deponeret in cauſa reductionis, nec inde reciperet honorem, vel dedecus. Eóque mi-
25 nùs creditur aſſertioni Iudicis, vel Arbitri, quando non in forma teſtimonij deponunt, vel depoſitio non eſſet adminiculata coniecturis, & veriſimilitudinibus; quia tunc, ſi veritas aliter haberi non poſſit, vel depoſitio fiat causâ finitâ, quamuis non ſint Integræ fidei, quantum illis ſit credendum Iudicis arbitrio remittitur.
26 Recipiuntur quoque ſi ante laudum, vel ſententiam expirauit eorum iuriſdictio, & deponant in iis tantum, quæ pertineant ad litis ordinationem, ſeu contra illa quæ ipſi geſſerunt, nulla porrecta excuſatione eorum turpitudinis, vel erroris, ſeu quando nulli inferatur præiudicium, vel eorum depoſitio eſſet iurata in formam teſtimonij coram alio recepta; vel contineret declarationem alicuius verbi dubij prolati, vel facti ambigui, & intricati: Sed hoc caſu debet concurrere. Primò, vt factum
27 ſit obſcurum. Secundò, vt Iudices declarantes ſint duo. Tertiò, vt non agatur de magno Partis præiudicio. Quartò, quod aliunde obſcuritas declarari non poſſit: Et tamen iis non concurrentibus, recipiuntur ad Iudicis inſtructionem, & informationem. Sic & admittitur eorum teſtimonium de conſenſu Partium, vel vbi, de iuſtificatione Iudicis aut Arbitri, vel geſtorum per ipſos non agitur; ſed eis non creditur magis quàm aliis teſtibus; quamuis dato concurſu, magis iſtis, quàm cæteris teſtibus credatur: nec poſſunt adſtringi ad teſtificandum: vſque ad *n.* 154.

EX QVÆST. LX.
Illatio IV.

ARGVMENTVM.

De Teſte Aduocato.

ADVOCATVS in cauſa, in qua eſt *Aduocatus*, propter præſumptam affe- 28
ctionem, teſtimonium ferre non poteſt; etiam aduocatione, & patrocinio completis. Alij contrà diſputant, & diſtinguunt. Tu verò reſolutiuè dicas, Aduocatum, quamuis de illius commodo, laude, vel vituperio non agatur; licèt à teſtimonio non repelli finito officio certum ſit, attamen propter reliquias affectionis non reputari teſtem integræ Fidei, & omni exceptione maiorem. E contrà, nec clientulus poteſt eſſe teſtis pro ſuo Aduocato durante pa- 29
trocinio, ſecùs eo completo. Aduocatus autem etiam repellitur, quamuis gratis, nulla mercede recepta, patrocinetur: vſque ad *n.* 170.

Regula non procedit, quando Aduocatus inducitur in teſtem ab eo contra quem 30
patrocinatus eſt, aduerſus illum, ad cuius fauorem patrocinium præſtitit, vel quando nondum incepit patrocinari pro ſuo futuro clientulo, quamuis electus, niſi de ſalario iam conuenerit, ſeu illud receperit. Quinimò Aduocatus in vna cauſa non prohibetur eſſe teſtis in alia, & quandoq; in eadem, ſi articuli ſint diuerſi, diſiuncti, & non connexi. In contractibus & inſtru- 31
mentis recipiuntur, præcipuè in inſtrumẽto tranſactionis: ſed licèt recipiantur ad ſolemnizandum inſtrumenta, non tamen recipiuntur ad illorum comprobationem. Denique dicas admitti de conſenſu Partium, vbi veritas aliter probari non poteſt, 32
vel alij teſtes, actu, & habitu interuenire non potuerunt: & licèt multi dixerint quocunque caſu non eſſe admittendos ſine Quæſtione; hoc verum non eſt: vſque ad *num.* 196.

EX QVÆST. LX. Illatio V.

ARGVMENTVM.

De Teste Procuratore.

REGVLARITER *Procurator* in
33 causa, in qua est procurator, testis esse non potest, multò minùs si sit effectus Dominus litis eius, finito officio, si ex sua depositione consequatur commodum vel incommodum, vel deponat de
34 iis quæ ipse fecit. Extende Regulam ad causam appellationis, quamuis fuerit reuocatum mandatum: & siue fuerit Procurator appellantis, siue appellati nisi induceretur ex aduerso contra suum dominum, seu mandantem.

Regula non procedit primò, quando
35 Procurator in vna causa testificatur in alia penitùs separata, & non connexa, seu coniuncta; & ideo testis esse potest in causa petitorij, si procurator fuit in possessorio. Sic & duo Procuratores constituti ab eadem persona in diuersis causis, vnus non prohibetur testificari in causa alterius: & Procurator generalis ad omnes causas, non prohibetur testimonium ferre in ea causa, in qua non procurauit, ex quo potest etiam testificari contra suum principalem, & probat, siue durante procuratione, siue completa, iis tribus tamen
36 concurrentibus. Primò, quod susceperit procuram seu mandatum in fraudem, ad effectum non deponendi. Secundò, quod Pars aduersa denunciauerit in continenti, vel ante, ne reciperet patrocinium. Tertiò, quod veritas aliter haberi non possit.
37 Admittitur etiam, quando mandatum non suscepit, vel si acceptauerit nondum inceperit agere, vel re integra mandato renunciauerit, saltem ante litis contestationem: quinimò re integra renuncians potest etiam postea causam reassumere. Recipitur tandem de consensu Partium
38 vbi veritas aliter haberi non potest, & in subsidium: item in causa Criminali, in qua pœna capitalis principaliter non imponitur; quamuis imponatur in consequentiam Non repellitur affinis, seu consanguineus Procuratoris. Admittitur Pro-
39 curator bonæ vitæ & famæ; ex quo Clericus, quia talis semper præsumitur, potest pro suo clientulo testificari: & licèt quandocumque depositio Procuratoris non plenè probet, facit tamen aliquam præsumptionem: vsque ad *n.* 243.

EX QVÆST. LX. Illatio VI.

ARGVMENTVM.

De Teste Sollicitatore.

SOLLICITATOR pro Domino suo testis esse non potest, siue 40
sit adhuc, siue fuerit talis, & nedum sollicitator salariatus, verùm etiam gratuitus: eóque si iste non salariatus haberet aliquod particulare interesse, sed esset consanguineus, vel valde amicus ipsius principalis. Excipe *Sollicitatorem ex amore Dei*, & causa pietatis: ac Sollicitato- 41
rem *electum à Procuratore*, qui tamen testificari non potest nisi in causis leuibus, secus in grauibus propter præsumptam affectionem. Admittitur etiam Sollicitator *bonæ conditionis & famæ*, nec prohibetur testificari in causa separata: & eius depo- 42
sitio quocumque casu suppletur ex depositione aliorum plurium testium. Et licèt *Sollicitator* non probet pro suo principali, probat contra ipsum; ac generaliter, de consensu Partium: vsque ad *n.* 260.

EX QVÆST. LX. Illatio VII.

ARGVMENTVM.

De Teste Administratore, & negotiorum Gestore.

NEGOTIORVM gestor, non po-
test esse testis pro suo principali circa negotia quæ gerit; præsertim si sit do- 43
mesticus illius cuius negotia gerit. Idem si sit Administrator sæcularium, vel Economus Ecclesiasticorum bonorum: & siue loquamur pendente, siue completo officio: licèt admittatur ad probandum quod nomine sui Principalis in fundo possessio fructus perceperit, aliósque possessorios actus fecerit. Recipitur, & admit- 44
titur contra suum principalem, vel quando producitur de consensu Partium, & in subsidium, quando veritas aliter haberi non potest, & in negotiis quæ non gerit, nisi

niſi aliàs ſit familiaris, & domeſticus: vſque ad *num.* 27.

EX QVÆST. LX. Illatio VIII.

ARGVMENTVM.

De Teſte, Curatore, Executore Teſtamenti, & Actore ad lites.

45 TVTOR & Curator in cauſa ſui pupilli teſtis eſſe non poteſt, etiam Tutelæ officio completo, ſi ex ſua depoſitione idem Tutor vel Curator cõmodum aut incommodum conſequatur: quinimò ipſe Tutor nõ ſolùm non poteſt eſſe teſtis pro pupillo, quando ipſe deputauit Actores ad lites ſuo periculo, verùm etiam ſi is actor fuerit deputatus à Iudice, quia adhuc cenſetur deputatus periculo Tutoris: Et
46 licèt Alij contrà, ac multùm fundati; non tamen recedas, quia eſt Concluſio veriſſima: licèt non procedat quando cauſa agatur per Curatorem datum ad lites, qui cum non conſtituatur periculo Tutoris, ideo nihil eſt quod impediat illius teſtificationem. Extende Regulam ad Actorem ad lites, & ad Executorem teſtamenti, qui nec etiam teſtes eſſe poſſunt in negotiis per ipſos exequendis: vſque ad *numer.* 382.

Excipe Executores teſtamentarios qui
47 in ipſiſmet teſtamentis poſſunt eſſe teſtes, ſi eis nihil fuerit relictum, ſic & in teſtamentis factis per minores, in quibus non prohibentur Curatores in teſtes admitti: provt generaliter, & ſimiliter recipitur Tutor ad ſolemnizandum Actum, etiam in contractibus, & aliis inſtrumentis: vſque ad *n.* 287.

EX QVÆST. LX. Illatio IX.

ARGVMENTVM.

De Teſte Legatario, Hærede, aut Fideicommiſſario.

48 LEGATARIVS licèt ex legato ſibi in teſtamento relicto, commodum, & vtilitatem conſequatur, non tamen prohibetur recipi in teſtem in eo; ſiue teſtamentum ſit in ſcriptis, ſiue nuncupatiuum: & non ſolùm ad ſolemnizandum teſtamentum, ſed etiam ad illius veritatem probandam: quinimò omnes teſtes adhibiti poſſunt eſſe Legatarij in teſtamento in ſcriptis, quamuis ſecus in nuncupatiuo. Non etiam prohibentur teſtificari pro alio Legatario, cum quo hæres habebat controuerſiam, ſi vnius cauſa non dependeat à cauſa alterius. Regula tamen non extenditur ad teſtamenta, in
49
quibus de *Iure communi*, vel etiam *Statutario*, requiratur minor teſtium numerus, quam ſtatutus à *Iure* provt ſunt teſtamenta *Militis*, *ad pias cauſas*, & *inter liberos*: ſic & non poſſunt eſſe teſtes in cauſa proprij legati, niſi totidem ſeptem teſtes in teſtamento adhibiti, deponerent pro eodem legato, vel niſi hæres expreſsè, vel tacitè teſtamentum producendo, eos approbauerit: quidquid Alij contra: vſque ad *n.* 300.

Non etiam admittuntur hæredes, ſeu
51
pater, vel frater ipſorum hæredum; niſi dicti hæredes nullum commodum ex hereditate reciperent, vel tenerentur in totum eam reſtituere. Fideicommiſſarius Generalis non admittitur, quamuis particularis non adhibeatur. Ad-
52
mitteretur & ipſe generalis, quando hæreditas eſſet reſtituenda vlteriùs vocato ſub conditione incerta; vel ſi teſti in teſtamento adhibito teſtator in alio teſtamento reliquerit hæreditatem per fideicommiſſum, vel quando teſtamentum eſſet per Notarium in ſcripturam redactum, nec dubitaretur quin factum fuiſſet: vſque ad *n.* 308.

In Codicillis Legatarius ad ſolemni-
53
zandum voluntatem codicillarem teſtis eſſe non poteſt: Alij contrà. Verùm ſi hæres veniat ab inteſtato, vel ex ſcripto teſtamento, is non prohibetur adhiberi in teſtem in codicillis, ſi in eiſdem non ſit ei aliquid relictum: ex quo admittitur in teſtamentis, in quibus adſit Clauſula Co-
54
dicillaris: vel etiam hæres ab inteſtato, teſtis adhibitus, à teſtificando non arcetur eueniente caſu quod teſtamentum valeat iure codicilli. Et tunc demum Legatarij admittuntur, quando in teſtamentis fuerint deſcripti, & ſic à Teſtatore videantur approbati: vſque ad *num.* 316.

* * *

EX QVÆST. LX. Illatio X.

ARGVMENTVM.

De Teste Creditore & Debitore.

CREDITOR pro suo Debitore
56 testimonium ferre non prohibetur. Quidquid Alij contrà : licèt in causa pignoris , quia tunc videtur causa propria ipsius Creditoris , non admittatur , quia generaliter arcetur, si agatur de eius commodo & vtilitate : Ex quo notabiliter admittitur pro Debitore ad probandum solutionem contra alium posteriorem Cre-
57 ditorem : quia stante sua anterioritate, nihil sua refert condemnari , nécne. E contrà , Debitor pro suo Creditore testimonium ferre non potest ; & si ferat , suspectus est : quia illi quodammodo ratione debiti subditus , vt vulgò dicitur , &
58 seruus reputatur. Alij contra. Tu tamen non recedas. Et quatenus hanc opinionem sequi velis, eam solùm intelligas procedere in Debitore pensionario , & *fictabili* ; non in aliis : vsque ad *n.* 325.

EX QVÆST. LX. Illatio XI.

ARGVMENTVM.

De Teste Venditore.

VENDITOR pro Emptore in causà
59 rei venditæ testis esse non potest: euicta enim re , tenetur ipse de Euictione ; & sic propter interesse, à testimonio repellitur. Alij contrà. Veritas tamen est, quòd quando venditor non tenetur de euictione ad duplum , nec etiam ad pretij restitutionem , & ad damna , & interesse, tunc admittatur in testem pro emptore ; sed non sit integræ fidei: quanta verò fides adhibenda sit ? Iudicis arbitrio remissum
60 est. Admittitur etiam , quando quæstio fit inter duos emptores , ratione paris affectionis : necnon in causa confinium , vel terminorum. Et demum quandocunque probat contra emptorem , si fuerit inductus ab vtraque Parte , & ex mutuo consensu non reijcitur : vsque ad *n.* 335.

EX QVÆST. LX. Illatio XII.

ARGVMENTVM.

De Teste Cedente , pro Cessionario , deponente.

CEDENS pro Cessionario testis esse
non potest : nedum quando tenetur 61
de euictione rei cessæ , sed etiam quando non tenetur. Verùm hoc casu à testificando non repellitur ; sed quanta fides ei sit adhibenda , Iudicis arbitrio remittitur : provt si cessio fuit facta titulo donationis, licèt non teneatur de euictione, indistinctè à testificando repellitur : sed vide *infrà quæst. seq.* Si verò fuit facta titulo oneroso, 62
non repellitur , nisi quando de euictione tenetur. Sic & admittitur quando non omnia iura in Cessionarium transtulit. Et eò fortiùs contra dictum Cessionarium : 63
eóque magis si confessio fuit necessaria , ea , scilicet, quæ fit in iudicio : præsertim, si aliqua præsumptione veniret adminiculata , vel esset facta ad commodum Cedentis , si scilicet teneretur de euictione iurium cessorum , & ipse Cedens esset soluendo ; secùs è contra : vsque ad *n.* 362.

EX QVÆST. LX. Illatio XIII.

ARGVMENTVM.

De Teste Donatore pro suo Donatario.

DONANS pro Donatario testis
esse non potest , præsertim si tenea- 64
tur de euictione rei donatæ : Quinimò etiam quod non teneatur, multi voluerunt illi esse interdictum testificari. Alij contrà. Pro resolutione distingue , quod quando de euictione non teneatur , testificari valeat , sed non sit integræ fidei : & Iudicis arbitrio remissum est , quanta sit ei adhi- 65
benda fides. Verùm si testificetur super contractu donationis , vel ei connexis ad fauorem donatarij , fides non præstatur ; secùs si super aliis prorsus diuersis : vsque ad *num.* 368.

EX QVÆST.

EX QVÆST. LX.
Illatio XIV.

ARGVMENTVM.

De Teſte Fideiuſſore.

66 FIDEIVSSOR in cauſa pro qua fideiuſſit, contra Creditorem non admittitur; ea ratione, quia de illius commodo, & intereſſe agi videtur: Et è contrà, nec principalis debitor poteſt teſtificari pro fideiuſſore: Eóque minùs principalis debitor admittitur, quando fideiuſſor diceret ſe non ſoluiſſe; ſecus ſi diceret ſe non fideiuſſiſſe, vel nulliter fideiuſſiſſe; præcipuè ſi diceret fideiuſſiſſe animo donandi. Ampliando Regulam, reijcitur
67 *Correus debendi*, qui cum principali reo debendi ſi in ſolidum obligauit, ſiue principalis debitor non eſſet ſoluendo, ſiue è contrà. Non procederet tamen quando
68 fideiuſſor renunciaſſet beneficio excuſſionis, vel quando non reportaret vtilitatem, ſeu quando fideiuſſor renunciaſſet beneficio excuſſionis, vel quando non reportaret vtilitatem, ſeu quando fideiuſſor pro ſuo confideiuſſore teſtimonium ferret: & in ſpecie pro conſequendo beneficio excuſſionis, ad probandum, quod quis non vti principalis promiſerit, ſed tanquam fideiuſſor. Alij contrà. Et intelligas vt procedat quando Creditor verè voluerit vnum principalem, & alterum fideiuſſorem (& ſi ambo vti principales in inſtrumento obligato ſint:) vnde ſecus ſi
70 voluerit ambos principales. Et tandem generaliter nunquam admittitur, quando haberet intereſſe: vſque ad *n.* 385.

EX QVÆST. LX.
Illatio XV.

ARGVMENTVM.

De Teſte Socio.

71 SOCIVS pro Socio teſtis eſſe non poteſt: multò minùs ſi ſit Socius non alicuius rei particularis, ſed omnium bonorum: eóque fortiùs Socius ille, qui eſt ſui Socij familiaris: & indubitanter repellitur in re communi indiuiſibili. Hæc non procedunt quando agitur de re communi diuiſibili, dummodo non agatur de parte ipſius teſtis, vel cauſa defenſionis nõ ſit eadem, ſeu ex depoſitione commodum, & vtilitatem non conſequatur. Generaliter enim probat contra Socium, 72
admittitur ad probandam ſocietatem, & Socius Socij non repellitur. Et licèt Regula procedat quando ſocietas eſt contracta per pactum; admittitur tamen etiam 73
quando eſt contracta ex incidenti, vt putà in re pluribus legata. Socius quoque itineris admittitur ad teſtificandum de iniuria illata ſuo Socio, niſi talem iniuriam ad animum ipſe reuocauerit: quod autem 74
fuerit ad animum reuocata, probatur verbis, ſignis, & coniecturis: Et tandem generaliter, an Socius pro Socio probet, nécne, multùm iudicis arbitrio remittitur: vſque ad *n.* 406.

EX QVÆST. LX.
Illatio XVI.

ARGVMENTVM.

De Teſte Proxeneta.

PROXENETA teſtis eſſe non poteſt in negotio, in quo fuit media- 75
tor. Alij contra. Sed non recedas. Et amplia multo magis procedere ſi neutra Pars conſentiat, eum in teſtem admitti: ſiue Proxeneta mercedem conſequatur, ſiue non: ac non ſolùm quando contractus non eſt perfectus, ſed etiam eo perfecto, quamuis ex eo nullam commoditatem ſperet: eóque minùs creditur Proxenetæ 76
libris, quinimò examinatus, nec facit ſemi-plenam probationem. Sed licèt Proxeneta iſte non reputetur integræ fidei, 77
& omni exceptione maior, non tamen in totum à teſtificando repellitur: quin quanta fides illi ſit adhibenda? circunſtantiis & qualitate perſonarum ac cauſæ conſideratis, Iudicis arbitrio remiſſum eſt. Admittitur de conſenſu Partium: quo 78
caſu plenè probat, ſic & vbi veritas aliter haberi non poteſt: in inſtrumentis, & contractibus: in crimine Simoniæ, quando ciuiliter agitur, & etiam in Criminalibus, quoad indicium faciendum, non quoad condemnationem. Similiter quando non fuit particeps muneris & emolumenti; ſed 79
ad eum excludendum, ſimplex promiſſio emolumenti, & muneris ſufficiens eſt: ac in crimine Simoniæ recipitur tantùm ad præſumptionem faciendam, non autem

tem ad inducendam plenam probationem: vsque ad *n.*430.

Recipitur etiam in probatione solutionis vsurarum: & quando contractu,& negotio iam perfecto, agitur de probando 80
aliquam qualitatem,seu præludium ipsius contractus, si termini litis sint tales, vt cesset omnis præsumpta affectio, seu quando non produceretur à contrahentibus, vel testificaretur in alio contractu, vel negotio, vbi ageretur de inualiditate: omnique casu Proxenetæ depositio sup- 81
pletur ex præsumptionibus & coniecturis; quibus iunctis, facit etiam plenam pro- 82
bationem Scias denique Regulam procedere provt loquitur, scilicet in *Proxeneta*, non autem in *Nuncio, Mandatario & persuasore*; vel in eo, qui in conuocandis Partibus aliquod ministerium præstiterit, non tamen conuentionis actus perfecerit, quia scilicet Partes per seipsas conuenerint: hi enim, & similes à perhibendo te- 83
stimonio tanquam Proxenetæ (cùm Proxenetæ nomen mereantur) minimè repelluntur: Ipséque Proxeneta repellitur, non Iudicis officio, sed tantum Parte opponente, & ideo ei creditur ita dictante Statuto, ac etiam fauore matrimonij & doris; licèt in iis non sit integræ fidei. Et 84
generaliter vbi admittitur, non potest cogi ad testificandum, nisi quando veritas aliàs haberi non possit, etiam vna Parte volente: vsque ad *n.* 450.

EX QVÆST. LX.
Illatio XVII.

ARGVMENTVM.

De Teste de Vniuersitate.

TESTES de *Vniuersitate*, pro sua Vniuersitate testimonium ferre 85
non prohibentur; siue Vniuersitas sit Ecclesiastica, siue Sæcularis: & hinc Ciues admittuntur in testes pro sua Ciuitate: Clerici ad fauorem suæ Ecclesiæ: & Canonici ad fauorem sui Capituli. Quinimò 86
etiam ad fauorem Canonici, præterquam in causa præbendæ ipsius Canonici, in qua cùm agatur de proprio & singulari commodo, non esset testis idoneus. Mo- 87
nachi quoque, & Moniales, pro eorum Monasteriis testes idonei reputantur: Et magis generaliter, omnes Fratres Conuentuales, & Regulares, etiam fratres Minores sancti Francisci, & Prædicatores sancti Dominici, pro eorum Conuentibus recipiuntur: imò fratres Prædicatores, & Hæremitani sancti Augustini possunt etiam esse testes in testamentis, in 88
quibus aliquid eorum monasteriis relinquatur. Testes de aliquo Collegio itidem non repelluntur à testificando pro eorum Collegio: eóque fortiùs illi de Vniuersitate, qui sint Religiosi & Sacerdotes: quinimò, & etiam Conuersi. Ac gene- 89
raliter, testes de Vniuersitate sunt idonei, quando agitur de donatione, vel legato relicto eorum Ecclesiæ, vel Vniuersitati; & non fauore singulorum: vt putà pro fabrica, secus si respiceret vtilitatem sin- 90
gulorum: vt putà si legatum vel donatio esset facta ad effectum emendi singulis vnam tunicam. Et generaliter admittuntur non solùm vbi veritas aliàs haberi non 91
potest, sed etiam quandocunque, siue sint sæculares, siue Regulares: præsertim si agatur de probando aliquid gestum in Capitulo, Collegio, vel Congregatione: istóque casu sunt omni exceptione maio- 92
res; nisi tamen ageretur de commodo singulorum: in quo etiam admittuntur quando soli Capitulares interuenerint. Recipiuntur insuper in probatione confi- 93
nium, seu terminorum; ac generaliter contra ipsam Vniuersitatem, & ad eius fauorem; quamuis agatur de reprobatione instrumenti, seu probatione consuetudinis non soluendi Decimas, vel Gabellas, si respiciat commodum & vtilitatem Vniuersitatis secus si singulorum. Verùm ad prospiciendum quando causa dicatur 94
respicere, vel non respicere singulorum vtilitatem; siue non; forma Conclusiones, quarum,

Prima sit Generalis, quod Causa dicatur spectare ad Vniuersitatem, & non ad 95
singulos, quando agitur de re, cuius proprietas & vtilitas simul sunt ipsius Vniuersitatis: quia si proprietas sit vniuersitatis, vtilitas verò singulorum, tunc dicitur spectare ad singulos.

Secunda; Causa dicitur spectare ad 96
Vniuersitatem, quando agitur de Molendino, cuius introitus, & fructus ad Vniuersitatem pertineant; quamuis commoditas molendi ad singulos referatur.

Tertia, quod causa dicatur spectare ad 97
singulos, quando agitur de nemore, vel de pascuis, in quibus singuli de Vniuersitate ligna cædunt, vel oues pascunt.

Quarta, præcedentis declaratiua; quod 98
non ad singulos, sed ad Vniuersitatem spectare dicatur, quando pascua & nemora eorúmque ius pascendi, & lignandi

per

per Vniuerſitatem venditur, & pretium in arca communi reponitur: vel etiam quando pro iure lignandi *dacium*, & merces ſoluitur.

Quinta, quod pariter cauſa dicatur
99 ſpectare ad ſingulos, quando agitur de prædio, & vinea, ex cuius fructibus ſinguli de Collegio aluntur, & viuunt.

Sexta, quod etiam ſpectet ad ſingulos,
100 quando agitur de lite, in qua ſi Vniuerſitas ſuccumberet eſſet ſingulis imponenda collecta: & è contrà, non ſpectare ad ſingulos, quando etiam Vniuerſitate ſuccumbente, collecta ſingulis non imponeretur: ſic & quando eſſet incertum, an ex ſuccumbentia eſſet imponenda collecta, nécne: vſque ad *n.* 508.

In Criminalibus teſtes de Vniuerſita-
101 te, nec ad eius fauorem ſeu defenſam admittuntur, licèt ad defenſionem alterius de Vniuerſitate, quando ea eſſet magna, reciperetur; præcipuè in defectu aliorum teſtium, vbi veritas aliàs haberi non poſſet, quando accuſator eſſet extraneus, imò non extraneus, ſed de Vniuerſitate; ac contra ſuum Prælatum: & hæc in
102 Criminalibus. In Ciuilibus verò pariter recipiuntur, niſi cauſa eſſet ardua & magna, vel affectio conſideraretur ob annexam commoditatem; ſeu teſtis pateretur aliquem defectum; putà ſi eſſet ſalariatus, vel Procurator ipſius Vniuerſitatis; ſeu ſi omnes de Vniuerſitate agerent, omnes Procuratorem, ſeu Syndicum conſtituiſſent; vel cauſa eſſet mixta. Pariter non
103 admittuntur, quando omnes de Vniuerſitate teſtificarentur: quia tunc viderentur eſſe teſtes in cauſa propria. Sic non probarent ſolutionem debiti, quando ſolutione non probata eſſet ſingulis imponenda aliqua collecta, vel ageretur de cauſa onerum, & gabellarum. Et licèt te-
104 ſtes de Vniuerſitate probent ad fauorem ſuæ Vniuerſitatis; attamen in concurſu aliorum teſtium ipſis contradicentium, minùs illis, quàm aliis creditur, niſi materia eſſet talis quæ non poſſet ſic bene eſſe nota aliis, quàm illis de Vniuerſitate.
105 Et demum quocunque caſu non ſunt integræ fidei, nec omni exceptione maiores; & ſic vnus ſolus non ſemiplenè probat: duo non plenè: Quidquid Alij contrà; niſi deponerent de geſtis in Capitulo, & Vniuerſitate; & eorum dictum ſuppleretur ex depoſitione aliorum: vſque ad *num.* 544.

EX QVÆST. LX.
Illatio XIX.

ARGVMENTVM.

De Teſte Abbate, vel Prælato, pro ſuo Monaſterio.

ABBAS, vel Prælatus poteſt eſſe teſtis pro ſuo *Monaſterio*: & licèt
Alij contrà; firma Concluſionem, eámque extende ad Prælatos *Clauſtrales*, & *Conuentuales*, qui appellatione *Prælatorum* veniunt: necnon ad *Epiſcopum*, cui permittitur pro ſua Eccleſia teſtimonium ferre. Et quamuis multi dixerint, Epiſcopum teſtificari non poſſe, ſi agat eius Vice-Dominus, vel Procurator; Alij verò id contendant; Tu fœdere diſtinctionis concilia: ſcilicet quod agente Vice-Domino, vel Oeconomo Epiſcopi, cauſam menſæ Epiſcopalis, & ſic propriam ipſius Epiſcopi, non poſſit Epiſcopus teſtificari: ſi verò agat cauſam Eccleſiæ, vel communem, tunc admittatur.

Et in omnibus cauſis in quibus poſſunt
Abbates, Prælati, & Epiſcopi eſſe teſtes pro eorum Monaſteriis, & Eccleſiis, in eiſdem etiam poſſunt teſtificari Rectores Eccleſiarum, & Archypreſbyteri, quamuis deponant de actis per ipſos; niſi ſint depoſiti, vel remoti ab adminiſtratione: eóque fortiùs adhibentur in contractu vel inſtrumento facto ad dignitatem eorum Eccleſiæ.

Regula tamen non procedit, quando
ſolus Prælatus vel Abbas Procuratorem ad agendum conſtituerit: in ea enim cauſa teſtes eſſe non poſſunt, niſi conſtituiſſent nomine eorum proprio, non autem Eccleſiæ. Et hoc intelligas tantùm de
Prælato ſæculari, non autem de Regulari, quamuis multi dixerint hanc diſtinctionem in Practica non admitti. Sed eò minùs poſſent eſſe teſtes, quando ipſimet Procuratores cauſam per ſeipſos agerent, ſeu tractaretur de ſpectantibus particulariter ad menſam Prælati; ſeu ipſe Prælatus non haberet Collegium ſed tantùm nudam & ſolam adminiſtrationem, ac libellus generaliter eſſet conceptus nomine ipſius Prælati, ſeu Procuratoris, totúmque commodum ad ſe ſpectaret: vſque ad *num.* 573.

EX

EX QVÆST. LXI. Oppositio IX.

ARGVMENTVM.

De diuersis oppositionibus contra personas Testium; & in primis de Teste Furioso.

TESTIS *furiosus*, sicut à iudicandi munere repellitur, ita & à testificando arcetur. Extendendo ad *Indiscretum*, Mente captum, Freneticum, Fatuum, Dementem, Lunaticum, & generaliter ad omnes qui sensu, seu intellectu carent: neque enim in testamentis adhiberi possunt, licèt tempore testamenti, non fuissent furiosi, sed euaserint tempore quo aperiuntur tabulæ. Admitteretur tamen *Furiosus*, si effectus sanæ mentis deponeret de iis, quæ vidit tempore furoris. *Author* hanc limitationem licèt communiter receptam impugnat, nec eam veram dicit. Admittitur & ille, qui habet lucida interualla, si deponat tempore cessantis furoris, etiam quod non appareat testificationem fuisse emanatam tempore sanæ mentis. Et denique admittuntur illi qui sunt *Simplices*, *stupidi*, *Grossi*, (non tamen intellectu carentes) & si integrum animi vigorem non habentes; quia, quæ de furioso dicuntur, ad huiusmodi hominum genus non extenduntur: vsque ad *n.* 18.

EX QVÆST. LXI. Oppositio X.

ARGVMENTVM.

De Teste Cæco.

TESTIS *Cæcus* regulariter à testimonio repellitur: eóque magis non admittitur in confectione Inuentarij, nec in Testamentis. Recipitur attamen, quando deponeret de iis, quæ visu non percipiuntur, sed auditu; dummodo taliter habeat notas voces contrahentium, & loquentium, vt falli non possit: non tamen hoc casu non est omni exceptione maior: in Ciuilibus enim facit tantum præsumptionem: & in Criminalibus non admittitur si deponat particulariter de aliqua voce, ita vt falli possit: reciperetur quidem deponens de visis ante cæcitatem, seu quæ cadant sub sensum auditus: vsque ad *n.* 35.

EX QVÆST. LXI. Oppositio XI.

ARGVMENTVM.

De Teste Muto & Surdo.

MVTVS & Surdus ad testimonium non admittitur, siue sit mutus & surdus ex natura, siue ex accidenti; dummodò nil audiat aut loquatur; & dummodo careat omni prorsus intellectu: adeo vt non possit aliquo modo suæ mentis conceptum exprimere; secus si Mutus omnia nutu, & signis illis quidem certis, & indubitatis explicare possit. Quæ procedunt in Ciuilibus, necnon in Criminalibus, si velit per scripturam deponere, quia huiusmodi Muti testimonium per scripturam potest recipi, si ex accidenti Mutus scribere sciat; hoc enim casu cogi potest ad illud ferendum in scriptis, quando criminaliter agitur; secùs si ciuiliter. Admittitur deniq; Surdaster, Balbutiens, & tardiùs audiens, aut loquens: vsque ad *num.* 56.

EX QVÆST. LXI. Oppositio XII.

ARGVMENTVM.

De Teste Clerico contra laicum, & coram sæculari Iudice examinato.

CLERICVS contra laïcum examinari non potest in causa criminali: eóque magis, quando laïcus pro crimine esset puniendus pœnâ sanguinis; quamuis Clericus esset in minoribus constitutus: sed si forsan examinaretur, nullum prorsus indicium faceret: generaliter enim in omnibus sæcularibus negotiis, & coram Iudice laïco testis esse nequit; licèt de consuetudine admittatur in instrumentis, & testamentis. Recipitur attamen in criminibus exceptis (nisi pœna sanguinis sit imponenda) quando veritas aliter haberi non potest, seu quando causa criminalis agitur ciuiliter. Sed quamuis

quamuis Clericus non poſſit contra laïcum examinari coram Iudice ſæculari, poteſt tamen deponére coram Eccleſiaſtico, & ſuper Eccleſiaſtico crimine: quinimò, etiam in Criminalibus contra laïcum, quando veritas aliter haberi non poteſt, recipitur ad fauorem laïci, & ad eius defenſam; præſertim ſi agatur de repul-
11 ſando teſtes. Admittitur ad reprobandum inſtrumentum, eóque magis in cauſa Ciuili, tam coram Iudice laïco, quàm Eccleſiaſtico; necnon ei admiſſo maior quàm ſæcularibus fides adhibetur: non poteſt tamen admitti coram Iudice laïco, abſque licentia Epiſcopi, & Superioris: ſed ſi abſque ea examinetur, adhuc valet eius de-
12 poſitio. Nec requiritur talis licentia *Primò* tempore peſtis: *Secundò*, quando examinatur Epiſcopus: *Tertiò*, quando vnà cum Epiſcopo, vel Prælato examinatur. Et quando Epiſcopus licentiam concedit vt Clericus examinetur, vel poteſt eam impartiri Iudici laïco, vel teſte Clerico examinato coram ſeipſo, vel alio Eccleſiaſtico Iudice, illius examen Iudici laïco re-
13 mittere. Verùm quocumque caſu, Clericus non poteſt cogi ad deponendum contra laïcum, nec in Ciuilibus, nec in Criminalibus, niſi vbi aliàs veritas haberi non poteſt; eóque minùs in cauſa criminali cuiuſcunque generis; niſi pariter, vbi veritas aliter haberi non poteſt; & tunc debet cogi à Iudice Eccleſiaſtico: vſque ad *num.* 98.

EX QVÆST. LXI. Oppoſitio XIII.

ARGVMENTVM.

De Teſte Laïco contra Clericum.

LAICVS contra Clericum, quam-
14 uis primæ Tonſuræ, in Criminalibus teſtimonium ferre non poteſt: eóque minus ſi laïcus ſit aliquo membro mutilatus, ſeu taliter corpore vitiatus vt non habeat poſſibilitatem ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. Alij contrà: & præcipuè hoc non procedere in mutilatis, *Author* profi-
15 tetur. Regula non procedit in criminalibus exceptis, quamuis iſti laïci ſint viles, eóque fortiùs in ſubſidium; præſertim ſi ſint plures, & deponant immediatè ſuper delicto de viſu faciunt indicium ad tortu-
16 ram, Admittuntur generaliter ad fauorem Clerici, & contra Clericum infamatum, in crimine notorio, in probatione famæ vbi de crimine agitur ciuiliter, & in cauſa merè ciuili: vſque ad *n.* 123.

EX QVÆST. LXI. Oppoſitio XIV.

ARGVMENTVM.

De Teſte Monacho & Religioſo.

MONACHI, & Religioſi non prohi-
bentur teſtimonium ferre, ſiue in 17
cauſis aliorum, ſiue ſuæ Eccleſiæ, ac in Teſtamentis: multóque magis in Teſtamentis ad pias Cauſas, etiam ſine licentia ſuorum Superiorum de *Iure Canonico*, non autem de *Iure Ciuili*: & quamuis contendatur ſine licentia examinari non poſſe; veritas tamen eſt quod examinati probent, nec vllo modo eis de fide minuatur: vſque ad *n. fin.* 134.

EX QVÆST. LXII. Præludia.

ARGVMENTVM.

De Teſtibus inhabilibus in genere; & in primis quis dicatur Teſtis idoneus, integer, legitimus, & omni exceptione maior? quomodo etiam, & per quem huiuſmodi qualitas probanda ſit.

OPPONITVR XV. quod Teſtes ſint
Inhabiles, ſcilicet non legitimi, inte- 1
gri, idonei, & omni exceptione maiores. Præmittendum ergo eſt, qui tales dicantur? & in primis, *Maior omni exceptione* eſt ille, qui nulla legitima exceptione repelli poteſt, & vndique inuulnerabilis à *Iure* reputatur, & à Doctoribus. *Idoneus* eſt ille, ſecundùm aliquos, qui eſt omni ex- 2
ceptione maior: *Author* tamen cõtradicit, & bene probando contrariam opinionẽ, Idoneum illum dicit, qui eſt aliquid minus quàm teſtis omni exceptione maior; & inter ſe diſtare, provt diſtat terminus Superlatiuus à termino Cõparatiuo *Legitimus* dicitur ille, qui eſt omni exceptione 3
maior: & ſic paria ſunt, quẽ eſſe teſtẽ legitimũ, & omni exceptione maiorẽ. *Integer*, ſeu integræ opinionis dicitur is, qui à *Iure* non repellitur; & ita eſt idem cum teſte 4

omni exceptione maiore. Quibus sic
5 præmissis, Regula firmatur, quod vbi requiritur in teste qualitas termini superlatiui, videlicet, vt sit optimæ opinionis, tunc ista qualitas non præsumatur, & sic per producentem sit probanda. Idem quando requiratur integræ & probatæ opinionis, siue bonæ conditionis & famæ; secus verò si talis qualitas bonæ cõditionis & famæ specialiter & expressè non requiratur à *Statuto* vel *lege*; quia tunc non est
6 articulanda, nisi sit in Superlatiuo gradu. Multóque magis procederet, quando *Statutum* requireret in teste integritatem per verba geminata; putà si diceret *idoneitatem*, & *legitimitatem*; quia tunc esset
7 articulanda, & probanda. Hæc tamen procederent quando in Teste non requireretur nisi qualitas idoneitatis, & quocumque casu quo debeat probari, satis est testem dicere eum haberi pro tali. Ista probatio omissa ex officio Iudicis decerni potest, admitti, & recipi; post publicationem processus, & attestationem: vsque ad *n.*19.

EX QVÆST. LXII.
Regula cum Ampliationibus.

ARGVMENTVM.

Testes, an sufficiat quod sint habiles, & idonei, an verò requirantur omni exceptione maiores? Quid in Criminalibus? Quid si agatur de reprobando alios testes? Et an detur appellatio ab admissione testium inhabilium.

7 TESTES inhabiles ad testificandum non admittuntur, & in omni causa, ac negotio, non solùm requiruntur habiles & idonei, sed etiam omni exceptione maiores: præcipuè in Criminalibus: & vbi ageretur de reprobando Testes iam exa-
8 minatos, seu eorum personas. Quinimò si Iudex admitteret testes inhabiles, Pars posset appellare ab huiusmodi admissione. Et denique, habilitas testis non probatur per assertionem eiusdem testis dicentis se habilem; aliunde enim ipsius habilitas probari debet: vsque ad *n.*28.

EX QVÆST. LXII.
Limitatio I. Regulæ.

ARGVMENTVM.

Testes inhabiles admittuntur in his quæ sunt difficilis probationis si habiles haberi non potuerint.

LIMITA, propositam Regulam non procedere in factis & delictis, 9
quæ sunt difficilis probationis; vt sunt Furtum, Adulterium, partus suppositus, Simulatio, simonia, fraus, dolus, Tractatus, aut quid simile. Quod intellige, dummodò alij Testes non interuenerint, nec verisimiliter interuenire potuerint. Sic & pariter non procedit, 10
quando producens testes inhabiles potuit adhibere testes habiles, & non adhibuit; quia licèt inhabiles admittantur ad probandum adminicula, quæ de sui natura non sunt difficilis probationis; hoc sanè 11
intelligendum, quando agitur ciuiliter, secus si criminaliter: quia in Criminalibus, & si admittantur, non sunt integræ fidei: vsque ad *n.*33.

EX QVÆST. LXII.
Limitatio II.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilitas, in probatione facti nocturni admittendis, & quomodo prædicti testes deponendo probent? an verò potius sint de falso suspecti.

LIMITA Secundò, Quæstionis Regulam non procedere in proba- 12
tione eorum quæ nocturno tempore fiunt, quæ cum reputentur à *Iure* difficilis probationis, Inhabiles admittuntur, sed non sunt integræ fidei; quia solùm tunc recipiuntur, quando ratione loci alij testes verisimiliter interuenire non potuerunt: & hoc casu debent reddere eorum scientiam, eorum causam scientiæ, & visus; secus si tantùm de visu deponerent nisi adderent quod Luna luceret, vel 13
lumina essent accensa; quia aliàs nedum

non

non probarent, verùm etiam eſſent de falſo ſuſpecti: quinimò dicens ſe vidiſſe ad lumen Lunæ, non eſt integræ fidei, nec ad torturam ſufficiens: ſic & non proba-
14 ret, niſi deponeret vidiſſe de vicino, & propinquo; niſi probaretur ex Medicorum relatione talis naturæ, & viſus adeo perſpicui, & acuti, vt de nocte etiam abſque ſplendore ignis, vel Lunæ videret, vel haberet notam vocem loquentis: ſed iſto caſu non dicitur omni exceptione maior, & vnicus non ſufficit ad torturam: vſque ad *n.* 50.

EX QVÆST. LXII. Limitatio III.

ARGVMENTVM.

De Teſtibus inhabilibus admittendis, vbi veritas per alios haberi non poſſit.

15 IMITA Tertiò, non procedere Regulam, vbi veritas aliter haberi non poteſt: quia tunc teſtes inhabiles admittuntur, quamuis ſint affines & conſanguinei: & nedum in Ciuilibus, ſed etiam in Criminalibus. Veritatem (ad propoſitum) non ſolùm dicitur aliter non haberi poſſe, quando delictum, & negotium de ſui natura eſt tale, & ſic difficilis probationis; ſed etiam quando ratione loci: vt putà ſi agatur de commiſſis in heremo, in nemore, in monte, aut
16 in alio loco ſecreto: ſed quia qualitas, quod veritas aliàs haberi non poſſit, non præſumitur, ideo eſt alleganda, articulanda, & probanda; niſi eſſet notorium: quod notorium an ſit nécne? Iudicis arbitrio remittitur conſiderandum. Non dici-
17 tur ex eo, quod in facto, de cuius probatione agitur, alij teſtes actu non interuenerint; niſi factum, vel de ſui natura, vel ratione loci & temporis ſit tale. Et quod actu & habitu alij teſtes interuenire non potuerint, ſatis eſt deducere à communiter accidentibus: ſed ſi interuenire potuerint, non tamen interuenerint, hoc caſu teſtes inhabiles faciunt aliqualem probationem: vſque ad *n.* 69.

Et iſta qualitas, quod veritas aliter ha-
18 beri non poſſit, eſt aliunde probanda quàm per dictos teſtes inhabiles, qui nunquam recipiuntur, ſi de geſtis à ſeipſis teſtificentur; intelligendo, quod quando proceditur per accuſationem non admittantur: & quocumque caſu, Author firmat (quidquid Alij contra) nunquam facere plenam probationem: nec vllo pacto admittendos, quando inhabilitas proueniret ex pluribus defectibus: vſque ad *n.* 81.

EX QVÆST. LXII. Limitatio IV.

ARGVMENTVM.

De Teſtibus inhabilibus in criminalibus exceptis.

IMITA Quartò, in criminibus exceptis ac ſpecialiter in crimine Hęreſis, 19
& læſæ-Maieſtatis, vbi admittuntur teſtes inhabiles; ſiue ſint maſculi, ſiue fœminæ: veruntamen, licèt recipiantur ad probandum talia crimina excepta, non tamen admittuntur ad probanda adminicula dictorum criminum: & quoad crimen læſæ-Maieſtatis, non dicitur commiſſum in propoſito, niſi de facto in perſonam ipſius Principis cadat offenſio corporalis. Quo verò ad crimen Hæreſis, tantummodò probant, quando ſint numero plures; quàm duo adminicula, & circunſtantiæ concurrant; quia aliàs non ſufficerent, niſi ad torquendum, vel ad ſummum ad condemnandum in pœnam extraordinariam: vſque ad *n.* 90.

EX QVÆST. LXII. Limitatio V.

ARGVMENTVM.

De Teſtibus inhabilibus admittendis, ad rei defenſionem.

IMITA Quintò, vt ad Rei defenſionem, & innocentiam detegendam 20
inhabiles admittantur: ſecus verò, quando inducerentur ad reprobandos teſtes probantes delictum: vel quando ſic Inquiſitus, eſſet valde indicatus, vel ageretur contra accuſantem; ſeu inhabilitas reſultaret ratione infamiæ. Et licèt Aliqui 21
voluerint iſtos inhabiles non admitti, in criminibus exceptis, quamuis ad defenſam; *Author* contrarium tenet, & firmat: quidquid ſit, ſi dicatur non eſſe integræ fidei: vſque ad *n.* 99.

EX QVÆST. LXII. Limitatio VI.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus in causa Matrimonij.

LIMITA Sextò, Regulam non
22 procedere, quando agitur de probando consanguinitatem, ad effectum impediendi Matrimonium: quia tunc ratione peccati vitandi inhabiles recipiuntur: & generaliter, quamuis nonnulli teneant recipi in causis matrimonij, etiam quando non agatur de peccato vitando; Contrarium tanquam verius de-
23 fendit *Author*. Recipiuntur quoque ad probandum matrimonium clandestinum, contractum: seu quando ageretur de probando matrimonium spirituale; quia tunc requiruntur testes omni exceptione maiores: vsque ad *n.* 110.

EX QVÆST. LXII. Limitatio VII.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus admittendis, nécne, in Instrumentis, & Testamentis. Et quid si sint à Partibus rogati in aliquo alio actu.

LIMITA Septimò in *Instrumen-*
24 *tis*, in quibus testes inhabiles recipiuntur extendendo generaliter ad quemcunque actum, in quo sint vocati, & rogati à Partibus: quinimò testes inhabiles instrumentarij possunt etiam testificari super comprobatione instrumenti, siue publicæ, siue priuatæ scripturæ; quamuis fuerint inhabiles tempore subscriptionis, seu tempore depositionis, quamuis fuerint affines, ac adhibiti in instrumento fratris, si Pars tempore instrumenti cognoscebat tales testes; secus è contra: quia testis approbatus ab vna Parte non censetur approbatus ab altera: quinimò non reputantur approbati per simplicem vocationem, & rogationem, si repellantur in odium ipsius testificantis: putà *quod sit Bannitus, Excommunicatus*, aut quid simile. Et licèt contra testes inhabiles instrumentarios non possit dari exceptio personalis, potest tamen excipi contra eorum dicta, si quod habeant interesse in instrumento, de quo agitur. In Testa- 25
mentis verò, quamuis sint approbati à *Testatore*; si à *Iure* repellantur, non possunt admitti: præcipuè quando inhabilitas resultaret ex interesse: nisi fuerit admissus tempore quo ex communi opinione reputatus fuisset habilis: vsque ad *numer.* 132.

EX QVÆST. LXII. Limitationis VII. Sublimitatio.

ARGVMENTVM.

An testes in Instrumentis, & Testamentis, debeant esse rogati? & quando rogati præsumantur.

PROSEQVENDO materiam, & re-
solutiuè loquendo; quidquid Alij 26
contra; in Instrumentis *rogatio* Testium non requiritur, quamuis necessariò in Testamentis debeant esse *rogati*, ac singulariter expressè rogati ad *interessendum* vti testes: Rogatio enim nil aliud est, quam denunciatio testibus facta, vt sint testes: licèt hodie satis sit de *Consuetudine*, vt
Testator dicat testibus adhibendis, *Estote* 27
testes. Imò plus; qui dicit Testes *rogatos* in Testamento, debet hoc probare, cùm dicatur qualitas extrinseca, & rogati non præsumantur ex assertione Notarij scribentis in instrumẽto præsentibus N. & N. & propterea quamuis dicant in articulis se audiuisse, non tamen deponant, se adhibitos & *rogatos*, adhuc nihil probant; quia rogatio requiritur nedum de Iure Ciuili, sed etiam de Iure Canonico.

Et licèt superiùs fuerit dictum, *roga-* 28
tionem testium in instrumentis non esse necessariam; notabiliter requiritur in solutione, seu confessione debiti quod iam erat in scriptis redactum, necnon in diuortio.

In testamento Militis à *Iure* priuile- 29
giato, adhuc Rogatio requiritur; sed in Codicillis, in Testamentis ad pias Causas, & inter liberos, non est de necessitate. Et quocumque casu, satis est à Notario, vel Testatore, fuisse rogatos; imò & ab hærede, dummodò sit præsens, & consentiat Testator.

Ad

Ad probandam verò *rogationem*,
30 duo testes, vel assertio Notarij scribentis, *rogatis*, &c. sufficiens est: & licèt Alij contrà, non recedas.

Præsumuntur etiam *rogati*, si post verba *Præsentibus*, iungatur clausula, *&c.* quia hæc Clausula extenditur etiam ad *rogitum*: eóque fortiùs, quando essent in testamento subscripti pa-
31 tiente, & sciente testatore; Nec rogitus reuocatur in dubio, datâ peritiâ Testatoris, & Notarij, ac institutione necessariò instituì debentis.

Notabiliter verò, si plura Testamenta reperirentur in vna charta, quinterno, seu *filsa* eiusdem Notarij, & in vno, vel pluribus ex illis præcedentibus adesset *rogitus* Testium, idem rogitus præsumitur etiam in sub-
32 sequentibus. Aliqui demum tenent, quod etiam præsumantur *rogati* Testes, quando patiantur se describi in testamento. Author de hoc dubitat, & tantùm sustineri posse conclusionem credit, quando testes patiantur se describi iussu, patientia, seu consensu testatoris: vsque ad *n.* 174.

EX QVÆST. LXII.

Limitatio VIII.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus, ex Partium expresso, vel tacito, per non oppositionem consensu admittendis, aut Iudicis officio repellendis.

33 IMITA Octauò, quæstionis Regulam non procedere, quando pars citata ad videndum produci, & examinari testes, nihil opponeret, quia tunc quilibet inhabilis, & exceptus testis recipitur: eóque magis de expresso Partium consensu; siue etiam tacito, quando Pars fuit præsens admissioni nihil opponens, & nihil op-
34 pugnans. Verùm si à principio inhabilitas Parti non erat nota, adhuc dicitur in tempore ad opponendum; & per non oppositionem, non censentur approbati. Extende si adhuc etiam non valebat opponere, exemplificando in Minore. Et quocumque alio ca-
35 su, personis testium approbatis, dicta eorum non censentur approbata, imò nec eorum personæ in illis quæ sunt introducta non fauore tacentis, sed odio ipsius Testis, vt sunt excommunicatio, bannum, & quid simile: minúsque nocet non oppositio, si à Iu- 36
dice fuerit impedita, vel de inhabilitate constet ex propria ipsius testis confessione: quinimò Iudex ex officio potest cognoscere de inhabilitate, si inhabilitas pendat à culpa testium, & ex personis eorumdem, vt sunt Infames, Condemnati, Minores, & similes: vsque ad *n.* 193.

EX QVÆST. LXII.

Limitatio IX.

ARGVMENTVM.

De Testium inhabilium repulsa in causis summariis admittenda, nécne.

LIMITA Nonò, quæstionis Regulam non procedere in causis 37
Summariis, in quibus testium reprobatio non admittitur: & ideò *Inhabiles* recipiuntur: extendendo ad possessoria summarissima; ad omne Iudicium, in quo non plena, sed leuis probatio sufficit: præsertim, quando appareat de calumnia petentis repulsam, vel quando agatur incidenter, siue in eo Iudicio summario quod per Ordinarium potest reparari. Conceditur attamen repulsa in possessorio 38
non sic summarissimo, in causa Attentatorum, secluſa calumniâ, quando filius petit alimenta à patre, vel in bonis paternis, & ideo sit necessaria probatio filiationis: & generaliter quandocunque de calumnia non apparet etiam in Summariis; siue quando agatur de legitimatione personarum, prin- 39
cipaliter in casu *leg. fin. Cod. de edict. Diu. Hadr.* vel ad effectum impediendi executionem sententiæ: & tandem non potest denegari quando defectus exillorum depositione appareat.

***

EX QVÆST. LXII.
Limitatio X.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus, quando probent contra producentem, siue vnus, siue plures sint.

LIMITA Decimò, quod contra
40 producentem testes inhabiles probent, siue vnus, siue plures sint; nedum in Ciuilibus, sed etiam in Criminalibus, ex quo testis productus à Fisco contra fiscum plenè probat, non solùm in eadem causa, verùm etiam in diuersa: quia quem in vna causa pro me produxi, non possum reprobare in alia, si contra me producatur; licèt tacitè approbatus in Iudicio summario, possit reprobari in plenario. Extendendo vt etiam productus in
41 vna causa, quamuis reproducatur ab alio in diuersa, non possit reprobari: sufficit enim sola testium productio; quamuis producens vsus non sit eorum examine, etiamsi produxerit, & postea pœnitens productionem reuocauerit, seu non examinauerit; quia adhuc producente inuito
42 examinasti possunt: & horum Testium approbatio non solùm producenti nocet, sed etiam ei contra quem producunt: Quapropter si ego produxi testes contrà
43 te, & tu illis vtendo contra me, eosdem approbasti, non poteris amplius illos reprobare, si per me contra te iterum producantur. In tantum ergo contra producentem Inhabiles probant, vt etiam hoc procedat si inhabilitas resideat in *dicto*: videlicet si deponant de *credulitate*, & quamuis sit vnicus, quando post examen, & illius publicationem fuerit productum:
44 Quidquid Alij contrà; sic firmat *Author*: & extendit ad testem de *Auditu* cum eadem declaratione: & ideo etiam quod testis vnicus sit, adhuc plenè probat contra producentem. Alij contra, & forsan veriùs: provt hanc opinionem aliquando tenuit Rota Romana *in vna Tullen. Monasterij, sancti Mansueti* 27. *Ianuarij* 1597.
45 *coram Pegna:* Quia generaliter non procedit hæc Limitatio ad exceptiones superuenientes post testium inductionem, nam eas opponere non prohibetur producens: quinimò nec per productionem censentur approbatæ personæ ipsorum testium, nisi vltra productionem adfuerit reproductio examinis, vel producenti bene innotescat eorum inhabilitas, illóque casu ignorantia probatur iuramento, & adhuc contra eos potest opponi de subornatione. Sublimita tandem in excep- 46
tione respiciẽte interesse proprium ipsius Testis, nunquam enim producens obligatur per productionem credere testi producto in respicientibus causam propriam ipsius testis, nisi quando tale interesse optimè innotesceret producenti, ante productionem: Et quatenus concedatur, 47
quem non posse testes à se productos reprobare, non tamen impeditur Iudex ex officio illos repellere, si videat aliam Partem non fouere iustitiam: sed quando Testem produxi contra te, tu illum reproba- 48
sti non impedior eundem reprobare, si reproducatur à te, quamuis antea fuerit reproductus à me, dummodò sit ille idem qui illum reprobauit; quia adhuc si secùs, non possem contra illius personam excipere, cùm reprobatio noceat reprobanti, & non Tertio. Demum sublimitatio proce- 49
dit, quando reprobatio, & oppositio Partis, contra quam testis fuit productus, fuerit ratificata, & approbata per producentem. Insuper requiritur quod reprobatio 50
sit in specie, non autem in genere: quapropter non satis est protestatio illa generalis, quam Pars citata ad videndum productionem testium, facit in Iudicio, quod intendit contra illos *suis loco, & tempore excipere*; nisi etiam subsequatur postea specialis: & tandem in hac materia *Author* te remittit ad DD. in *c. præsentium, de testib.* & ad Mascard. *de prob. lib.* 3. *conclus.* 1235. *num.* 18. & 19. 51

EX QVÆST. LXII.
Limitatio XI.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus examinatis, quando examinari non debuerant, an, & quando faciant aliquam probationem, indicium vel præsumptionem.

LIMITA XI. propositam Regulam
quia etsi testes inhabiles non pro- 52
bent, faciunt tamen præsumptionem, & indicium ad inquirendum, ad assumendum informationes, & quandóque ad torturam, si inhabilitas non in totum eos repellat,

repellat, & ſint numero plures; quamuis inhabilitas reſpiciat ſiue eorum perſonas, ſiue examen; putà quia non ſint ritè examinati: & ideò teſtis examinatus extra terminum adhuc facit aliquod indicium: & notabiliter vbi certus numerus requiratur, ſi minor adhibeatur, adhuc facit indicium, dummodò iſte minor numerus ſit ſaltèm duorum teſtium, quamuis inhabilitas reſultet ratione infamiæ, vel
53 inimicitiæ, ſed tamen nunquam inducunt probationem ſufficientem ad condemnandum: & ſi fuerint examinati dum examinari non debuiſſent, nullum prorſus faciunt indicium; nullumque etiam Inhabiles, qui examinari non debuerant propter reuerentiam; vt ſunt filij liberti, ſerui, & ſimiles; vel propter ætatem aut ſexus defectum, ſeu propter timorem affectionis: vſque ad *n.* 266.

EX QVÆST. LXII. Limitatio XII.

ARGVMENTVM.

De Teſtium inhabilitate conſideranda, an tempore actus depoſitionis iuramenti, ſeu quando.

LIMITA Duodecimò, quod inhabilitas Teſtium, ad hoc vt illis tollat, vel non tollat fidem, & ſic etiam habilitatem, conſideranda eſt non tempore celebrati actus, ſed tempore depoſitionis. Verùm quia hæc Limitatio non ſemper
54 vera eſt, *Author* aliquas facit Concluſiones. Quarum *Prima* eſt, quod quando Teſtes requiruntur non ad ſolemnitatem, & ſubſtantiam actus, ſed ſolùm ad illius probationem, tunc habilitas conſideratur
55 non tempore actus, ſed depoſitionis. *Secunda* præcedenti contraria, quod quando Teſtes requiruntur non ad probationem actus, ſed ad illius ſolemnitatem, & ſubſtantiam, tunc eorum habilitas inſpicienda eſt tempore actus, & non depoſitionis. *Tertia*, quod quando poſt actus celebra-
56 tionem teſtis effectus eſt inhabilis ſine ſua culpa, tunc eſt idoneus ſi tempore actus erat habilis, & tempore depoſitionis inhabilis; ſecus verò ſi effectus ſit inhabilis propriâ culpâ, quia tunc tollit ei fidem tempore depoſitionis. Alij contrà. *Quar-*
57 *ta*, quod quando habilitas, & inhabilitas teſtis inſpicitur tempore depoſitionis, tunc ſi idem Teſtis tempore depoſitionis erat habilis, fidem facit, & probat; etiam quod poſt depoſitionem inhabilitas ſuperueniat; ſicut è contrà, inhabilitas tempore depoſitionis tollit fidem teſti; etiam quod poſt depoſitionem efficiatur habilis: & pariter inhabilitas ante depoſitionem & iuramentum teſti fidem non tollit, ſi tempore depoſitionis, & iuramenti erat habilis. *Quinta*, quod teſtes debeant eſſe 59
habiles non ſolùm tempore depoſitionis, ſed etiam tempore iuramenti, & ſic vtroque tempore. *Sexta*, quod excipiens de 60
inhabilitate teſtium, debet non ſolùm inhabilitatem probare, ſed etiam in ſpecie illam probare tempore vel iuramenti, vel depoſitionis: vſque ad *n.* 308.

EX QVÆST. LXII. Limitatio XIII.

ARGVMENTVM.

De teſtibus inhabilibus, quando eorum fides ſuppleatur ex numero.

LIMITA Decimotertiò, quod teſtium numerus ſupplet eorum 61
defectum, ac inhabilitatem in Ciuilibus, non autem in Criminalibus quoad condemnandum; licèt ſecùs quoad torquendum: quinimò nec in Ciuilibus arduis, & grauibus, ac ſignanter in cauſa matrimoniali ſecundùm Aliquos: ſed Contrarium eſt verius; & hanc contra- 62
riam opinionem ſequitur Rota Romana. Teſtium inhabilitas tunc ſuppletur numero, quando inhabilitas minuit tantum 63
fidem teſtibus, ſecùs ſi in totum eos repellat; provt eſt quando repelluntur ratione intereſſe, quod habent in cauſa; provt nec ſuppletur, quando defectus ſtat in *dictis*, vel quando omnes Teſtes eſſent ſuſpecti, ſeu paterentur plures exceptiones, & defectus. Qualis autem ſit hic 64
numerus teſtium? DD. non conueniunt, & hac de re varij varia dicunt. *Author* in tot tantiſque ambagibus hoc vnum firmat, ſcilicet, quod Iudicis arbitrio remittatur: vſque ad *numer.* 328.

***

EX QVÆST. LXII.
Limitatio XIV.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus, quando eorum fides suppleatur, vel ex magna fide contestis, vel ex adminiculis.

65 LIMITA XIV. non procedere Regulam, quando essent examinati duo Testes, quorum vnus esset inhabilis, alter verò plusquàm habilis; tunc enim fit inter eos compensatio, & vnius inhabilitas, ac defectus suppletur ex magna fide, & habilitate alterius, non solùm quando vnius Testis inhabilis fides
66 suppletur ex fide plurium aliorum Testium habilium, & fide dignorum, sed etiam si suppleretur ex vnius tantùm fide: & non solùm quando inhabilitas consistat circa *personam*, sed etiam circa *dicta*. Ex
67 quo infertur, quod dictum Testis, non deponentis de loco, & tempore, suppletur ex dicto alterius, qui de tempore, vel loco deponat; sanè intelligendo, nisi tempus esset de substantia; vsque ad *numer.* 335.

Inhabilitas insuper suppletur ex adminiculis, coniecturis, præsumptionibus, &
68 verisimilitudinibus: quia inhabiles, si deponant verisimilia, benè probant: præcipuè si sint adminiculata aliqua iuris præsumptione, videlicet, si concurreret confessio Partis, vel fama publica. Verùm, si Testis esset omninò inhabilis, eius testimonium vix suppleri posset: requiritur enim, vt Testis supplens sit præstantissimæ fidei, & omni exceptione maior; & adhuc in Criminalibus tantùm suppleret
69 ad torquendum. Singulariter verò quando à *Statuto* requirerentur duo Testes in quouis actu, tunc vnius fides non suppleret inhabilitatem alterius: vsque ad *num.* 350.

***

EX QVÆST. LXII.
Limitatio XV.

ARGVMENTVM.

De exceptione Testium inhabilitatis, quando impediat eorum examen, quando verò reseruetur in fine litis.

LIMITA XV. quia & si Testes non probent, exceptio tamen contra 70
eos opposita, regulariter non impedit eorum examen, sed in fine litis reseruatur discutienda. Alij contra: Firma tamen, & Ampliando dicas; multò magis procedere, quando inhabilitas opposita ha- 71
bet contra se Iuris præsumptionem; vt putà, si opponens diceret, Testem esse seruum, inimicum, seu quid simile: eóque fortiùs, si opponeretur malitiosè. Sed si cum oppositione concurreret præsumptio Iuris, vel capitalis inimicitia, secus procederet. Quinimò tunc demum exceptio contra Testem reseruatur in fine 72
litis, quando non incontinenti offertur probatio, & sic illius discussio requirit altiorem indaginem. In Teste verò examinando cum tortura, tunc exceptio contra ipsum opposita impedit examen, extendendo ad exceptionem Excommuni- 73
cationis, seu publici & manifesti criminis, vel quando periculum esset quòd Testes reprobatorij non reperirentur in fine litis; putà, quia Senes, infirmi, vel diù abfuturi: ac tandem generaliter con- 74
clude, quod sit in arbitrio Iudicis, reseruare, nécne, in fine litis, exceptiones contra Testes oppositas in fine litis discutiendas: quod si aliquis velit tale arbitrium impedire, necesse erit appellare: vsque ad *n.* 367.

EX QVÆST. LXII.
Limitationes diuersæ.

ARGVMENTVM.

De Testibus inhabilibus admittendis in pluribus aliis casibus.

LIMITA XVI. in personis honestæ vitæ, & famæ, in quibus inha- 75
bilitas

75 bilitas affectionis ſuppletur per maximam eorum honeſtatem. Extende in Notoriis, in quibus Inhabiles admittuntur: in crimine Blaſphemiæ, in quo repulſa non datur: & in Teſtibus inhabilibus de Iure
76 *poſitiuo*, qui admittuntur. Non enim ſufficit contra Teſtes excipere, quod ſint inhabiles in genere, niſi etiam inhabilitatis ſpecies deducatur: & talis oppoſitio fieri debet in tempore productionis eorum, vel etiam poſt, dummodo ante pu-
77 blicationem; licèt quandóque etiam poſt ſententiam, & in ſecunda inſtantia concedatur. In Criminalibus verò, inhabilitas purgatur per torturam: & quamuis multi voluerint hoc etiam fieri poſſe in Ciuilibus; id non practicatur: vſque ad *num.*379.

EX QVÆST. LXII.
Sublimitationes.

ARGVMENTVM.

De Teſtibus inhabilibus, non admittendis etiam in caſibus, in quibus aliàs admitterentur.

78 SVBLIMITA Primò, & generaliter omnes præcedentes Limitationes, vt tunc demum in caſibus illis expreſſis inhabiles admittantur, & probent; dummodò depoſuerint cum tortura, ſi inhabilitas proueniat ex defectu famæ, vel ſtatus; ſecus ſi ex alio reſpectu, quia tunc non eſſet neceſſaria; imò admitterentur, & probarent in caſibus aliàs à Iure permiſſis: vſque ad *n.*382.

Sublimita Secundò, quando inhabilitas Teſtis reſultaret ex pluribus defecti-
79 bus, tunc enim non admittitur, quamuis in caſu aliàs à Iure permiſſo; nedum ad probationem, ſed etiam nec ad indicium & præſumptionem, quia prorſus & omnino repellitur, plures enim defectus habilitatem deſtruunt, & per torturam non reparantur, etiam ſtante Statuto Teſtes inhabiles admittente: vſque ad *n.*383.

Sublimita Tertiò, quòd etiam in caſu,
80 quo Teſtes inhabiles admittuntur, non ſint integræ fidei, & propterea tantùm faciant qualemqualem probationem, tantùm ſufficientem ad torquendum: Sed ſi ſint plures quàm duo, & veriſimilia deponant, in caſu aliàs à Iure permiſſo, certum eſt, quod plenè probant: hoc ſanè intellecto, dummodò deponant ſuper principali delicto: vſque ad *n.*387.

EX QVÆST. LXIII.
Cap. I.

ARGVMENTVM.

De Teſte vnico, an, & quibus caſibus faciat plenam, aut ſemiplenam probationem.

OPPONITVR Decimo-ſextò, quòd Teſtis ſit *vnicus*; & propterea non probet; ex Regula, *Dictum vnius, dictum nullius*: tàm de iure Ciuili, quàm Canonico; quamuis Teſtis ſit in Senatoria, & Præſidiali dignitate; quinimò quamuis ſit *digniſsimus*: Eóque minus in Criminalibus; in tantùm vt nec ex Conſtitutione, Statuto, Conſuetudine, & quod magis eſt nec à Principe, nec à Papa poſſit fieri, vt Teſtis vnicus plenè probet, niſi quando non agatur de præiudicio Tertij, & in aliquibus caſibus ſingularibus, ex eius *certa ſcientia*. Extendendo concluſionem, quamuis ageretur coram Iudice, liberum, & abſolutum arbitrium habente, etiam ad fauorem piæ Cauſæ, vel etiam ſi eſſet iſte Teſtis Epiſcopus. Probat tamen vnicus Teſtis de
3 conſenſu Partium, dummodò conſentiant in perſonam, & dictum; vel in certam perſonam, & certum nominatum negotium; ſed adhuc non eſt prohibitum contrarium probare. Reſtringitur etiam propoſita Regula, quando non agitur de
4 alicuius præiudicio, putà, quod quis ſit Clericus, Doctor, Baptizatus; quod Eccleſia ſit conſecreta; & ſimilia. Sed quoad Clericatum, diſtingue, aut ſumus in extraiudicialibus, & probat; aut ſumus in iudicialibus, & tunc non admittitur: vſque ad *n.*30.

Probat item vnicus Teſtis, quando ſumus in cauſis modicis, breuioribus, & quæ ſummariè expediuntur, ſeu in poſſeſſoriis, vbi de modico præiudicio agatur, prout eſſet in poſſeſſorio momentaneo, & præparatorio alterius iudicij, quod intentatur; non ad decidendum ſuper poſſeſſione, ſed ad præparandum aliud poſſeſſorium, ſeu petitorium; aliter ſecùs: & tamen iſto caſu debet eſſe idoneus, & omni exceptione maior. Probaret etiam, concurrentibus aliquibus præ-
5 ſumptio

sumptionibus, si versaremur in Ciuilibus; vel in probatione Confessionis Sacramentalis, & absolutionis ab Excommunicatione; vel quando ageretur de probatione actus, in quo impossibile, vel difficile esset alios Testes haberi. Et singulariter
6 Testator in suo Testamento potest mandare, vt in materia hæreditatis stetur dicto vnius particularis personæ: item in officiali Denunciatione, cui creditur in leuibus, & pariter vnico Officiali nuncio de citatione testificanti, plena fides adhibetur: vsque ad *n.*42.

Creditur etiam vnico Testi deponenti
7 ad defensam, dummodò probatio innocentiæ Rei non sit contraria probationibus fisci, & accusatoris, vt putà, fiscus probauit per duos Testes, quod Mæuius occidit, Mæuius autem probat quod occidit, sed prouocatus, & ad sui defensionem, tunc quia est compatibilis, admittitur: secus si per vnum Mæuius vellet probare non occidisse, quando fiscus per duos occidisse probauit: sed & isto casu videretur fisci probatio satis obnubilata, ita vt hæc contraria probatio ex vni-
8 co Teste proueniens, sufficeret saltèm ad euitandam pœnam ordinariam: vsque ad *num.*45.

Creditur tandem quando agitur de in-
9 terpretatione alicuius scripturæ: & hinc infertur ad Hebræos, quorum libri, vel scripturæ hebraicè conscriptæ, si producantur coram Iudice Christiano, hebraïcam linguam non intelligente, statur dicto vnius Iudæi interpretantis, si plures
10 haberi non possint. Item in probando læsionem Minoris, vel impedimentum Matrimonij contrahendi, seu verisimilem ignorantiæ causam. Et licèt vnicus Testis
11 non faciat plenam probationem, negari non potest, quin inducat præsumptionem, & transferat onus probandi in Aduersarium: vsque ad *n.*55.

EX QVÆST. LXIII. Cap. II.

ARGVMENTVM.

Vnius Cardinalis testimonio, an, & quando credendum sit.

CArdinali asserenti se Legatum; vel aliquid à Papa sibi com-
12 missum, creditur plenè, etiam quod litteras suæ commissionis, & Legationis non ostendat. Extende ad quemlibet alium Excelsum, notum, & probatum 13
Virum, nisi agatur de graui Tertij præiudicio, cùm nec isto casu Cardinali credatur. Amplia, Cardinalibus credi in omnibus iis, quæ sub generali commissione continentur, vel in iis, quæ exponit nomine Papæ committentis *viuæ vocis Oraculo*, etiam quod aliunde non do- 14
ceat de commissione: quinimò de Consuetudine, etiam in iis, quæ geruntur coram eis per Partes, necnon testificantibus de facto proprio, dummodò Papa sit præsens, vel de facili ad eum recurri possit: sed certè in reseruatis Summo Pontifici, Cardinali non est credendum 15
etiam extra Tertij præiudicium, nisi Papa esset præsens: vsque ad *n.*78.

EX QVÆST. LXIII. Cap. III.

ARGVMENTVM.

Principis assertioni, & testimonio; quando plenè credendum sit.

ASsertioni & testimonio Pontificis, siuè fiat in scriptis, & per li- 16
teras, siue solo verbo, plenè creditur. Extende ad Imperatorem, vel Regem, necnon ad quemlibet alium iura Imperialia, vel Regalia habentem, & de facto Superiorem non recognoscentem: Quinimò, & Principi inferiori, Superiorem recognoscenti, creditur in iis, quæ pendent ab eius Potestate. Eóque magis Pa- 17
pæ, ac Principi, asserenti de facto proprio: imò & partim de facto alieno, in iis etiam quæ Papa vidit ante Pontificatum: ex quo etiam super voluntate ipsius Antecessoris, & in narratione facti alieni coram se gesti: eóque fortiùs assertioni Principis factæ *motu proprio, & ex certa* 18
scientia: etiam quod agatur de præiudicio Tertij, nisi assertio fundaretur super Narratiua Partis, vel aliquo modo se à Parte informatum ostenderet: vsque ad *num.*106.

In antiquis verò indistinctè, quamuis 19
contineant factum alienum; multóque magis, quando Princeps aliquid assereret ex informatione habita à Viris dignis; plenè ei creditur ad sui ipsius interesse, secus ad alterius præiudicium. Extende, 20
vt Papæ credatur asserenti quem esse

suum

ſuum Capellanum, ſeu quomodocunque Officialem, ita vt mandatum probetur ex verbis narratiuis Papæ; præcipuè ſi loquatur diſpoſitiuè: & eò fortiùs omnino ſtatur tàm Papæ, quàm Principi, declarantibus eorum Gratias, ſeu Conceſſiones; ſiuè ſint conditionales: ſiue modales; & ſiue in iis quæ ſunt *facti*, ſiue in iis quæ ſunt *iuris*. 21

Statur etiam Papæ circa contractum à ſe celebratum, etiam in concurſu Notarij aliter ſtipulantis, in tantum vt nec admittatur probatio in contrarium: Quod etiam extenditur ad Principem, quamuis agatur de facto alieno; ſed licèt talis aſſertio non recipiat contrariam probationem directam, recipit tamen indirectam, eneruantem vires ipſius aſſertionis, & gratiæ, ſi caderet in ipſa confeſſione aſſerentis. 22

Provt aſſertioni Principis ſuper facto alieno, ſi contrarium ſit notorium, non ſtatur; ſed tamen transfert onus probandi in Aduerſarium: Sic & aſſertio Principis incidenter facta ſuper facto alieno, non principaliter, nullam inducit probationem: & licèt aſſertioni credatur ſuper facto enunciato, quod ſcilicet illud factum verum ſit, non tamen ei creditur quoad validitatem. 23 24 25

Hæc materia, Amice Lector, eſt meo indicio tàm in diſputando, quàm in iudicando valde periculoſa, cùm agatur de poteſtate Principis: quare ſtrictiùs ex ea ſuccum audiri nolui, cum credam ſemper in contingentia facti indiſtinctè Papæ & Principi credendum; &, dato dubio, ad eos recurrendum pro declaratione: ità ego facerem, & omnes ſani intellectus facturos non dubito. 26

EX QVÆST. LXIII. Cap. IV.

ARGVMENTVM.

Teſtis Vnicus deponens in facto proprio, an, & quando probet.

TESTIS de facto proprio deponens, multi dixerunt, quod plenè probet. Alij contrà. Author verò conſtituit Regulam Negatiuam, Teſtem vnicum ſcilicet de facto proprio deponentem, non plenè probare: 27

Ampliando multò magis in Criminalibus: Et eò fortiùs, ſi aliquod commodum ex ſua depoſitione ſperaret; vel ſi cum facto proprio adeſſet admixtum factum Partis: Quinimò, ſi talis Teſtis eſſet infamis, vel pateretur plures defectus, ac exceptiones; nec ſemiplenè probaret: Quæ enim dicuntur de Teſte in facto proprio, procedunt, ſiue deponat ſuper Affirmatiua, ſiue etiam ſuper Negatiua. 28 29

Bene verum eſt, quod plenè probaret, concurrentibus adminiculis ſeu præſumptionibus, Iudicis arbitrio conſiderandis; & ex dictis, iuramentum *ſuppletorium* deferendum dummodò non principaliter ageretur contra ipſum, & in conſequentiam contra alium. Sed licèt de facto proprio deponens, ſecundùm opinionem multorum pluſquàm ſemiplenè probet, hoc ſanè intelligendum, quando non ageretur de præiudicio alterius: Quinimò ſecundùm aliquos hoc caſu plenè probaret in ſubſidium, & vbi veritas aliter haberi non poſſet: Quare Officiali deponenti aliquid, quod ad ſuum Officium ſpectet, & ſic in facto proprio teſtificanti, plenè creditur, & plenè probat, ſi verſemur in leuibus, & dummodò non agatur de ſuo intereſſe, vel de ſe exonerando: vſque ad *n.* 231. 30 31 32 33

EX QVÆST. LXIII. Cap. V.

ARGVMENTVM.

Quando plures, quàm duo Teſtes requirantur in probatione cuiuſlibet actus.

REGVLA ſit, quod in qualibet cauſa, tàm ſpirituali, quàm profana, & ſiue Eccleſiaſtica, ſiue Laïcali, duo Teſtes ſufficiant ad perfectam probationem inducendam: Extendendo etiam in cauſa criminali, ita vt duo Teſtes nedum ſufficiant ad condemnandum Epiſcopum, ſed etiam Summum Pontificem, quando accuſaretur de hæreſi; ſecus, ſi de aliis delictis: Sed hæc eſt falſa Doctrina, & à Sancta Inquiſitione reprobata, ac deteſtata, cùm *Prima Sedes* à nemine iudicetur: vſque ad *n.* 239. 34 35

Quando

Quando autem ageretur de probando aliquid, quod haberet contra se Iuris præsumptionem, tunc plenior requireretur probatio; & ideò tunc vel tres requiruntur Testes, vel saltèm duo, qui sint præstantissimi Viri, & omni exceptione maiores. 36 Ad conuincendum verò Cardinalem, si Episcopus sit, Testes Septuaginta duo réquiruntur; si Præsbyter, Quadraginta quatuor; 37 si Diaconus Vrbis Romæ, Viginti septem; si Subdiaconus, seu in *minoribus* constitutus, Septem; extendendo etiam ad delicta commissa ante Cardinalatum, dummodò agatur de delicto, pro quo veniat pœna Degradationis imponenda; secùs, si de alia. In 39 probatione solutionis debiti, de quo appareat scriptura, Quinque Testes sunt 40 necessarij, & idem in probatione confessionis factæ solutionis: si autem debitum non sit in scriptis redactum per vnicum Testem illius solutio probatur. In qualibet vltima voluntate (excepto Testamento, in quo septem requiruntur) 41 quinque sunt necessarij, videlicet in Codicillis, & Donationibus causa mortis. In Depositio pecuniæ, seu alterius rei excedentis libram auri, Tres requiruntur Testes, 42 provt idem in confectione Inuentarij. In purgatione Episcopi, Duodecim requiruntur: in purgatione Presbyteri, 43 Septem: in purgatione Diaconi, Tres. In scriptura priuata, pariter tres. In interruptione præscriptionis, idem 44 numerus. In ventre inspiciendo, tres Obstetrices adhibentur. In diuortio, Septem. Et ex Statuto, vel Consuetudine, non potest induci, vt minor numerus 45 duorum, in aliquo actu, vel ad illius probationem requiratur. Cæterùm in aliis casibus hîc non expressis, in quibus plures 46 quàm duo requirantur, *Author* remissiuè loquitur ad quamplures DD. de simili ma- 47 teria tractantes: vsque ad *n. fin.* 261.

LAVS DEO.

SVCCVS

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII

PARS SEPTIMA.

E X

LIBRO SECVNDO, TITVLO SEPTIMO,

QVÆST. LXIV. DE OPPOSITIONIBVS CONTRA DICTA TESTIVM.

ARGVMENTVM.

De Testium singularitate.

1 PPONITVR Decimo-septimò, quod Testes sint in eorum dictis *singulares:* & quia, vt dicit *Author*, materia ista singularitatis Testium in summo, & vasto pelago versatur; vt ordinatim procedatur; Quæritur Primò quid sit Singularitas? Secundò, Quotuplex sit? Tertiò, Ex quibus inducatur? Quartò, Qui dicantur Singulares.

Incipiendo ergo à primo capite, 2 *Singularitas* est idem quod *Vnitas:* & triplex est, *Obstatiua* scilicet, *Adminiculatiua*, & *Diuersificatiua*, siue subalterna. *Obstatiua*, quæ in actu reïterabili, non tamen reïterato, 3 continet in se Testium contrarietatem, & in illis datur repugnantia. *Adminiculatiua*, quæ oritur ex Testibus, in quibus nulla adest repugnantia, vel contrarietas; & licèt per diuersa media, vel per diuersas coniecturas, aut propositiones loquantur, vna tamen alteri patrocinatur, alteram coadiuuat, & ad eumdem finem tendit. *Diuersificatiua*, quando Testes, deponendo de diuersis áctibus, inducunt diuersitatem in re, in effectu, & in substantia. *Singularitas* Testium inducitur per quatuor causas, scilicet efficientem, formalem, materialem, & finalem. Ratione causæ efficientis quando vnus dicit Petrum, alter Ioannem: & ista Singularitas inducitur ex decem Prædicamentis, quæ sunt, Substantia, Relatio, Quantitas, Qualitas, Agere, Maleficij, Habere, Vbi, Quando, 4 5 6 7

8 & Ibi siue Situs. Hæc decem Prædicamenta exemplificantur; scilicet singularitatem in prædicamento *Substantiæ* adesse, 9 quando vnus deponit de Titio, alter aduersatiuè de Seio. In prædicamento *Relationis*, quando vnus dicit Patrem, alter filium. In prædicamento *Quantitatis*, 10 quando vnus deponit de decem, alter de quinque. In prædicamento *Qualitatis*, quando vnus deponit de actu puro, alter 11 de actu conditionali. In prædicamento *Agere* quando vnus, quod ille fecit dicit, 12 alter quod voluit facere. In prædicamento *Maleficij*, quando vnus dicit quem occisum cum Ronca, alter cum ense. In prædicamento *Habere*, quando 13 vnus dicit, ille possidet vt Dominus, alter vt Creditor. In prædicamento *Vbi*, 14 quando vnus dicit in ostio, alter propè ostium. In prædicamento *Quando*, si vnus dicat ante bellum, alter post, siue in bello. In prædicamento *Ibi*, siue *Situs*, 15 quando vnus dicit in vno territorio, alter in alio.

Qui verò dicantur Testes singulares? dicas, Primò illos esse, qui in suis depositionibus 16 simul iungi non possunt. Secundò, Quando diuersimodè deponunt, non respectu sensus recipiendi id, super quo deponunt, sed respectu subiecti, vel obiecti. Tertiò, Qui in sua depositione Contestem non habet. Quartò, Quando eorum dicta ex factorum diuersitate separationem recipiunt. Quintò, Quando ex eorum dictis probatio redditur dubia, habétque se ad esse, & non esse. Quibus præmissis vsque ad *n.* 33.

Regula constituitur, quod Testes *singulares* non probant; etiam quod numero plures sint: 17 quinimò si fuissent mille, dummodo singulares singularitate *obstatiua*; secus si *diuersificatiua*: imò etiam in singularitate diuersificatiua, quando inter eos esset tanta diuersitas, vt contrarietatis imaginem in se haberent: Et ex istis Testibus singularibus singularitate *obstatiua*, nec potest deferri iuramentum 18 suppletorium; licèt in *diuersificatiua*, arbitrio Iudicis remittatur vtrùm sit deferendum, nécne. Generaliter verò, non solùm non probant Testes singulares singularitate *obstatiua*, & hoc non habet 19 contradictorem; verùm & singularitate *diuersificatiua* (quamuis Alij contrà) tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus, vbi nec faciunt indicium ad Torturam. Quamuis pariter Alij contrà. Et nedum qui sunt Singulares, verùm etiam 20 & qui possunt esse Singulares, etiamsi agatur de causa decidenda de bono & æquo, seu in fauorem piæ Causæ. Imò Testes singulares, quorum vnus deponit de vno Miraculo, alter de alio; non dicuntur probare Miracula. Et non solùm dicuntur Singulares quando discordant in facto, & in substantia, sed etiam 21 si discordent in verbis, vbi agitur de formalitate verborum; nisi tamen agatur de probando aliquam propositionem hæreticalem, quia tunc non est necesse, vt Testes concordent in formalitate verbo- 22 rum, vel nisi etiam ageretur de facto antiquo plurium annorum, in quo non est verisimile, Testes de præcisis verbis 23 memoriam retinuisse. Testes verò discordantes, loco, aut tempore, & sic in prædicamentis *Vbi*, & *Quando*, nihil 24 probant: & hinc Testes, quorum vnus dicat quid factum de die, alter verò de nocte, Singulares reputantur: verùm si duo Testes, vnus deponat de certo actu, 25 adiectis certa die, loco, & tempore; alius verò deponat de eodem actu, non tamen recordetur de tempore, & loco, ij sunt Conteſtes non singulares, & probant; nisi locus, & tempus sint de substantia actus, & dummodò vnus Testis 26 alterum in Contestem vocet; sed hoc nec etiam est necesse, quando locus, & tempus non sunt de substantia actus, nisi inducatur diuersitas facti. Sic non dicuntur Singulares, quando agitur de probatione alicuius loci generalis, vel quando 27 diuersitas in loco & tempore esset talis, vt dictum vnius Testis comprehenderetur sub dicto alterius, vel quando dubitatiuè deponerent, vel essent in modico tempore, aut versaremur in actu reiterabili, continuato, & successiuo: & hinc probant Testes deponentes se per foramen, vnum post 28 alium, vidisse adulterium, copulam carnalem, vel alium actum. Sed quid, si nullo modo de tempore, aut loco deponant? variæ sunt opiniones, sed pro resolutione fa- 29 cias infra scriptas Conclusiones.

Prima sit, quod quando tempus, & locus, non sunt de substantia negotij, tunc Testes probant non deponentes, vel non 30 recordati de loco, & tempore. E contrà quando locus, & tempus sunt de necessitate actus, de illis non deponendo, nullam probationem inducunt.

Secunda, quando tempus est antiquum, in quo verisimilibus est obliuio,

tunc

31 tunc admittuntur Testes de tempore non deponentes, vel de eo non recordantes: secus si tempus sit breue, in quo obliuio non præsumatur. Quando verò Testes de loco, & tempore interrogantur, tunc tenentur de eo deponere, & non deponendo, nihil omninò probant, si tempus sit breue, & inuerisimilis obliuio.

Tertia, quod quando constat aliunde
32 de loco, & tempore; vt putà per confessionem Partis: tunc etiam, quòd locus, & tempus sint de substantia actus, adhuc tamen probant de eo non deponentes; sed si Testes sint plures, & omnes dicant se de loco, & tempore non recordari, vbi inuerisimilis est obliuio, redduntur suspecti, & nihil probant.

Quarta, quod in Criminalibus Testes
33 debeant deponere de loco, & tempore: & vbi sic deponere debent, non necessè quod deponant de tempore præciso, sed sufficit tantùm deponere dubitatiuè, nisi tempus, vel momentum sit de substantia; vsque ad *n.* 112.

Redeundo ad Regulam principaliter
34 firmatam, quod scilicet Testes singulares non probent: *Limita*, hoc non procedere in singularitate *Adminiculatiua*, in qua admittuntur, sed non ad plenam probationem inducendam: coniunguntur enim; vt putà, vnus deponit de veri-
35 tate facti, scilicet de numeratione pecuniæ, vel alio contractu; alter verò de confessione eiusdem contractus: isti Testes, licèt diuersi, & singulares, probant; quia vnus alteri non aduersatur. Ex quo
36 generalem firma conclusionem, vt in nulla materia Testes dicantur singulares, vbi concluſiuè vnus dicat idem, quod alter. Imò Amplia, vt procedat in vno Teste
37 deponente de veritate facti, iuncta scriptura priuata; nam & ex hoc inducitur plena debiti probatio: eóque magis con-
38 iunguntur, & probant, quando vnus Testis deponat de veritate facti, alter de confessione, & Tertius de fama. In Cri-
39 minalibus etiam vnus Testis deponens immediatè de delicto, coniungitur cum alio deponente de confessione Rei: sed
40 si agatur ad pœnam sanguinis, duæ semiplenæ probationes non coniunguntur ad vnicam formandam semiplenam probationem.

Quando autem vnus Testis deponit
41 immediatè de contractu, vt putà mutuo, & numeratione, tunc coniungitur cum alio Teste deponente de confessione; secus, si de sola promissione deponeret, quia tunc videtur deponere de ipso facto speciali-

ter: sed etiam hoc casu semiplenè probat. Idem quando cum Teste depo- 42
nente de veritate facti, alius Testis, quamuis vnicus, deponat de confessione extraiudiciali, Parte præsente; ambo enim simul iuncti, plenè probant; secus si Testis deponeret de confessione facta, Parte ab- 43
sente. Verùm si de tali confessione adessent duo Testes in terminis propositis, iuncto Teste de veritate facti, plenè probarent. Alij dicunt, quod vnus Testis de ve- 44
ritate facti, iunctus deponenti de confessione extraiudiciali, non plenè probet, sed faciat tantùm pluſquam semiplenam probationem, ex qua deferatur Iuramentum in supplementum: vsque ad *n.* 131.

In pluribus Testibus, quorum vnus deponat de vna confessione Partis, alter verò 45
de altera, diuerso tamen loco; isti, quamuis singulares, iunguntur, & benè probant, dummodò confessiones fuerint factæ Parte præsente; sed non probant debitum, nisi semiplenè, quamuis confessionem probent plenè: sed si cum vno Teste depo- 46
nente de confessione facta Parte præsente, essent plures Testes deponentes de cõfessione facta absente Parte, resultarẽt duæ semiplenæ probationes, quæ plenam probationem inducerent. In Criminalibus verò, si Testes deponant de diuersis con- 47
fessionibus Rei, non coniunguntur, nec faciunt indicium, si testẽtur de diuerso tempore. Et licèt Testes singulares, quorum 48
dicta ad eumdem finem non tendunt, nullam faciant fidem; secus est è contrà: Quapropter Testes discordantes in verbis, in circumstantiis, in redditione rationis, vel in modo narrandi, si tamen concordent in substantiam, & sic tendant ad eumdem finem, probant pluſquam semiplenè. Generaliter enim quando agitur de proban- 49
do quid in genere, Testes singulares, nisi sint singulares singularitate *obstatiua*, vel agatur de probatione certi actus certo tempore facti, probant; quãdo scilicet speciales actus, super quibus deponunt, inferant ad genus: hoc in Ciuilibus, non tamẽ in Criminalibus, in quibus nec faciunt indicium ad torturam. Probatur per Testes 50
singulares vna origo, & vna causa, proueniens ex pluribus actibus, siue vnum totũ, licèt de diuersis partibus deponant; si de partibus fuerit expresè capitulatum: & dummodò singulæ partes sint perfectè probatæ, & sint indiuiduæ; secùs si diuiduæ: vsque ad *n.* 164.

Testes singulares deponẽtes de diuersis
actibus possessoriis, coniunguntur ad plenè 51
probandam possessionẽ, dũmodo deponãt

de actibus sui naturâ, & immediatè professoriis ; & dummodò agatur de probanda possessione in genere, non limita-
52 ta certo tempore : vnde secus, si de probando in speciem, in qua necessaria est loci, & temporis probatio ; vt putà, ad effectum inducendi præscriptionem, in qua Testis singularis, deponens de continuatione possessionis, admittitur ; & in huiusmodi facti specie, ratione plurium solutionum factarum per decem an-
53 nos, admittuntur Testes de diuersis solutionibus, à diuersis personis, diuersis loco & tempore factis deponentes, & sic etiam ad probandum ius exigendi : quamuis Alij contrà ; vsque ad *n* 182.

In probatione Iurisdictionis, licèt Te-
54 stes singulares admittantur, non tamen per eos probantur certi actus Iurisdictionis in specie : nec reciperentur, quando ageretur, non de illius proprietate, sed de eius possessione, vel quasi ; quamuis non arceantur, si actus diuersi, super quibus deponunt, inferant ad eandem speciem Iurisdictionis ; secus, si ad diuersam : Et iterùm secus, quando agatur de probanda vna specie Iurisdictionis per diuersos actus diuersam speciem inferentes : vsque ad *num.* 190.

In probatione Consuetudinis, si fuerint articulati & capitulati certi actus Consue-
55 tudinem inferentes ; tunc Testes singulares, quorum vnus deponat de vno actu, alter verò de alio ; non probant : si verò sit articulata Consuetudo in genere, vel actuũ frequentia, tunc deponentes de pluribus actibus frequentiam inferentes, bene pro-
56 bant Consuetudinem. Idem in probatione solutionis Decimarum, & quasi possessionis iuris Decimandi : vsque ad *n.* 195

In probatione Vsurarum, Testes deponentes de diuersis vsuris, factis diuersis lo-
57 co & tempore, bene probant Vsuram in genere, secus vsuram in specie : & hoc in Ciuilibus : secus in Criminalibus ; vsque ad *num.* 201.

In probatione hæresis, quidquid multi
58 dicant, & distinguant, *Author* noster profitetur, quod si Testes concordent in loco, & tempore, in propositione hæreticali, & in illius substantia, licèt discordent in verbis, optimè probant : si verò discordent in loco, tempore, & propositione hæreticali, tunc non probent quoad pœnam ordinariam infligendam : vsque ad *num.* 220.

Crimen læsæ-Maiestatis, Conspiratio-
59 nis, & Rebellionis, probatur per Testes singulares deponentes de diuersis actibus & tractatibus, diuersis Loco & tempore factis, quando huiusmodi Crimen fuit cõmissum per diuersos actus, & tractatus. Vbi verò agitur de probando inhonestam, 60
& meretriciam vitam, Adulterium, Stuprum, Sodomiam, aut quid simile, vel mores, aut qualitates alicuius personæ, Testes singulares probant in genere, non autem in specie : quia licèt probent Adulterium, & Stuprum in genere, non tamen probant certum Adulterium, & certum Stuprum ; Licèt benè probent de diuersis actibus deponentes, quando super quolibet actu remanent duo Testes, & plena probatio, seu quando agitur Ciuiliter ad priuationem dotis, vel ad irrogandum infamiam vt ex ea Testi fides minuatur ; secus si agatur criminaliter, & ad puniendum : vsque ad *num.* 230.

Testes singulares, quorum vnus deponat de maiori summa, quantitate, & numero ; alter verò de minori ; regulariter 61
concordantur, & probant. Idem in Testibus deponentibus de tempore, quorum 62
vnus deponat de possessione triginta annorum, alter de viginti, alter de decem : probant enim de minori tempore, dummodo deponant per verbum *Citra* : quia non probarent si essent discordes in initio possessionis, quia tunc implicarent contradictionem : vsque ad *n* 240.

Quando Testes essent singulares in 63
prædicamento *Quantitatis*, quia vnus dicit fuisse venditam totam terram, alter verò medietatem, tunc non probant in medietate. Probarent tamen, quando deponerent super iis, quæ solo iudicio & discursu intellectus percipiuntur ; 64
scilicet, quando agitur de æstimandis damnis, & interesse, pretio, seu valore Rei, secus, si deponerent super iis, quæ sensu corporeo percipiuntur. Non 65
sufficeret enim indistinctè vnus Testis deponens de minori summa, quando ageretur de probando quid relictum in testamento ; quia licèt discordes in summis, probent de minori ; hoc intelligitur quando constat, eos deponere de eodem actu, & negotio ; secus, si habeant in se contrarietatem : verùm, si ex pluribus Testibus examinatis adsint duo, vel plures Contestes, qui concordent in maiori summa, licèt vnus deponat de minori, iste vnicus non attenditur. Et in proposito, nota hodie 66
practicam fundatam in Iure, quod quando plures Testes singuli deponunt de diuersis summis, fit cumulatio omnium summarum, & ex illis capitur tertia pars, si Testes

sic

sic se diuersis summis deponentes, sint tres; si verò fuerint quatuor, capitur quarta pars; & sic de singulis. Verùm si loquerentur per dictionem *taxatiuam*, tunc non concordarentur in minori, nisi discordia esset in modica quantitate: vsque ad *num.*254.

Ad probandum infamiam *facti*, vitam
67 hominis, scientiam, furorem in genere, & consanguinitatem, nisi ageretur ad effectum impediendi Matrimonium, recipiuntur Testes singulares, dummodò in singulo gradu adsint duo Testes. Item ad
68 probandam ætatem, filiationem, quasi possessionem, simulationem, dolum, Simoniam, metus illationem, minas, concussionem, sæuitiam, verba diffamatoria, additionem hæreditatis admittuntur
69 Testes singulares. Sic & probant, quando agitur de probando quem Sacerdotem, etiam quod vnus deponat vidisse illum cantare Missam vna die, alius verò
70 altera die. Probant quoque Irregularitatem, quamuis singuli deponant de imperfecto celebrationis actu. Probant etiam quem Blasphematorem, non autem consuetudinem blasphemandi. Singulares
71 etiam admittuntur ad probandum animum, & voluntatem alicuius, litem, societatem, habitationem, malam fidem, barattariam, ac illa, quæ sunt difficilis probationis, vbi agitur de modico præiudicio in foro pœnitentiali. Nec Singu-
72 laritas nocet, quando supersint alij Contestes, vel iunctis adminiculis, etiam in Criminalibus, quoad pœnam extraordinariam: vsque ad *n.*304.

Si verò Testes *singulares*, sint Nobiles,
73 probatæ fidei, & verisimilia deponant, tunc benè probant, & potest illis Iudex fidem adhibere; nisi versentur in singularitate *obstatiua*: quia in *diuersificatiua* defertur Iuramentum in supplementum, quando agitur de probando quid in genere, & non agatur de Tertij præiudicio: ac
74 in ista singularitate *diuersificatiua*, arbitrio Iudicis relinquitur vtrùm credere velit ex aliqua iusta causa: intelligendo semper, quod faciant indicium, & præsumptionem.

In dubio verò *Singulares* non præsu-
75 muntur, quando agitur de actibus, in quibus pluralitas non præsumitur, non enim diuersitas in loco, & tempore, facit semper præsumere Testes singulares; sed tunc demum, quando locus, & tempus, sunt de
76 substantia actus: Et ad hoc, vt Testes dicantur Contestes, & non Singulares, facienda est omnis interpretatio, sed absque vlla verborum suppletione: vsque ad *num.*323.

EX QVÆST. LXV.
Pars I.

ARGVMENTVM.

De pluribus Testibus inter se contrariis, an probent, & quando.

PONITVR XVIII. quòd vnus Testis alteri *contradicat*: In qua 1
oppositione Regula firmatur, quod Testes plures inter se contrarij nihil probent, etiã si sint mille, quinimò vti falsi puniantur si sibi inuicem contradicentes, sint hinc inde pares, & vna probatio præponderet alteri, si præponderatio sit in numero Testium, 2
secùs si in dignitate; data enim paritate Testium, licèt digniores vincant minùs dignos quoad fidem, nõ tamen sic est quoad punitionem: & licèt data paritate Testium contrariorum non possit tractari de puni- 3
tione, potest tamen tractari de inquisitione, & carceratione, quia hac data contrarietate, datur materia inquirendi.

Regula verò non procedit, quando vnus Testis deponat plus altero; isti enim adhuc 4
probant, etiam tenorem Testamenti, nisi loquerentur taxatiuè: quando verò sint discordes in substantialibus, vtique non probant: & in substantialibus dicitur dis- 5
cordia, quando ista respicit articulata, & probata: sic & fides non tollitur, si essent concordes in substantia negotij, discorda- 6
rent tamen in qualitatibus, circumstantiis, vel accessoriis remotis, extrinsecis, impertinentibus, & non substantialibus, secùs si circumstantiæ essent maximè substantiales, & negotij substantiam respicerent. Nec etiam procedit, quando concordan- 7
tes in substantia negotij discordarent deponendo per diuersa verba: quinimò deponendo per eadem verba, præsumerentur subornati, nisi essent bonæ famæ: & vtrùm reputandi sint suspecti, nécne, remittitur arbitrio Iudicis. Probant insuper si sint dis- 8
cordes in narrãdo factum quoad modum, non quoad substantiam, vel si reddant diuersas causas, & rationes scientiæ, concordando tamen ad eundem finem. Et tunc demum non probant Testes contra- 9
rij, quando contrarietas est magna; secùs, si modica. Alij contrà: vsque ad *n.*36.

EX QVÆST. LXV.
Pars II.

ARGVMENTVM.

De Testium contrariorum concordia Communia.

REGVLA sit, quod omnis interpretatio facienda est in depositionibus Testium, vt inter illos contrarietas euitetur, ac omnibus modis sunt concordandi, etiam per multiplicationem actuũ, & sic præsumendo pluralitatem actuum, quando agatur de actu iterabili, & iterato, in quo multiplicatio possit considerari, & 11 pluralitas præsumi. Dicitur autem agi de vnico actu, vel quando hoc constat ex identitate temporis, vel ex confessione Partis, quod scilicet Testes voluerint intelligere de vnico, & eodem actu; sed tunc tantùm concordantur ad falsitatem euitandam, non autem, vt probent. Et 12 licèt Testes ad hoc concordentur, etiam per improprietatem verborum quamuis fingendo, & sint concordandi quamuis cum aliqua difficultate, hæc tamen con- 13 cordia est facienda ad euitandam falsitatem per interpretationem suppletiuam per subauditos intellectus, per temporum distinctionem, per principium, & finem, per repetitionem sermonis, ac omnibus illis modis, quibus *Leges* concordantur. Quinimò etiam quòd plures Testes pluribus contradicant, quando hinc inde est par numerus, quando probatio est æqualis; & etiam quando est inæqualis, quia scilicet plures contradicant paucioribus; adhuc omnis benignior interpretatio fieri debet eorum dicta non cauillando, sed 14 coadiuuando, ita vt in dubio non præsumantur contrarij, sed concordes, & conteſtes: generaliter tamen intelligendo, quoad euitandam falsitatem. Et licèt Alij contra; Prima opinio est verior de Iure Ciuili, secus de Iure Canonico; & procedit in contrarietate manifesta, patente, & apparente, quia tunc non inducunt 15 probationem; secus autem, si dicta Testium sint ambigua, & patiantur plures intellectus iuridicos, quia tunc fit inter eos conciliatio, etiam ad effectum vt probent, prout est, quando contrarietas consistit in extrinsecis, & non substantialibus; 16 vel quando aliter probari non possit; seu quando concordia fiat vel per benignio-rem intellectum, vel per id quod frequentius contingit; vel quando ex Testibus contrariis adsunt duo Conteſtes, & sic remanet integra probatio, & tandem operatur hæc plena probatio, quod concordia fiat per intellectam repetitionem 17 eius, quod primò Testis dixerat: quinimò secundum Canonistas, etiam quando concordia fiat per multiplicationem actus: vsque ad *n.* 90.

Et licèt Testium contrariorum dicta omnibus modis sint interpretanda, talis 18 tamen interpretatio debet esse probabilis, congrua, & consona veritati; quæ talis dicitur, si non sit extranea; & extranea dicitur, quæ non benè auribus Vulgi consonat, vel quando non seruatur ratio recti sermonis. Et licèt, inquam, omnis 19 possibilis interpretatio fieri debeat, ista tamen possibilitas debet esse verisimilis; si enim contrarietas esset clara, & manifesta, non admitteretur concordia. Sed 20 ad hoc, vt euitetur falsum, concordia fit in Testibus ab vtraque parte examinati, & ab vtraque Parte producti. Sed quanquam admittatur concordia, quando vnus 21 Testis alteri contradicat, vel plures pluribus, non tamen admittitur quando contrarietas est inter Testes, & Partem: scilicet, quando contradicitur confessioni Partis; hoc enim casu nihil probant tanquam falsi, quia magis statur Partium 22 confessioni, quàm Testium depositioni; nisi tamen confessio Partis esset ipsi Parti fauorabilis, quia tunc Testes ab eadem Parte producti, & contrarium probantes, quamuis non concilientur cum tali confessione, attamen potiùs attenditur illorum probatio, quàm istius confessio. Idem, 23 quando Pars allegaret errorem suæ confessionis; quia tunc, si Testes desuper examinati contradicant confessioni, eorum depositio magis attenditur, quàm confessio. Ratio est, quia confessio potest vsque ad sententiam reuocari. Et hæc est 24 Declaratio verissima. Et in proposito, si verba Testis sint ambigua, & aliquo mo- 25 do concordabilia cum dicto Partis, tunc concordantur, nec falsi reputantur. In Criminalibus verò, concordia nunquam 26 admittitur ad inducendam probationem contra Reum, licèt secùs ad effectum euitandi periurium: & sic relatis contrariis *Author* firmat, vsque ad *n.* 106.

EX QVÆST. LXV.
Pars III.

ARGVMENTVM.

Testibus hinc inde contrarijs, & inter se contradicentibus, quibus magis credendum sit.

27 IN proposita quæstionis parte Prima Regula sit, quod si Testes hinc inde sint contrarij, plures numero vincant pauciores, magisque standum sit pluribus, quàm paucioribus.

28 Limita Regulam Primò, quando Testes pauciores essent digniores. Secundò, Quando pauciores deponerent verisimiliora. Tertiò, Quando essent magis informati. Quartò, Quando pauciores deponerent in specie, plures verò in genere. Quintò, Quando pauciores deponerent pro Reo, plures contra Reum. Sextò, Quando pauciores deponerent super Affirmatiua: vsque ad *n.* 114.

29 Secunda sit Regula, quod Testibus dignioribus magis credatur, quàm minùs dignis: idem de Nobilioribus, Ditionibus, Doctoribus, quamuis contrarij sint numero plures.

Sed hæc Regula non procedit, nisi dignitas præfulgeat notabilis; vel nisi quando minus digni excederent digniores in modico numero, secus si in excessu, & excessus dicitur vltra duplum; vel tandem, nisi minus digni deponerent ad fauorem Rei, seu verisimiliora: vsque ad *n.* 128.

30 Tertia Regula sit, quod Testibus deponentibus verisimiliora magis credatur, quàm deponentibus inuerisimilia; & magis adminiculatis, quàm non adminiculatis; sed vtroque casu arbitrio Iudicis remittitur: ac dummodò isti minùs digni deponant de verisimilitudine proxima & immediata, aliter secus. Sed hæc non procedunt in Criminalibus, in quibus inhabiles nunquam sufficiunt ad condemnandum: vsque ad *n.* 150.

31 Quarta sit Regula, quod Testibus, quorum depositiones Iure communi magis consonant, magis credatur. Ratio est, quia illud, quòd magis Iuri communi conforme est, dicitur etiam ab eodem Iure magis verisimile: & hoc procedit in deponentibus tàm pro Reo, quàm pro Actore: vsque ad *n.* 152.

32 Quinta, quòd Testibus ad fauorem Rei deponentibus magis credatur, quàm deponentibus ad fauorem Actoris: ideò data paritate Testium hinc inde contradicentium, siue in Ciuilibus, siue etiam in Criminalibus, absoluendus est; etiam quòd ad Rei defensionem deponentes, excludendo delictum negarent; siue sint Laïci, siue Clerici. Quòd tamen intellige in Criminalibus, secus in Ciuilibus. Extende, quamuis pro Reo sint pauciores, sed in modico excessu. Data paritate numeri Testium, præferuntur deponentes ad fauorem Rei, quamuis sint Laïci, testes verò ab Actore producti, sint Clerici. 33

Non procederet Regula, quando Actor causam fauorabilem tueretur; vt putà, Matrimonij, Dotis, Testamenti. Et in quolibet casu, Iudicis arbitrio defertur, quibus sit magis credendum, dummodò causam in Actis exprimat; vt si Testes Actoris deponant verisimiliora, illos præferre possit; vsque ad *n.* 165. 34

Sexta, quòd Testibus meliùs informatis magis credatur: & ideo Testibus plenè totum factum narrantibus magis creditur, quàm non narrantibus totum factum; quapropter Vicinis, & Coniunctis magis creditur quàm aliis. Sed si Testis sciens totum factum, & de eo interrogatus nollet deponere, nisi partem, dolosè tacendo totum, vel omitteret recensere totum in substantialibus, falsus reputaretur: vsque ad *n.* 170. 35

Septima, Testibus in specie deponentibus magis creditur, quàm deponentibus in genere: & ideo magis deponentibus vniuersaliter, quàm deponentibus indiffinitè: vsque ad *n.* 172. 36

Octaua, quòd Testibus deponentibus cum ratione, & redditione causæ, magis creditur, quàm deponentibus sine: & pariter magis reddentibus bonam rationem, quàm non ita bonam reddentibus: eóque magis reddentibus, quàm contrariis non reddentibus, quamuis isti contrarij deponerent super *Affirmatiua*, & reddentes rationem super *Negatiua*: vsque ad *n.* 175. 37

Nona, quòd magis credatur Testibus Senioribus, & Antiquioribus, quàm Iunioribus, nisi isti essent digniores, quia tunc præferrentur Senioribus, etiam in terminis Statuti requirentis in contractibus Mulierum, seu Minorum, consensum Agnatorum: in tali enim consensu præstando, magis creditur Iunioribus Agnatis, quàm Dignioribus: vsque ad *num.* 177. 38

Decima, magis creditur Testibus Clericis, quàm Laïcis; nisi tamen Laïci 39

deponerent ad fauorem Rei, Clerici autem ad fauorem Actoris; quia tunc magis creditur Laïcis, etiam quòd deponant super *Negatiua*: vsque ad *num.* 179.

Vndecima, magis creditur Testibus
40 masculis, quàm fœminis: & si Testes omnes sint fœminæ, magis Virginibus, quàm Viduis: sed si fœminæ deponerent pro Reo, præferrentur masculis pro Actore testantibus: ac singulariter fœminis magis crederetur, etiam in concursu masculorum, si fœminæ essent bonæ famæ, masculi verò prauæ: vsque ad *n.* 183.

Duodecima, magis creditur Testi-
41 bus Notariis, quàm non Notariis: etiam quòd Tabelliones essent pro Actore, cæteri verò pro Reo. Quinimò dictum vnius Notarij, æquiparatur dicto duorum aliorum Testium, ac nemo quantumcunque idoneus Testis æquiparatur Notario, quamuis agatur de fauore piæ Causæ: vsque ad *n.* 186.

Decima-tertia, magis creditur Te-
42 stibus peritis, quàm non peritis; etiam quòd periti deponant super *Negatiua*, & non periti super *Affirmatiua*: ideóque Testibus peritis deponentibus super imperitia Artis, ità creditur, vt imperitis deponentibus super peritia fidem tollant: vsque ad *n.* 188.

Decima-quarta, magis creditur de-
43 ponentibus pro causa fauorabili, quàm deponentibus contra: etiam quòd Testes pro causa fauorabili *negarent*, & contrarij *affirmarent*: vsq; ad *n.* 190.

Decima-quinta, Testibus mortuis
44 magis creditur, quàm viuis; quia mors supplet iuramentum, & citationem: vsque ad *n.* 191.

Decima-sexta, Testi distinguenti
45 magis creditur, quàm non distinguenti: & ideò Doctori distinguenti maior fides adhibetur, quàm concluſiuè loquenti: *n.* 192.

Decima-septima, Testes illi præfe-
46 runtur, quorum persona producentis honestior, & dignior est: *n.* 193.

Decima-octaua, quando Testes inter se sunt varij, & contrarij, potest
47 Iudex vni potiùs, quàm alteri, vel ratione dignitatis, vel aliqua alia de causa credere: & isto casu, Testium fides ipsius arbitrio remissa est: quapropter, quando duo petunt ab aliquo Tertio aliquam rem, tunc data inter istos pàritate probationum, potest Iudex vni potiùs, quàm alteri adhærere, dummodò in Actis exprimat causam, propter quam adhæret, sufficientem, & rationabilem: vsque ad *num.* 200.

Decima-nona, quod Testibus *affir-* 48
mantibus magis creditur, quàm *negantibus*; etiam quòd negantes sint numero plures: quia plus creditur duobus affirmantibus, quàm mille negantibus: & quamuis *affirmantes* sint Laïci, *negantes* Clerici, nisi negantes deponerent ad fauorem Rei: quinimò ex depositione super *Negatiua* oritur suspicio falsi, & qua potest infligi tortura, si *Negatiua* sit mera, & pura; secus si coarctata loco, & tempore. Quando 49
autem Testis deponat non super *Negatiua*, sed super *Affirmatiua*, & ex illa Affirmatiua resultet probatio Negatiua, tunc quando Negatiua veniat per medium Affirmatiuè, sine dubio Negatiuam probat, nec minus ei creditur, quàm Testi super simplici Affirmatiua deponenti; vt putà, quando Testis dicit, quod Titius possedit per annum, ex hac Titij possessione probatur Negatiua, quod Seius dicto tempore non procedit. Quinimò, data paritate numeri, & dignitatis inter Testes, magis creditur illis, qui deponunt super *Negatiua* coarctata loco, & tempore, quàm deponentibus super *Affirmatiua*; sed isto casu requiritur idoneitas Testis, & *Negatiua* debet 50
esse restricta ad tempus non breue, necnon remouere actum à sensu, non autem sensum ab actu; & ideò addere debet, nec poterat aliter esse, quin ipse Testis vidisset; secùs si simpliciter diceret, *non vidi*, aut quid simile. Id tamen non procedit, quando Te- 51
stis deponit super eo, quod verisimile est deponenti esse notum, tunc enim sufficeret simplex Testis negatio. Extende, quod Testes super ipsa *Negatiua* deponentes debeant reddere rationem etiam non interrogati; licèt, quando ex depositione verisimiliter colligeretur sufficiens ratio, tunc etiam ea non expressa, valeret depositio. Generaliter in Criminalibus magis 52
creditur *negantibus*, quàm *affirmantibus*, si deponant ad Rei defensionem; & tandem magis tunc creditur Testibus affirmantibus, quàm negantibus, si deponant super *Affirmatiua*, quæ sit Iuri consona, & conformis; secus è contra. Negantibus autem in facto 53
proprio magis creditur, quàm Affirmantibus.

mantibus : etiamsi deponant non super *Negatiua* coarctata loco, & tempore, & hinc Testibus peritis negantibus magis creditur, quàm affirmantibus ; sed Testibus affirmantibus magis crederetur quando Affirmatiua esset plenè probata ; & Negantibus magis, si deponerent verisimiliora, vel pro causa fauorabili : vsque ad *num.* 244.

EX QVÆST. LXV. Pars IV.

ARGVMENTVM.

De Testium contrariorum concordia. Specialia.

REGVLA prima, duo Testes, quorum vnus dicit quid factum fuisse
54 in domo, vel in Ostio ; alter iuxta domum, vel iuxta Ostium ; sunt contrarij, & non possunt concordari. Secunda, Vnus dicit quid factum fuisse in domo, alter verò in Porticu domus ; sunt contrarij, & singulares ; licèt si fuerit vnicus Testis, vtroque casu ad excludendam varietatem, facienda esset interpretatio. Tertia, Vnus dicit quòd sunt sex anni, quando talio dixit, vel fecit quid ; alter verò dicit septem ; concordantur, & probant de minori tempore. Quarta, Vnus dicit, Sempronium continuè, & semper possedisse ; alter verò dicit, eumdem Sempronium absentem per aliquod tempus, possunt concordari tribus modis. *Primò*, respectu recollectionis fructuum, qui singulis annis vna vice colliguntur, ideo qui singulis annis fructus collegit per dicem annos, dicitur continuatò possedisse, etiam quod in reliquo tempore fuerit absens. *Secundò*, quãdo Possessor haberet in loco possessionis suam familiam. *Tertiò*, quod continuò intelligatur de Ciuili possessione, nisi expresè appareret quod intellexisset de naturali. Quinta, Regula Vnus dicit, quod Titius semper possedit, alter quod Titius non semper possedit, concordantur triplici ratione. *Primò*, quia dictio, *Semper*, intelligitur pro *Ferè*, & sic pro maiori parte. *Secundò*, quia debet intelligi fuisse in aptitudine possidendi. *Tertiò*, si Testis dixisset, *quotidie*, vel *nunquam exiuit dies*, vel *sine intermissione*, vel *omnibus diebus*, vel *indesinenter* ; quia prædicta verba ciuiliter intelliguntur, scilicet pro maiori parte. Sexta, Regula ; Vnus dicit, Titium fuisse occisum à Seio cum ense, alter verò cum clauâ, multi dicunt homicidium probatum, quia isti Testes concurrunt in substantia probationis : Alij dicunt esse singulares, & non probare, quia deficiunt in prædicamento *Substantiæ* : & cum hac vltima opinione, si versetur in Criminalibus, transit *Autor*. Septima, Vnus dicit, Titium percussum à Seio cum armis punctim ; alter verò, quod fuit percussus cæsim ; isti in Criminalibus non probant, vbi agitur de pœna imponenda. Octaua, Vnus dicit, Titium fuisse percussum à Seio in fronte, alter eumdem Titium ab eodem Seio eadem die, Loco, & tempore fuisse percussum in manu ; concordantur : quia vnico ictu ista vulnera fieri potuerunt ; secùs, si vnus diceret in fronte, alter in ceruice : & tamen quoad falsitatem euitandam possent concordari, licèt non ad probandum. Nona, Vnus dicit ante bellum, alter tempore belli, concordantur ; quia illud tempus, *ante bellum*, intelligi debet *parùm ante bellum* : & idem in Teste, qui dicit aliquid factum tempore belli, alter post bellum. Decima, Vnus dicit quid factum ante bellum, alter post bellum, concordantur ; quia primus potest dicere *ante bellum finitum*, alter verò *post bellum cæptum* : sed tamen talis concordia tollit quidem falsitatem, non autem probat. Et licèt Alij contra ; ità sentit *Author*, & dicit, non recedendum. Vndecima, Vnus dicit, vidisse Titium sanum, alter verò eadem die infirmum, concordantur ; quia vtrumque esse potest. Decima-secunda, Vnus dicit quid factum præsente Titio, Titius negat se fuisse præsentem ; quidquid Alij contra, isti Testes non concordantur : imò qui dicit, Titium fuisse præsentem, redditur suspectus de falso : benè verum est, quod si Seius dixerit quid factum præsente Titio, Titius autem dicat, se nescire, non vidisse, nec audiuisse, tunc sine dubio fit concordia ; quia esse potest, quod Titius fuerit præsens, & nec viderit, nec audierit : & in hoc multum Iudicis arbitrio tribuitur. Decima-tertia, Vnus dicit, aliquid factum præsentibus tali, & tali, & quod nullus alius aderat ; alter verò dicit, quod multi alij aderant, concordantur ; quia primus Testis intelligi debet, quod nullus alius aderat quem ipse viderit. Et ex iis collige per te ipsum exempla similia : vsque ad *n.* 283.

EX

EX QVÆST. LXVI.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Testis, quando dicatur Varius, quando Contrarius, & quando Vacillans? Quandóve Testis sibi ipsi varius, contrarius, & vacillans, probet, nécne? Et an præcipuè Testis secundo loco examinatus possit se referre ad primum examen.

1 PPONITVR XIX. contra testem, quod est sibi ipsi varius, contrarius, & vacillans, ex quo non probet. *Varius* enim dicitur, qui indistinctè deponit contrarium eius, quod ante deposuerat. *Contrarius*, qui directè sic contrarium dicit: quinimò varietas in teste
2 inducitur etiam ex directa contradictione, & sic qui duo deponit quæ simul esse non possunt: sed *Varius*, & *Contrarius* sunt idem in effectu: vel dic, *Varius* dicitur, qui non contraria deponit, sed diuerso modo dicit: *Contrarius* verò, qui con-
3 traria tenaciter asserit. *Vacillans* dicitur, qui timendo, dubitando, & titubando varia seu diuersa loquitur: quinimò etiamsi cum timore, & dubitatione loquatur, licèt non varia deponat. Sed *va-*
4 *riare*, & *vacillare*, licèt inter se differant; tamen vnum pro alio sæpissimè ponitur. Et iis præmissis vsque ad *n.* 13.

Regula proponitur Negatiua, quod
5 testis sibi ipsi *varius*, aut *contrarius*, nihil probet. Extende ad *Vacillantem*, quando timendo, & dubitando varia deponit: sed tamen non tollitur in totum eius probatio, sed tantùm de fide minuitur, vel testis in totum repellitur, si vacillat circa substantiam negotij; secus, si circa circumstantias. Amplia, quod
6 *varius*, & *contrarius* in aliqua parte, in totum dicatur talis, & nihil omninò probet: eóque magis *varius*, & *contrarius* in loco, & tempore actus, de cuius agitur probatione: imò hoc casu nec facit indicium ad inquirendum: vsque ad *numer.* 22.

Hæc intellige, dummodò sit Varius,
7 & Contrarius in substantialibus; secus in qualitatibus & circumstantiis accessoriis, & accidentibus, tunc enim vtique probant, si in facto, & negotio principali non discordent, nisi aliàs Iudici ex aliqua rationabili causa esset suspectus, vel depositio concerneret factum proprium, & varietas esset multiplex, vel iurauerit dicere veritatem super tota causa, seu circumstantiæ, & qualitates inferrent ad causam & negotium principale; & tamen quocunque casu de fide minuitur: sed si testis
8 deposuisset contraria per errorem, & ignorantiam; varietas non tollit fidem: iusta autem erroris causa in proposito erit obliuio: quinimò, & quando varietas esset modica, vel quando Testis in secundo examine plus dixerit, quàm in primo, seu etiam minùs, non dicitur Varius; & benè probat vsque ad *n.* 39.

Testis verò ad effectum fugiendi va-
9 rietatem, si aliàs fuerit examinatus, poterit in secundo examine se referre ad primum: & si nolit Iudex istam responsionem recipere, potest testis petere, vt sibi legatur primum examen, & si Iudex legere nolit, potest protestari, quod si in
10 primo examine aliter appareat dictum, quàm in secundo, ex nunc corrigit suum dictum, & se refert ad primum tanquam verius, quia tunc recordabatur de facto; & isto casu attenditur primum dictum. Quamuis Alij contrà. Quinimò Iudex debet testi legere suum primum examen, licèt non sit publicatum; & quamuis fuerit nullum, ad illud testis potest se referre, nisi esset nullum ratione falsitatis, vel quia extraiudicialiter, aut Parte non citata emanasset; tunc, inquam, potest testis se ad primam depositionem referre; secus è contrà: licèt contrarium seruetur, quia in repetitione leguntur prima examina testi, & ad illa se refert; sed tamen residet in Iudicis arbitrio admittere responsionem relatiuam ad primum examen, quæ non admittitur absolutè in repetitione ad declarationem sui primi dicti dubij; non in Criminalibus; non in teste examinato coram Arbitro, repetito coram Ordinario; nec de summario ad
11 plenarium: eóque magis generaliter, quando testis est aliàs persona suspecta, quia tunc nec potest se referre ad primum examen, nec etiam petere illud sibi exhiberi: vsque ad *num.* 55.

***

EX QVÆST. LXVI.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Testis sibi ipsi Varius, & Contrarius, an, & quando, & qua pœna puniatur.

12 REGVLA sit, quod Testis sibi ipsi varius, & contrarius, punitur de falso; etiamsi sit vacillans, quando vacillando deponeret varia, & diuersa, iuxta descriptionem *vacillantis*, quia tunc esset inter duo iuramenta; secus si solus adesset timor, & titubatio.

Amplia procedere etiam in teste sibi
13 vario, & contrario in diuersis depositionibus in diuerso iudicio factis; quamuis vnum Iudicium sit Ciuile, & aliud Criminale: quinimò etiamsi in vno Iudicio calore iracundiæ deposuerit vnum, & postea iracundia cessante in alio Iudicio deposuerit aliud: vel in eo, qui primò in vno Iudicio examinatus, vnum deposuit, & deinde cum iuramento aliud: Item in
14 eo, qui in Iudicio plenario deposuit contrarium eius, quod dixerat in Summario:
15 Et tandem in eo, qui in terminis dixit contrarium ei, quod dixerat extra tormenta, si ex interuallo hoc dixerit; secùs, si incontinenti: vel dummodò post torturam ratificet, aliàs secùs. Alij contrà: sed *Author* ità tenendum profitetur: vsque ad *num. 69.*

16 Limita propositam Regulam in Teste sibi vario, & contrario in non substantialibus: quia isto casu tantùm punitur extraordinem pœnâ Stellionatus. Sic & in Teste, qui in Iudicio valido dixit contra-
17 rium eius, quod dixerat in Iudicio nullo, & inualido: quod procedit, si ignorabat inualiditatem Iudicij, in quo primò deposuit; secùs si illam sciebat, quia tunc punitur pœna Stellionatus, propter periurium. Non tamen esset puniendus si
18 per errorem, ignorantiam, & obliuionem deponeret; vel ille, qui dicit varia, & contraria, animo se corrigendi; quia tunc si se corrigat ex interuallo, licèt præsumatur subornatus, & forsan posset torqueri, vt *infrà* dicetur; non punitur de falso: quod si corrigat se incontinenti, tunc sine dubio nullatenus punitur. Testis item, qui non debebat examinari & examinatus fuit, non punitur à variatione à primo examine: provt nec ille, qui primò dixit 19
nescire, & postea scire: vel qui primò dixit se non recordari, & postea recordari: quinimò nec etiam Rusticus, qui non præsumitur dolosè variasse; secùs tamen, quando constaret, dolo contraria deposuisse: vsque ad *n. 83.*

Non etiam punitur, vt *Varius*, ille, qui 20
examinatus in Iudicio, deponit contrarium eius, quod priùs dixerat extraiudicialiter: sed tamen hoc casu extraordinem, & leuiter puniri debet. E contrà, si iudicialiter dicat vnum, alterum verò extraiudicialiter, Parte præsente, licèt non puniatur de falso, extraordinariè crimine Stellionatus tenetur: & si dictum extraiudiciale esset iuratum, hoc casu puniretur de falso, si iuramentum fuisset formiter præstitum: licèt Aliqui velint etiam hoc casu extraordinariè puniri. Sic
nec procederet quando primum dictum 21
extraiudiciale esset verisimile, quia tunc etiam puniretur de falso, nisi secundùm dictum iudiciale esset confirmatum in tormentis, quia hoc casu tantùm pœna Stellionatus puniretur: sed si secundùm
dictum iudiciale esset emanatum ad cor- 22
rectionem primi, tunc probato errore non puniretur ex primo dicto extraiudiciali, præcipuè si emanasset dubitatiuè per verbum, *non recordari*, *credere*, *nescire*, & similia; quia tunc attenditur secundùm dictum iudiciale: vsque ad *n. 98.*

EX QVÆST. LXVI.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Testis sibi ipsi Varius, & Contrarius, quando possit torqueri.

REGVLA sit, quod Testis sibi Va- 23
rius, Vacillans, aut Contrarius, possit torqueri ad videndum in quo dicto persistat, etiam nullis præcedentibus indiciis, aut adminiculis; siue sit Laïcus, siue Clericus: sed Clericus torquetur co-
ram Iudice Ecclesiastico, etiam quod co- 24
ram Laïco variauerit, & sæpè varians, sæpè torquendus est; non tamen intelligas in infinitum, sed tantùm vsque ad tertiam vicem: quo casu, cui dicto sit standum, habebis *infrà*, *huius quæstionis parte quinta*. Quinimò potest torqueri 25
etiam

etiam propter variationem extraiudicialem, si tale dictum sit cum iuramento, & in scripturam redactum: eóque magis facit indicium ad inquirendum, & ad torturam: vsque ad *n.* 112.

26 Limita, non procedere Regulam, nisi vltra variationem, & vacillationem Testis fateatur se facto interuenisse: sed ad hæc, vide *infrà*, *q.* 79. Dicas etiam hoc non procedere, nisi in Criminalibus, se-
27 cus in Ciuilibus: Et licèt Alij contrà, non discedas à Limitatione; sed tantùm declara in seruis, quos etiam in Ciuili ex capite isto torqueri possunt; seu si vltra vacillationem concurrat vilitas personæ, vel causa ciuilis habeat crimen annexum: verùm quocunque casu non potest Testis
28 torqueri coram eodem Iudice Ciuili, sed coram Criminali, si porrigatur querela, & transportentur depositiones, ex quibus præsumitur varietas: generaliter enim sola variatio, & contrarietas in non substantialibus minimè nocet, eóque minùs in Testibus constitutis in dignitate: vsque ad *num.* 123.

EX QVÆST. LXVI.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

An, & in quibus casibus attendatur primum, vel secundum dictum Testis, sibi ipsi contrarij & varij in Iudicio, & sine tortura.

29 REGVLA sit, quod quando Testis in vno examine dicit contrarium eius, quod dixerat in alio, tunc non secundùm, sed primum dictum attenditur. Et quidquid contradicant multi; firmissimè tene Regulam. Quam amplia, etiam quod Parte non opponente ad se-
30 cundum examen fuerit admissus: eóque magis, quando secundum emanauerit post publicationem processus; vel fuerimus in casu, quo secundo loco non debuerit examinari. Quod verò dictum est de vnico Teste, procedit etiam in pluribus, siue Iudicium sit diuersum & ad diuersum finem, siue ad vnicum; & siue simus in diuersis causis, & instantiis, licèt inter easdem personas, dummodò exa-
31 mina sint diuersa, & sic ex interuallo dicat contrarium: eóque fortiùs, quando illud primum fuerit geminatum, & ratificatum: vsque ad *n.* 142.

Limita, propositam Regulam non procedere, quando primum dictum fuisset 32
emanatum animo se corrigendi, vel essemus in eodem examine, & incontinenti, quo casu est licita correctio, seu si primùm dictum fuisset emanatum calore iracundiæ, vel per iocum. Alij contrà, & forsan 33
veriùs, provt dicit *Author*. Secundum dictum etiam attenditur, quando apertè Iudici constat de falsitate primi: vel illud primum emanauerit sine iuramento, nisi pro isto non iurato concurrerent coniecturæ. Item quando primum est prolatum 34
sine redditione rationis, vel cum ratione non concludenti; seu secundum esset magis verisimile. Semper tamen attenditur 35
primum quoad certum quid: sed quoad plenum præiudicium, & quoad sententiam ferendam, nec primo, nec secundo standum est: & ista est veritas. Attenditur etiam secunda depositio, quando sit 36
valida, & prima inualida, seu nulla. In causa hæresis, secundo examini Testis, licèt contraria continenti, standum est; 38
quando ex manifestis indiciis apparuerit Testem velle suum primum dictum corrigere, non animi leuitate, seu odij fomite, aut corruptione pecuniæ; sed zelo fidei: vel quando secundum dictum tendit ad reuelationem hæresis, quam in primo dicto tacuerat. Alij contrà, & forsan veriùs Non procedit tandem Regula, quan- 38
do primum dictum est assertiuum, sicut secundum; secus, si primum fuisset dubitatiuum: verum quocunque casu negari non potest, quin ex secundo dicto debilitetur primum: in tantum, vt ex eo non possit deferri Iuramentum suppletorium: vsque ad *n.* 155.

EX QVÆST. LXVI.

Pars V.

ARGVMENTVM.

An, & quibus casibus attendiiur primum, vel secundum dictum Testis, qui in tortura est sibi Varius, ab eo, quod extra torturam deposuit.

REGVLA sit, quod quando Testis in Tortura dicit contrarium eius, 39
quod dixerat extra torturam, attenditur secundum dictum in tortura, non autem

primum

primum extra eam, siue incontinenti, siue ex interuallo illud emanauerit; etiam quod in tortura non fuerit citata Pars, & illud secundum emanauerit post publicationem primi dicti, & sic ex interuallo, & postquam Testis fuerit alloquutus Partem. Alij contrà, & veriùs, vt dicit *Author*. At si Testis sæpiùs torqueatur, vltimæ torturæ standum est si illa fuit grauior primâ; aliter secùs: eóque magis, si primum dictum sit extraiudiciale, siue iuratum, siue sine iuramento, dummodo tortura Testi *Vario* sit legitimè inflicta: secùs è contrà: vel nisi primum dictum sine tortura rationabiliter visum fuerit Iudici magis verisimile, quàm secundum. Idem quando quis simpliciter vti Testis in alium torquetur, tamquam principalis quoad se, & Testis quoad alios, tunc enim attenditur potiùs primum dictum extra torturam, quàm secundum in tortura. Et licèt Alij contrà; ab hac conclusione non recedas in consulendo, & iudicando: vsque ad *n.* 184.

Et tandem dicas, prædictam Regulam procedere siue in Ciuilibus, siue in Criminalibus: sed in his, secundum debilitatur ex primo: nec secundum dictum in tortura tollit primum extra, si primum emanauerit in articulo mortis: provt nec etiam attenditur secundum, quando testis est aliàs inhabilis, infamis, seu alios patiatur defectus: vsque ad *numer.* 192.

EX QVÆST. LXVI.

Pars VI.

ARGVMENTVM.

An, & in quibus casibus attendatur primum, vel secundum dictum Testis, qui iudicialiter, & cum iuramento examinatus, deposuit contrarium eius, quod primo extraiudicialiter, & sine iuramento dixerat.

REGVLA formatur, quod si Testis iudicialiter examinatus dicat contrarium eius, quod priùs extraiudicialiter dixerat, attenditur secundum dictum iudiciale, non autem primum extraiudiciale. Et licèt Alij contrà; firma pro communiori. Ampliando, etiam quòd primum extraiudiciale emanauerit Parte præsente: eóque magis, si Pars præsens erat potens. Et licèt Alij contrà; non recedas: nisi quando cum partis præsentia concurrat etiam causa, & ratio depositionis extraiudicialis, quia tunc attenditur potiùs primum dictum, quàm secundum: & è contrà, si Testis dicat contrarium eius, quod priùs deposuerat, primum, & non secundum dictum attenditur, sed hoc casu non torquetur. Idem procedit in Teste, qui expresè, & extra iudicium profiteatur, se falsum dixisse in Iudicio; quia adhuc iudiciale dictum non tollitur, etiam quod illud extraiudiciale emanauerit in articulo mortis, siuè in actu Confessionis pœnitentialis; non solum quando iam lata est sententia, sed etiam quando esset ferenda: id tamen totum remittitur arbitrio Iudicis: vsque ad *num.* 209.

Limita, Regulam non procedere, quando cum secundo dicto extra iudiciali Tria concurrerent, scilicet verisimilitudo depositionis; causa reuocationis primi dicti, & quod in articulo mortis ità deposuisset, tunc enim primum dictum videtur sublatum, nedum debilitatum. Sic & attenditur prima extraiudicialis depositio, quando esset iurata, sed isto casu punitur de falso, & licèt non attendatur istud secundum, veritas est, quod neutri statur, si iuramentum primæ depositionis fuerat formiter præstitum. Sic etiam Regula non procedit, quando primum dictum extraiudiciale esset coniecturis, & præsumptionibus adminiculatum, aut aliàs magis verisimile quàm secundum, quia etiam hoc casu neutri standum est, nisi secundum iudiciale esset emanatum ad correctionem primi extraiudicialis, vel primum iudiciale esset incidenter, vel per verba dubitatiua prolatum, seù secundum iudiciale confirmatum in tormentis. Et tandem non procedit, quando primum extraiudiciale esset emanatum tempore actus gesti, & scripturâ confirmatum: & quandocunque attendatur vltimum iudiciale, est adeo debilitatum, vt ex eo non possit ferri sententia, sumi indicium ad torturam, nec iuramentum suppletorium deferri: vsque ad *n.* 227.

EX QVÆST. LXVI.

Pars VII.

ARGVMENTVM.

Testis, an, & quando possit suam depositionem corrigere incontinenti, vel ex interuallo? Et correctione secuta, an attendatur dictum correctum, an verò dictum corrigens.

IN præsenti quæstionis capite Prima sit Conclusio, quod Testis incontinenti potest se corrigere: & hoc 49
transit sine difficultate.

Secunda sit, præcedenti contraria, quod ex interuallo Testis se corrigere non
50 potest. Et incontinenti dicitur facta correctio, si sequatur antequam testis discedat à Iudicis conspectu, vel antequàm se examini subscribat: Quinimò, post per-
51 fectum examen etiam potest se corrigere, dummodo non sit alloquutus Partem: ex quo testis, qui semper stetit in carceribus secretis ità quod non potuerit alloqui Partem, potest quandocunque se corrigere. Verùm aduerte, quod etiam est necesse, neminem alterum fuisse allocutum, &
52 Testi medio iuramento asserenti, neminem esse allocutum, benè creditur, si fuerit notæ fidei, & authoritatis: at si veniat post triduum ad se corrigendum, allocutio præsumitur: sed vtrùm dicatur, se incontinenti, vel ex interuallo corrigere, multum Iudicis arbitrio refertur.

53 Illúdque nota, quòd Testis incontinenti potest se corrigere, etiam non docto de errore, sed tenetur causam correctionis allegare, & talem, quæ Iudici iusta videatur, aliàs correctio etiam incontinenti non
54 admittitur. Nec primo, nec secundo dicto statur, quando Testis se corrigendo dicat penitùs contraria; secùs si aliquid addat primo dicto, quia tunc sufficit allegare obliuionem absque causa obliuionis: quod
55 si Testis sic se corrigendo non iustam causam correctionis allegaret, poterit tamquam de subornatione suspectus torqueri; sed quando allegaret causam correctionis, & illam probaret, poterit etiam ex interuallo se corrigere, & satis erit causa obliuionis, ex qua poterit se quandocunque corrigere, dummodò non dicat contraria: vsque ad *n.* 247.

Tertia sit, quòd Testis Nobilis potest etiam se ex interuallo corrigere, quando 56
agitur inter viles, & de modica causa: prout & Testes notæ fidei, & authoritatis, dummodo se corrigant ante publicationem Examinis, & non fuerint Partem allocuti. Sed licèt correctio facta ex interuallo non tollat primum dictum, illud 57
tamen debilitat; quia licèt quis possit etiam ex interuallo se corrigere, aliquid addendo primæ depositioni, hoc intelligitur citra instantiam Partis, & ante publicatas attestationes: vsque ad *n.* 255.

EX QVÆST. LXVI.

Pars VIII.

ARGVMENTVM.

De Testium repetitione facienda.

REGVLA formatur negatiua, quod scilicet facta attestationum publica- 58
tione, non possint ad Partis instantiam Testes vllo pacto repeti, etiam ad effectum declarandi dubiam eorum depositionem: eóque magis, si culpâ partis obscurè deposuerint. Hæc tamen non vindicant sibi locum in summariis iudiciis, in 59
quibus Iudex, etiam ad Partis instantiam, testes interrogat; ex quo isti possunt etiam ex interuallo accedere ad declarandum eorum dubia dicta, dummodo sint integræ & probatæ fidei; cùm id etiam fieri possit Iudicis arbitrio: Sed tamen non omnis ambiguitas, aut dubietas sufficit, quia illa tantùm requiritur, quæ nullo modo possit sine declaratione intelligi. Contra hanc conclusionem insurgit *Author*, 60
intrepidè firmans, quod quælibet ambiguitas sufficiat ad repetitionem faciendam, quando obscuritas depositionis culpâ Iudicis examinantis processerit: sed sub prætextu dictæ declarationis non permittitur testi aliquid addere, vel minuere de suo primo dicto, nec Iudex ad id cogitur: quinimò nec esset facienda, quando 61
vel non benè sonaret, vel non releuaret producentem: & demum, qui semel declarauit suam dubiam depositionem, ampliùs interrogari non potest: vsque ad *num.* 176.

Regula item non procedit in testibus, qui examinati, sui dicti rationem non 62
reddiderunt: ij enim, quamuis publicatis

attesta

atteſtationibus, ſi ità Iudici viſum fuerit, ad inſtantiam Partis, contra quam producti fuerunt, non autem producentis, iterum interrogari poſſunt: provt poſſunt etiam repeti, quando ſuper capitulis in Actis datis, non fuerunt benè examinati, & interrogati, dolo, aut negligentia examinantis. Sed hoc vnum aduerte,
63 quod ſola negligentia non ſatis eſt, niſi etiam dolus interceſſerit. Et licèt in dubio Teſtis non bene examinatus præſumatur, dolo, & negligentia Iudicis, ne-
64 dum ſuper capitulis, ſed etiam ſuper interrogatoriis; id ſanè procedere intelligitur, quando nullatenus fuerit interrogatus, aut examinatus, ſuper aliquo capitulo: vnde ſecùs, ſi interrogatus non plenè reſponderit, vel non plenè euacuauerit interrogatoria; non ſuper ſubſtantialibus, quia tunc haberetur pro non bene examinato, & poſſet repeti; ſed ſuper reliquis non pertinentibus. Sic non
65 admitteretur eorum repetitio, quando non fuiſſent ſuper capitulis interrogati ex certa cauſa, vel quando non fuiſſent benè examinati ex culpa Partis, ſeu Iudex tacitè, vel expreſsè noluiſſet admittere aliqua capitula, tamquam impertinen-
66 tia, licèt poſſit iſto caſu Iudex ex officio, & ſic tacitè reuocando ſuam interlocutoriam repetere iſtos Teſtes ſuper capitulis aliàs ab ipſo non admiſſis: vſque ad *num.* 294.

Datur etiam repetitio, quando Teſti
67 ex meliore ſorte recordationis quid aliud innotuit: vel ſi eius depoſitio culpâ Iudicis, vel Partis aduerſæ fuiſſet deperdita; ſecùs ſi ex culpa Partis repetere
68 volentis. Et licèt Teſtes non poſſint repeti in eadem cauſa, & inter eaſdem Partes; examinati tamen in vna, poſſunt repeti in alia inter diuerſas perſonas: ſic & de conſenſu Partium, vel examinati in Iudicio ſummario, quandocunque repetuntur in plenario: & ideo
69 examinati coram Arbitro, non prohibentur repeti coram Iudice ordinario: ac generaliter examinati in vno Iudicio ad vnum finem, putà, in Iudicio Ciuili, repetuntur in Criminali. Extende, quan-
70 do eſſent nulliter examinati, ad effectum vt validè deponant; quamuis facta publicatione, repeti poſſint; & iſto caſu permittitur etiam dari Teſtes additionales: ſicut & non benè facta publicatione, ſeu ad confirmandum primum dictum, repetuntur: & hoc inſuper permittitur, quando capitula eſſent diuerſa.
71 Sed hæc quando vera ſint, & generaliter de materia, *Author* loquitur remiſſiuè ad quamplures, & ſignanter ad Gabriel. *lib.* 7. *concluſ.* 27. In Criminalibus verò, etiam poſt publicationem ex offi- 72
cio Iudicis repeti poſſunt, non autem ad Partis inſtantiam, ſcilicet Rei; ſecùs ad inſtantiam Accuſatoris: eóque magis quando informiter, & ſine Partis citatione pro Curiæ informatione examinati, repeterentur formiter, & parte citata ad 73
confirmandum primum dictum. Ratio eſt, quia Fiſcus habet electionem, vel confrontandi cum Reo Teſtes pro Curiæ informatione examinatos, vel illos repetendi Parte citata. Confrontatio autem fieri debet ante publicationem, quia præ- 74
ſentia Rei ſupplet citationem; repetitio verò fieri non poteſt, niſi Reo citato ad dandum interrogatoria. Cætera ad hanc materiam, vide *infrà*, *quæſt.* 75. *cap.* 14.

EX QVÆST. LXVI.

Pars IX.

ARGVMENTVM.

De vnico Teſte ſibi vario, & contrario, quando poſſit concordari ad effectum vt falſum euitet, ac etiam probet? Communia, & Specialia.

REGVLA datur, quod Vnicus Teſtis ſibi varius, & contrarius, 75
omnibus modis concordandus eſt, vt varietas, & contrarietas euitetur; quæ concordia eſt omnino facienda, verba nedum impropriè accipiendo, ſed etiam impropriiſſimè per ſubauditos intellectus, & per interpretationem ſuppletiuam. Quod tamen non procedit, quando Teſtis varietas, & contrarietas eſſet euidens, & manifeſta. At vtrùm Teſtis 76
Varius, & Contrarius, etiam concordatus, probet, nécne? multæ recenſentur opiniones ab *Authore* hinc inde ſibi ipſis aduerſantes: ac tandem ipſe diſtinguit, quod in Criminalibus, & contra Reum Teſtis ſic ſibi Varius, & Concordatus, nunquam probet: in Ciuilibus verò, ſi concordia fiat per intellectam repetitionem ſermonis, tunc oriatur probatio; ſecùs, ſi per multiplicationem actuum, vel per impropriationem verborum: vſque ad *n.* 329.

His præmissis deueniendo ad Specialia;

77 Quæritur 1. Testis primo loco examinatus affirmatiuè deponit, deinde in eodem facto, in quo depositus, interrogatus, dicit se non recordari. Non dicitur contrarius, nec varius, sed tamen non probat, & neutri eius dicto standum est: vsque ad *n.* 331.

Quæritur 2. Testis primò dixit, se non
78 recordari, deinde se recordari, & scire, non est varius, nec contrarius, & probat; eiú sque secundo dicto statur, nisi allocu-
79 tus Partem deponat secunda vice, vel nouæ memoriæ causam non alleget: vsque ad *n.* 334.

Quæritur 3. Testis priùs dubitatiuè
80 deponit, postea affirmatiuè, & sine dubitatione; probat, & statur secundo dicto, quando sumus in diuersis examinibus; secùs, si in eodem examine: vsque ad *num.* 336.

Quæritur 4. Testis primò dixit se cre-
81 dere, deinde dixit, se scire, vel aliis per verbum assertiuum deposuit. Statur secundo dicto, dummodo alleget causam nouæ scientiæ, & certitudinis, & simus in casu, quo licita est correctio; & dummodo non simus in casu, in quo Testi de credulitate plenè credatur: vsque ad *numer.* 340.

Quæritur 5. Testis primò dicit sibi vi-
82 deri, deinde se scire, vel per aliud verbum veritatis affirmat. Statur secundo dicto, nec est varius, aut contrarius: *n.* 341.

Quæritur 6. Testis primò affirmatiuè
83 deponit, dicens se scire, deinde dubitatiuè dicit se credere; probat: & primo dicto standum est, quando in eodem examine sic dixit, & quando sumus in iis, quæ nobis innotescunt per fidem, & quando allegat rationem suæ scientiæ: vsque ad *num.* 345.

Quæritur 7. Testis primò dixit, se nes-
84 cire, deinde se credere, est varius, & non probat vsque ad eundem *n.* 345.

Quæritur 8. Testis primò dixit se cre-
85 dere, deinde dicit se non credere, non est varius; quia hodie potest vnum credi, cras alterum. Quod tamen non procedit, quando Testi de credulitate creditur; licèt procedat, quando sumus in casu, quo est licita correctio, & nouæ incredulitatis causam alleget: vsque ad *n.* 351.

Quæritur 9. Testis deponens super
86 aliquo facto, reddendo rationem suæ depositionis, dicit, ità rem sese habere, quia vidit: deinde, quia audiuit, non est varius: quia reddendo rationem de auditu, non censetur recessisse à præcedenti ratione, quam reddidit de visu. Sed intellige procedere provt loquitur, scilicet, quando Testis primò deponit de visu, deinde de auditu; quia fieri potest, vt & viderit & audiuerit: vsque ad *n.* 354.

Quæritur 10. è contrà, Testis primò dicit se aliquid audiuisse, postea dicit se 87
vidisse, non dicitur varius, quia potest esse, vt & audiuerit & viderit. *n.* 355.

Quæritur 11. Testis primò dicit se scire, deinde dicit se nescire, concorda- 88
tur, quia intelligitur eius secunda depositio, vt videlicet aliquid non sciat, nisi vt suprà dixit. *n.* 356.

Quæritur 12. & è contrà, Testis primò dixit se nescire, deinde dixit se scire, 89
non dicitur varius, quia potest esse quod hodie incipiat scire quidquid antea ignorabat: & licèt Alij contrà, non recedas: dummodò Iudex Testem *ex officio* repetat; secùs, si *ad Partis instantiam*: & dummodò Testis deponat super actu successi- 90
uo: imò vt multi volunt, etiam super actu momentaneo, si superuenientis scientiæ causam alleget, nisi priùs, quando dixit se nescire, dixisset etiam se fuisse præsentem: vsque ad *n.* 365.

Quæritur 13. Testis primò dicit se *hoc tantùm scire*, vel *hoc tantùm verum esse* 91
postea aliquid aliud adsit, non probat, & reputatur varius, ac contrarius: secùs, si dixisset, *hoc est quantùm scio*, quia tunc illa dictio *quantùm*, non stat taxatiuè. *num.* 366.

Quæritur 14. Testis examinatus in Palatio Potestatis, dicit aliquid factum 92
in Palatio Episcopi; deinde dicit illud idem factum *in hoc Palatio*; saluatur à contrarietate, referendo illud verbum, *hoc*, ad oculum intellectus; ita quod Testis voluerit intelligere, dum dixit *in hoc Palatio*, non de Palatio Potestatis, sed de Palatio Episcopi, de quo antea deposuerat: *n.* 367.

Quæritur 15. Testis in principio sui examinis dixit, maleficium commissum, 93
putà, præsentibus Titio, & Seio; deinde interrogatus qui fuerint præsentes, dicat quod nullus fuit præsens; saluatur à contrarietate: quia illa verba, *nullus fuit præsens*, intelliguntur, & interpretanda sunt, *exceptis dicto Titio, & Seio*: vsque ad 94
n. 370. Author in aliis casibus similibus loquitur remissiuè ad plures, & præcisè ad Petr. *de fideicommiss.*

***

EX

EX QVÆST. LXVII. §. I.

ARGVMENTVM.

Testis falsi detestatio, & pœna.

PPONIVVR Vigesimò, quod
1 Testis sit *falsus*: & hoc crimen quantùm sit detestabile, ex eo potissimum dignoscitur, quod Deo, Iudici, & Hominibus obnoxium est, triplicémque continet deformitatem, Periurij scilicet, Iniustitiæ, & Mendacij. Ex quo firmatur Regula, quod licet ex *L. duodecim Tabular.* falsi Testes ex saxo Tarpeio
2 præcipitarentur, hodie dicta *lege* sublata, puniuntur pœnâ Deportationis, & Confiscationis bonorum, si homines liberi
3 fuerint; si verò serui, vltimi supplicij: & insuper tenentur ciuiliter actione in factum ad damna, & interesse, si agamus in foro contentioso, secus in foro conscientiæ, in quo, licèt teneantur de falso, non
4 tenentur de damno inde secuto, Clerici verò ex *Auth. Presbyteri, Cod. de Episcop. & Cleric.* si Presbyteri sint, siue Diaco-
5 ni, in causa pecuniaria, per triennium à diuino ministerio separati Monasterio traduntur pro tormentis; si in causa Criminali, Clericatus honore nudantur, & legitimis pœnis puniuntur. Cæteri verò
6 Clerici, Ecclesiastico officio depulsi, sine delectu causæ, verberibus coërcentur, quæ *Auth.* est canonizata in *cap. 3. §. Presbyteri 5. caus. 5. quæst. 6.* & per text. *in cap si Episcopus, 50. distinct.* vbi specialiter di-
7 citur, *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus, in Monasterium detrudatur, & ibi quamdiù vixerit, Laïcam tantummodo Communionem accipiat.* Sed de intellectu horum
8 Iurium, *Author* te remittit ad Plures, & præcipuè ad Clar. *in §. Falsum.* In causa verò criminali, *falsi Testes* puniuntur eadem pœna, qua veniebat puniẽdus Reus, contra quem deposuerunt. Et licèt Alij
9 contrà, non recedas cum *Authore* à conclusione. Declarando tamen, quod in pœna capitali procedat, quando morti Reus fuit traditus; aliter secùs, quia tunc mitior pœna Iudicis arbitrio imponenda est.
10 Et licèt Alij contrà, non recedas à Limitatione: eóque magis, si deposuisset ad Rei defensionem, quia tunc de solo periurio Iudicis arbitrio est plectendus. Generaliter verò hodie pœna *falsi Testis* est pecuniaria, vel arbitraria; vel etiam corporalis, provt Iudici visum fuerit. Et quidquid sit de Iure Ciuili, de Iure Canonico falsus Testis est etiam infamis: vsque ad *num. 26.*

EX QVÆST. LXVII. §. II.

ARGVMENTVM.

Testis falsus à quo Iudice puniri possit.

REGVLA est, quod Testis, qui falsum perhibuit testimonium, pos- 11
sit puniri ab eo Iudice, coram quo falsum deposuit; quamuis Iudex ipse sit Ciuilis. Licèt Alij contrà: sed inter talem Ciuilem Iudicem, & Criminalem habet locum præuentio, & ab vtroque puniri potest, tam durante, quàm causa finita. Ex quo Laïcus deponens falsum coram Iudice Ecclesiastico punitur, & à Iudice Laïco, & à Iudice Ecclesiastico: sed à 12
Laïco punitus, Ecclesiasticus non prohibetur imponere suam pœnam Canonicam. Quod si Testis vigore *Remissoriarum* fuerit examinatus extra Territorium remittentis, potest puniri & ab eodem Iudice remittente, & à Iudice coram quo falsum deposuit: sed ab vno punitus, ab altero non vexatur: & si puniat Iudex remittens, pœnam imponere debet iuxta Statutum loci, in quo emanauit falsa depositio. Singulariter verò in causa *hæresis* 13
falsum deponens, puniri potest ab ipso Inquisitore, licèt aliàs iste sit incompetens Iudex: quod tamen quando verum sit? *Author* te remittit videre penès multos, & præsertim apud Zanchin. *tract. de hæretic. cap. 14 n. 1.* & *ibi* Campeg. *in addit. lit. A num. 38.*

Iudex Ciuilis, licèt non habens merum & mixtum imperium, & sic aliàs 14
incompetens, quamuis possit ex officio, & sine accusatore Testem, qui coram ipso falsum deposuit, punire; non tamen illi est permissum, nisi Principe consulto, pœnam ordinariam imponere, sed tantùm extra ordinariam ratione contemptus: sed extra ordinem sic ab eo pu- 15
nitus, potest etiam ordinariâ à Iudice Criminali mulctari: & tandem iste Iudex

ciuilis tunc potest punire, quando sibi de falsitate constat notoriè & manifestè, nec est opus formatione processus; secus vbi ad detegendam falsitatem, noua formari deberet inquisitio, quando sibi non licet procedere contra subornantem: vsque ad *num.* 44.

16 Arbiter, vel Iudex delegatus, Testem falsa deponentem coram eis punire non possunt, licèt quoad Delegatum multi velint extraordinem posse punire, dummodò sit delegatus Principis, non autem inferioris; & specialiter sit Delegatus in causa Criminali, in qua puniendi habeat aliquam facultatem: ità sentit *Author*, & sic in consulendo, & iudicando tenendum esse profitetur: Licèt Alij contrà.

17 Clericus verò, qui falsum deposuit coram Iudice sæculari; quidquid Alij dicant vel resolutiuè vel distinctiuè, hoc vnum est verum, vt puniri debeat à suo Iudice Ecclesiastico, licèt Iudex Laïcus possit de falsitate cognoscere ad effectum expediendi causam principalem: vsque ad *n.* 57.

EX QVÆST. LXVII.

§. III.

ARGVMENTVM.

Testis falsus quantum probet, & quando de falso puniatur.

18 REGVLA proponitur, vt Testis *falsus* nihil omninò probet, non solùm in causa, in qua falsum deposuit, & pro tali falsa depositione fuit condemnatus, sed etiam in aliis. Quinimò, nec contra falsarium, nec fauore piæ Causæ facit indicium ad inquirendum. Extendo,

19 vt nec metus excuset à falso, & ab illius pœna; verùm, an in prædicto, vel alio casu sufficiat probare falsitatem depositionis sine corruptela, vel corruptelam sine falsitate, *Author* præter multos te remittit ad Mascard. *de probat. lib.* 1. *concluſ.* 28. *num.* 1. *& lib.* 2. *concluſ.* 746. *n.* 2. *& concl.* 688. *per totam.*

Testis *falsum* deponens de credulitate,

20 extraordinem punitur: sed vix potest dari casus, in quo Testis de credulitate possit de falso conuinci. Extende conclusionem

21 ad eum, qui pro vero affirmat id, quod reuera verum est; sed istum verum Testis non vidit, & prorsus ignorat: & pariter ad Testem, dicentem *verum*, sed credentem dicere *falsum*, vtroque enim casu ex temeritate pœna extra ordinem imponitur. Et licèt dici soleat, quod ad probandam falsitatem requiratur non so- 22
lùm plena, sed etiam strictior probatio, & de necessitate concludens, hoc tamen intelligitur quoad pœnam ordinariam, secus quoad extraordinariam, ad quam incurrendam, suspiciones, & argumenta satis sunt: Quinimò sola suspicio Testi fidem tollit: vsque ad *n.* 77.

Testis, qui per ignorantiam *falsum* de- 23
posuit, cessante dolo, de falso minimè punitur, & in dubio potiùs per errorem, & ignorantiam, quàm dolo, falsum deposuisse præsumitur: verùm isto casu non probat; & per modum culpæ aliqua mitiori pœna extra ordinem Iudicis arbitrio punitur. Extende ad Rusticos, qui nisi 24
sint sagaces, & audeant deponere super eo, quod ipsi non percipiunt, falsum deposuisse non præsumuntur: & tamen primo casu tantùm extra ordinem puniuntur: vsque ad *n.* 85.

Vltimò Obliuio in præmissis, est *causa* 25
valdè potens ad falsitatem excludendam, prout excusatur Testis deponens falsum, credens deponere verum; & isto casu statur iuramento ipsius Testis, remittendo tamen Iudicis arbitrio, an ista *credulitas* sit iusta, nécne. Et pari modo excusatur Testis, qui dicit scire id, quod tantùm audiuit à viro fide digno, quando sumus in iis, quæ certa probatione sciri nequeunt: sed hoc casu pœnam extraordinariam non effugit. Idem in eo, qui falsum deponit in redditione causæ; prout est ille, qui primordio veritatis iuuatur. Peritus, 26
de peritia sua deponens, tamquam falsus puniri non potest: potest enim semper dicere, *sic credebam*: sed si de falso conuinceretur, extra ordinem veniret puniendus. Et quamuis quælibet causa, licèt iniusta, excuset à falso, & à pœna, cùm in iis, in quibus dolus est de substantia, ad illum excludendum omnis causa, licèt bestialis, admittatur; de hac tamen materia, Latiùs vide *infrà part.* 11 *huius Succi.* Et licèt iterum Testis falsus non pro- 27
bet, vbi deposuit, & in aliis inde sequentibus; probat tamen in antecedentibus; concludendo, quod cum falsus non præsumatur; ideo id asserenti, probandum est. Eóque magis, si ità deponens, sit bonæ famæ, adeo vt ad excusandum à falso, omnis interpretatio facienda sit, in qua omnis subtilitas, & omne studium sit adhibendum, supplendo, & subaudiendo, etiam per improprietatem verborum

borum. Quinimò de falsitate debet constare aliunde quàm per confessionem ipsius Testis; quia ista confessio, siue iudicialis, siue extraiudicialis, & in articulo mortis, nullo pacto præiudicat ei, ad cuius fauorem deposuit: vsque ad *n.* 110.

EX QVÆST. LXVII.
§. IV.

ARGVMENTVM.

Testis in parte falsus, quando in totum reputetur falsus? Quomodo puniatur? Quid, si deponat falsum super interrogatoriis, circumstantiis, & appendiciis.

TESTIS *in vno* falsus, *in totum* reputatur falsus: & ideò falsus in vno, nihil probat in omnibus, ratione iuramenti, quod est indiuiduum: siue deponat super capitulis connexis, siue etiam separatis: quinimò nec Princeps potest facere, vt in vno falsus, non sit in omnibus falsus. Licèt hoc non procederet, quando non esset falsus in substantialibus, quia tunc ex authoritate ordinaria, & eo magis per Principis rescriptum, in reliquis fides adhiberetur: præsertim, quando constaret aliunde de veritate articuli. 29

Sed Ampliando Regulam extenditur ad Testem, aliàs suspectum, & ad deponentem *falsum* super generalibus, vel interrogatoriis, se suspectum, & falsum reddendo, cum neget se esse affinem, inimicum, sollicitatorem, & similia. Et licèt Alij contrà; non recedas: cùm certum sit hoc casu puniri extra ordinem crimine, seu pœna Stellionatus. Testis verò in parte falsus, in totum reputatur falsus, quamuis falsum dixerit in diuersis criminibus, ac diuersis loco, & tempore, siue scienter, siue ignoranter. Quinimò in dubio potiùs præsumitur dixisse falsum scienter, quàm ignoranter, quoad effectum probationis, nisi falsitas consisteret in impertinentibus; quia tunc eius dictum non respuitur in totum, provt non diminuitur eius fides, quando falsum deponeret in accessoriis, non substantialibus, vel super appendiciis, vel si falsitas consisteret in extrinsecis impertinentibus, & non substantialibus; quod totum Iudicis arbitrio remittitur: & in proposito pertinere dicitur id, quod quoquo modo, & aliqualiter tangit causam, vel ad causam facit. Sed licèt deponens falsum super impertinentibus non reprobetur in totum, nec pœnâ ordinariâ condemnetur de falso; secus tamen esset, si iurasset dicere veritatem in omnibus, quia tunc falsus in omnibus dicitur, & nihil probat. Sed in dubio præsumitur iurasse simpliciter, non super omnibus: Aliud enim est iurare super tota causa, & sic super annexis, connexis, & accessoriis; aliud super omnibus, de quibus fuerit interrogatus: Primo enim casu, iuramentum non trahitur ad omnia; secundo verò sic: Quare deponens falsum super substantialibus, de falso punitur, ac si deposuisset super toto negotio, secùs è contrà: & dicitur de substantia negocij id, quod sine tali negocio esse non potest. Et tandem proposita Regula non procedit in Teste, qui errat, & falsum deponit in nomine, cognomine, pronomine, agnatione, parentela, vel Parochia; nam si is non propterea erret in corpore negocij, non punitur de falso, nec dicitur falsus, & probat: vsque ad *n.* 186. 30 31 32 33 34 35 36 37

EX QVÆST. LXVII.
§. V.

ARGVMENTVM.

Testis nulliter, & inutiliter falsum deponens, an, & quando probet? Quando, & quomodo puniatur.

TESTIS nulliter, & inutiliter deponens, de falso non punitur. Alij contrà. Sed non recedas. Et Amplia idem esse, quando depositio Parti non nocuit, vel nocere non poterat. Eóque minùs punitur ille, qui sine iuramento falsum dixit, quando extraiudicialiter coram Notario deposuit, nisi verè iurasset, sed Notarius per negligentiam non scripsisset iuramentum: seu quando idem iuramentum fuisset nulliter præstitum; & Testis fuisset talis, vt ei sine iuramento crederetur, vel à Partibus esset remissum, his enim quatuor casibus, intrat pœna *falsi*. Extende ad Testem, qui extra Iudicium *falsum* deposuit, tunc enim non punitur de falso, quamuis falsum deponeret in priuata schedula, vt sunt illi, qui alicuius negocij faciunt fidem in scriptis: puniretur tamen, 38 39 40

si depositio haberet debitam formam, licèt inualida, & nullum habuerit effectum propter deponentis inhabilitatem; & tamen quocunque casu pœna extraordinaria ex crimine Stellionatus euitari non potest.

EX QVÆST. LXVII. §. VI.

ARGVMENTVM.

Testis tacens veritatem, quomodo puniatur.

41 TESTIS, qui in sua depositione tacet, & occultat verum, punitur, ac si falsum dixisset: & sic etiam omittendo, Testis falsitatem committit. Sic, & ille, qui dolosè dicti sui vel non reddit rationem, vel non concludentem reddit; seu ille qui dicit, non recordari se de eo, cuius, vel certum est memoriam habere, vel saltèm debet verisimiliter recordari.

42 Idem in Teste, qui deponit obscurè, versutè, vel per malitiam, ad hoc, vt eius depositio producenti non prosit: siue qui deponit per verbum, *Credo*, vel per verbum, *videtur*; quia non solùm quis punitur tacendo veritatem, si iurauerit dicere plenam veritatem, sed etiam si specialiter super articulo interrogatus dixerit se

43 nescire, quando simpliciter iurauerit dicere veritatem, vel meram veritatem. Hæc non procedunt in Teste, qui non dolosè deposuit: quia licèt aliàs tacens veritatem, habeatur, & puniatur tanquam falsus, non tamen comprehenditur in Statuto puniente corporaliter falsum Testem.

44 Singulariter verò, nec tamquam falsus punitur, qui noluit comparere vt examinaretur: verùm Testis instrumentarius, quia testificandi assumpsit officium, quando se occultauerit ne examinetur, de facto punitur: vsque ad *num.* 235.

***

EX QVÆST. LXVII. §. VII.

ARGVMENTVM.

De Testis corrupti pœna, & probatione, ac de pœna subornantis, seu corrumpentis Testes.

TESTIS corruptus promissione pecuniæ, vel alia re, non probat; & de 45
falso accusatur; in dubio falsum dixisse præsumitur, etiam quod non probetur, eo ipso quod probatur pecuniam recepisse: Licèt Alij dicant, & verius, posse tantùm torqueri. Amplia etiam in Teste, qui 46
pecuniam accepit, vt verum diceret: quo casu extraordinariè mulctatur, si recepit pecuniam ante sententiam; sed si post sententiam, & ad illam retractandam, siue aliunde constet de illius depositione, tunc non dicitur falsus, licèt crimine non careat. Dicitur corruptus, punitur de falso, & non probat, si pecuniam 47
acceperit pro testimonio non ferendo; sed nisi deposuerit, vel non examinatus fuerit, tunc non punitur de falso, sed extra ordinem; & quocunque casu probat contra corrumpentem: quinimò etiam pro eo, si fuerit inductus ab aduersa Parte: vsque ad *n.* 251.

Impediens Testem, ne deponat, siue 48
testimonium occultans, vt nemini appareat, tenetur Parti læsæ ad interesse, actione de dolo. Testisque dicitur corruptus, siue recipiat pecuniam à sponte dante, siue speret futurum commodum. Quin imò corrumpens Testes, punitur, etiam quòd eis non vsus fuerit: ac vno corrupto, cæteri quoque corrupti præsumuntur. Corruptio arguitur ex indiciis, & præsumptionibus; & pœnâ *falsi* tenetur Testes corrumpens & subornans, vnà cum Teste corrupto & subornato: ac itidem 49
punitur corrumpens, & subornans, siue fuerit Pars litigans, siue etiam Tertius; & siue dederit pecuniam, vt falsum, siue vt verum dicat; licèt nullo modo puniri posset, si pecuniam dedisset vt verum Testis diceret, quando aliàs nolebat deponere: seu quando dedit, vt falsitatem depositam detegeret; vsque ad *n.* 166. 50

Testis non dicitur corruptus, quando 51
fuit inductus ad deponendum prece, seu rogatu, si preces effusæ fuerint ad deponendum

nendum verum, secùs si falsum, quod incurritur timore, amore, vel odio: & etiam secùs, quando pecunia datur palam, & publicè, vt verum dicatur, seù quando datur pro expensis itineris, 52 & operibus amissis. Et licèt Alij contra; ab hac conclusione indistinctè non recedas: præcipuè quando Testis nole- 53 bat accedere, nisi pretio dato. Diceretur bene corruptus, si pecuniæ darentur vltra condignum, & in excessu, quia tunc adesset color quæsitus, Iudicis ar- 54 bitrio considerandus. Itidem non dicitur corruptus, qui pecuniam accepit post depositionem, seù quando fuit data ad generaliter deponendum, & vt ius dantis commendatum haberet; secùs, si specialiter. Et tandem Testem corrumpens, licèt puniatur, causam non perdit: vsque ad *n.* 273.

EX QVÆST. LXVII. §. VIII.

ARGVMENTVM.

De Teste Instructo.

TESTIS instructus à Parte, vel ab Aduocato Partis, non probat: & talis præsumitur eo ipso, quod 55 ante examen Partem fuerit allocutus: sed si fuerit instructus bona fide, vt meliùs recordaretur, vt congruè deponeret, & sui dicti rationem redderet, nisi instrueretur super notorio, adhuc pro- 56 baret. Et notabiliter, Testis, qui dicit se instructum, adhuc probat, quia intelligitur de instructione licita. Et 57 quidquid sit in Teste instructo, secùs tamen est in eo, qui partibus reuelat id quod dicturus est, quia à testimonio non repellitur; quamuis Alij contra: vsque ad *numer.* 296.

***

EX QVÆST. LXVIII. §. I.

ARGVMENTVM.

Testis obscura, & dubia depositio, ex quibus verbis inducatur? Quando plenam faciat probationem? Et quomodo ad alicuius fauorem interpretationem recipiat.

PONITVR Vigesimo-primò, contra Testes, quod eorum depositio est *dubia*; Et Regula propo- 1 nitur, quod Testis obscuram, dubiam, seù incertam depositionem faciens, nihil prorsus probet, & talis dicitur quando plures recipit intellectus: depositio enim ad hoc, vt probet, debet de necessitate, non per ponibile, concludere, eóque minùs, si priùs dicat 2 rem taliter esse, & postea ita esse posse. Extende etiam si dubitatiuè deponat, vel si clarè, & affirmatiuè dicat, *ni fallor*, vel *si bene recorder*, vel quid simile; 3 vel adiungat, *salua veritate*: aut deponat alternatiuè per dictionem, *vel* nisi Alternatiua tenderet ad eundem effectum. Minúsque probat deponens per verbum, *circa*, quando agitur de probatione præcisi temporis, & quantitatis; secùs, si non sit ius in tempore, aut quantitate præcisa; quia tunc dictio, 4 *circa*, extenditur ad duos, vel tres, plùs, vel minus. Dicitur etiam non probare deponens per verba *plus*, *vel vltra*, seu per verbum, *videtur*, aut *de videre* 5 *suo*, nisi agatur de materia sensu corporis non perceptibili, vel nisi sit appositum tempori, quando agitur de possessione; sed hoc casu, licèt possessionem probet, tempus tamen non probat: vsque ad *n.* 32.

Item non probat deponens de iudicio suo, nisi bonam, & concludentem redderet rationem vel qui aliquid af- 6 firmat, vel negat per scientiam suam, seu de Iure, & per verba Iuris. Similiter & ille, qui respondet per verbum, *Credo*; aut cuius depositio est dubia, & æquiuoca, nisi in quolibet intellectu probaret intentionem producentis: & tamen non releuat, quando nulla iuridica interpretatione adiuuari posset. Ex quo facias Conclusiones sequentes.

Prima

Prima, quod Testium depositiones, ad
7 hoc vt probent, non cauillandæ, sed coadiuuandæ sunt, nisi aliàs Testes essent suspecti.

Secunda, quòd Testium verba in me-
8 liorem & benigniorem partem interpretanda sunt, & impropriari possunt ad hoc vt probent; licèt in concursu interpretationum sit potiùs sumenda propria, quàm impropria, si per vtramque oriatur probatio: sed si ex propria non resultet, ex impropria desumitur, & præfertur.

Tertia, quod Testium dubia verba,
9 vulgariter, & secundùm vulgi ac populi intelligentiam interpretanda sunt; & attenditur communis vsus loquendi ciuilis: & in dubio pro Causa fauorabili, vt putà pro Testamento, Matrimonio, Dote, Religione, & Libertate accipi debent, & sic, sonent potiùs in factum, quàm in ius; & vt Actus potiùs valeat quàm pereat.

Quarta, quòd Testis dubia depositio
10 in aliqua parte, declaretur per aliam partem depositionis ipsius testis: quinimò, & ex dicto alterius testis: necnon verba talia dubia recipiant interpretationem à subiecta materia, à Capitulis, & articulis, super quibus sunt examinati testes, necnon ab instrumentis, & aliis scripturis in Actis productis.

Quinta, quòd Testium dubia dicta
11 contra producentem sunt interpretanda, dummodo talis interpretatio non sit contra alias interpretationes desuper dictas: vsque ad *n.* 61.

EX QVÆST. LXVIII.

§. II.

ARGVMENTVM.

Testis de credulitate, quando probationem, vel indicium faciat,

12 TESTIS de *credulitate*, nec probat, nec etiam propriè dicitur testis; imò nec præsumptionem facit, etiam quòd dicat, *se pro certo credere*, vel *firmiter credere*, nisi adijciat, *ita esse*. Idem in teste de credulitate non in principali dicto, sed in redditione rationis; quamuis dictorum testium magnus sit numerus:
13 sed si redderet sufficientem rationem suæ credulitatis, putà, si diceret, *sic credo, quia vidi*, probat contra Producentem, & contra Fiscum & Curiam: eóque magis pro Reo; dummodo adducat, & exprimat causam suæ credulitatis. Item in iis, quæ 14
directè probari non possunt, & in materia non certitudinaliter cognoscibili, seu sensu corporis perceptibili: Extendendo ad illa, in quibus non concludens; sed præsumptiua probatio habetur pro vera; & ad illa, quæ sunt difficilis probationis, occulta, & antiqua: in proposito verò tempus antiquum dicitur Centum annorum: vsque ad *n.* 88.

Item in probatione *Filiationis*, in qua
testes dicentes se credere, Talem esse fi- 15
lium illius de quo agitur, quia viderunt eum natum in domo eorum, qui tamquam Coniuges se tractabant, benè probant, dummodo tales proprias rationes de credulitate reddant. Idem in probatione *Adulterij*, & *Copulæ carnalis*, si credu- 16
litatis adducant causam proximam, & copulæ immediatam. In probatione *Ætatis*: & in iis, quæ consistunt in *peritia Artis*, provt sunt Medici, Obstetrices, & 17
similes hi enim non sunt propriè Testes, sed magis vti Iudices ad illum causæ articulum decidendum assumuntur, nisi tamen deponerent super re perceptibili sensu corporeo, quia tunc tenentur iurare, non solùm quod ita credant, sed etiam quod ita sit: vide latiùs *infrà*, *quæst.* 70.
Idem in probatione *valoris* alicuius rei. 18
Et quidquid generaliter sit quoad testes de credulitate, confessio Partis ipsis plenè præiudicat: ac omni casu, quo testes probant de auditu, probant etiam de credulitate: eóque magis concurrentibus adminiculis, seu præsumptionibus. Idem
in teste, qui primò deponit de veritate, 19
& scientia facti; secundò autem dicit, *se credere*: vel qui vnico contextu dicit, *se scire, & credere*. Et licet generaliter in
casibus exceptis isti testes de credulitate 20
non faciant plenam probationem, faciunt tamen indicium efficacissimum: & si falsum dixerint, de falso puniuntur, provt sunt Periti, qui falsa circa eorum peritiam deponunt. Et tandem sententia lata ex 21
similibus depositionibus nunquam transit in iudicatum, sempérque potest retractari per alios testes melius probantes: vsque ad *num. fin.* 117.

* * *

EX QVÆST. LXIX.

Cap. I.

ARGVMENTVM.

Testimonium de Auditu alieno, an, quando, & in quibus casibus probet, faciat, vel non faciat indicium, vel præsumptionem.

1 PPONITVR vigesimo-secundò contra Testes, quod deponunt de *Auditu alieno*, & ideo nihil probant, nec dicuntur verè & propriè Testes: eóque magis in Criminalibus, in quibus, nec etiam faciunt præsumptionem nisi satis leuem, vix ad capturam sufficientem.

2 Ampliando, vt nec probent etiam si dicant audiuisse ab homine antiquo, & magnæ authoritatis, quamuis agatur fauore piæ Causæ, nisi concurrant alia adminicula: sed iuncta fama faciunt violentam præsumptionem: quinimò nec probant, licèt dicant audiuisse ab eo, qui præsens

3 fuit: faciunt tamen aliqualem præsumptionem coadiuuantem alias probationes, & vbi inducitur probatio ex præsumptionibus, & coniecturis, vt putà in antiquis, vel iis, quæ occultè, & secretè fiunt, & transferunt onus probandi in aduersarium, aliis adminiculis iunctis: vsque ad *num.* 44.

Quando verò tale testimonium est ad-

4 miniculatum fama concurrente, seu adest alter testis de visu, plenè probat, si simus in materia, in qua sit iudicandum ex præsumptionibus, & istæ habeantur pro vera & concludenti probatione; aliter secus.

5 Quinimò etiam hoc casu remissum est Iudicis arbitrio. Insuper probarent, quando versaremur in occultis, antiquis, & difficilis probationis: sed occulta debent esse talia, vt actu, & habitu alteri testes interuenire non potuerint; quia secùs, quando difficultas probationis esset inducta ex negligentia, & cunctatione agentis: vsque ad *num.* 56.

Itidem admittuntur in iis, quæ facta

6 fuerunt tempore Pestis: & generaliter contra producentem, quando talis depositio reproducatur, etiamsi sit vnica, tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus. Item

7 vbi non agitur de alterius præiudicio; in probatione filiationis; si sumus in antiquis, secùs in recentibus: in probatione consanguinitatis; metus in causa matrimoniali; & quando agitur de probatione fraudis per hæredem in hæreditate commissæ: vsque ad *n.* 69.

Admittuntur etiam in causa *Possessorij*, si deponant de auditu proprio, & de con- 8
fessione Partis. Quando testes interfuerunt examinationi testium receptorum ad perpetuam rei memoriam. In causa Matrimonij, quando non agitur de eo 9
dissoluendo: & generaliter quando sic admittuntur, debent nominare eos, à quibus audierunt, aliàs non probant: & hoc deponere debent, quamuis non fuerint interrogati; sed necesse est, vt illi à quibus audiuerunt, sint plures; nisi sit ille, à quo fuit negotium gestum: sed non est necesse quod illi plures audiuerint ab aliis pluribus, quia sufficit quòd testes nominent aliquem, à quo audiuerint, & deindè dicant, *& à pluribus aliis, de quibus non recordor*: vsque ad *n.* 84.

Quando agitur de probando, *memoriam hominum extare*, admittuntur testes 10
de auditu sed necesse est, vt illi à quibus fuit auditum, sint personæ graues, fide digni, & omni exceptione maiores, & sint ab vnoquoque teste nominati: ac iterum necesse est, vt à quibus audierunt sint mortui; secùs, si sint viui, quia nisi examinarentur, oriretur suspicio contra producentem, ex qua fides examinatis tolleretur. Non etiam probant isti testes de 11
auditu, nisi sint graues, & omni exceptione maiores, & hæc qualitas est articulanda, & probanda. Notabiliter non facerent fidem, si audierint post litem mo- 12
tam; & ideo debent deponere de tempore ante litem motam, quia aliàs probatio sine tempore non releuaret, nisi testes diù alibi, quàm vbi lis mota fuerit, audierint. Debent etiam deponere, vt credant id 13
quod audierunt, & quod id, quod audierunt, optimè intellexerunt; sed tamen tota ista probatio dicitur fragilis, suspecta, & de facili eludi & euerti potest; quapropter si testes in aliquo deficiant, in nihilo producentem releuant: & an, & 14
qualem faciant probationem, multùm Iudicis arbitrio remissum est.

***

EX

EX QVÆST. LXIX.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Testes de Auditu, an, & quando probent Consanguinitatem.

TESTES de auditu alieno probant Affinitatem, Consanguinitatem, vel Parentelam, siuè agatur per causam matrimonij, siuè successionis, & hæreditatis; sed habere debent
16 duodecim requisita. *Primò*, debent esse non infames, non suspecti, sed graues, & omni exceptione maiores, & hæc qualitas est articulanda, nisi simus in antiquis. *Secundò*, debent deponere se audiuisse ante litem motam.
17 *Tertiò*, requiritur, vt audiuerint à Maioribus, & Antiquioribus suis, ex linea Ascendenti, & non Collaterali. *Quartò*, debent dicere audiuisse, non ab
18 vno, sed à pluribus. *Quintò*, isti à quibus audiuerunt, debent esse fide digni. *Sextò*, isti Testes deponentes, debent
19 esse plures. *Septimò*, non debent deponere odio, amore, vel timore aliquo. *Octauò*, debent declarare personas, & gradus, per nomina propria, appellatiua, demonstratiua, vel per circumloquutiones sufficientes. *Nonò*, debent specificare singulos gradus
20 consanguinitatis, excepto stipite. *Decimò*, debent esse iurati. *Vndecimò*, debent dicere expressè, se credere ità esse quod audierunt. *Duodecimò*, de-
21 bent insuper dicere, quod viderunt dictos Consanguineos, sic pro Consanguineis se inuicem tractari. Et demum probant, quando sumus in antiquis, memoriam hominum excedentibus, quando non agitur de graui præiudicio; quia si de graui, probant tantùm iunctis adminiculis: vsque ad *numer.* 124.

***

EX QVÆST. LXIX.

Cap. III.

ARGVMENTVM.

Testes de Auditu, an, & quando probent in Antiquis.

TESTES de Auditu in *Antiquis* probant, si Antiqua memoriam hominum excedant & ideo admittun- 22
tur ad probandam præscriptionem, de qua initij memoria non extet. Probant hominum memoriam extare, & non extare; sic & confinia, quando sumus in Antiquis: & fidei commissum: Si autem in Antiquissimis supra centesimum annum, probant Iuspatronatus, nisi agatur de maximo præiudicio: & si de hoc agatur, faciunt pluspquam semiplenam probationem. Sed si agatur de 23
probando aliquid, quod requirit totum actum hominis, sunt qui illos non admittant: idcirco non probant dominium, & possessionem: Alij contra: Et hoc casu debent esse Annorum triginta quatuòr ad minus. Et quocunque casu, debent concurrere illa duodecim Requisita, de quibus in *antecedenti capite, de Consanguinitate.* Et demum tempus antiquum debet esse centum annorum, nec minus. Sed quidquid sit de *Iure*, Rota seruat, quod 24
tempus antiquum in proposito dicatur sexaginta annorum, dempto tempore litis: vsque ad *n.* 145.

EX QVÆST. LXIX.

Cap. IV.

ARGVMENTVM.

Testes de Auditu proprio, an, & quando probent.

TESTES de *Auditu proprio* plenè probant, quando deponunt se aliquid audiuisse à Parte promittente, 25
seù stipulante. Alij contra sed firma. Idem est de eo quod percipitur, non 26
per proprium Auditum, sed per alium sensum, puta per gustum, Tactum, vel Odoratum.

Odoratum. Isti Testes de Auditu probant, siue deponant affirmatiuè, siue negatiuè; & ideo plenè probant confessionem
27 alicuius, non solùm in Ciuilibus, sed etiam in Criminalibus: sed tamen in Criminalibus non plenè probant delictum Confitentis: in Ciuilibus verò, Parte præsente, plenè probant; absente verò, semiplenè.

Testes de Auditu probant, quando cogitur de probatione alicuius rei, quæ non
28 nisi per sensum Auditus percipitur, vel in qua sola verborum expressio sufficit; secùs è contrà: Quinimò probat super actu qui Visui conuenit, quando sensus Auditus non est omnino improportionabilis tali Actui, super quo deponit Testis: eóque magis in iis, quæ sunt perceptibilia
29 Visu, & Auditu simul; quando dicit audiuisse, & vidisse simul. Alij contrà. Tu facias hanc Conclusionem, quod in re perceptibili sensu Visus & Auditus, non sufficit, Testem dicere, se *vidisse*, & non *audiuisse*, quia per vtrumque sensum debet fieri depositio. Si verò Testis dicat, se
30 *vidisse* Titium, putà, talia dicentem; nec dicat, se *audiuisse*; & sic non constat ex depositione quod audiuerit, vtique probat; quia per sensum Visus includitur Auditus: nisi aliter constet: vsque ad *num.* 163.

EX QVÆST. LXIX.

Cap. V.

ARGVMENTVM.

Testes de Auditu, an, & quando probent, si loquentis vocem sibi bene notam habere asserant.

TESTES de Auditu proprio, ab
31 iis, quorum personam cognoscunt ad vocem, probant, tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus: sed in Criminalibus non sunt omni exceptione maiores; & propterea vnicus non facit indicium ad torturam, nec duo ad condemnandum.
32 Et quandocunque probant, dummodo habeant sic notam vocem loquentis vt decipi non possint; & hoc est remissum arbitrio Iudicis considerandum. Eóque minùs probarent, dicentes se audiuisse ex loco, ex quo à communiter accidentibus audire non poterant: & quando dicerent, se audiuisse aliquem acclamantem, requireretur necessariò, vt dicerent notum habere clamorem: diuersa est enim *vox*, à *clamore*; & potest stare, quod quis notam habeat *vocem*, & non *clamorem*. In testamentis verò necesse est, vt 33
dicant, *vidisse*, & *audiuisse* Testatorem: ac demum generaliter debent habere notam vocem de recenti, non autem de præterito: vsque ad *n.* 174.

EX QVÆST. LXIX.

Cap. VI.

ARGVMENTVM.

Testes de Auditu, ex interiecto pariete, vel cortina, an & quando probent.

TESTES, qui dicunt ex interiecto pariete, vel cortina audiuisse illum, 34
cuius vocem notam habent, aliquid dixisse, promisisse, stipulatum esse, aut aliquem alium Actum inter viuos fecisse, probant: Quamuis Alij contrà. Et sin- 35
gulariter probant Matrimonium, si dicant, ex pariete, vel cortina audiuisse verba apta ad illud contrahendum: non verò, si ageretur de eo dissoluendo. In Criminalibus verò Testes *Cortinati*, vel *post parietem* ad cautelam positi, nullo pacto probant. Multóque magis, & generaliter 36
probarent tempore Pestis. Et specificè in crimine læsæ-Maiestatis, putà, in probando tractatum, & conspirationes, quæ secretè vt plurimùm inter Perduelles & Latrones fiunt, si eorum loquentium vocem notam habeant: sed notabiliter deponentes de Auditu infirmi, in facti specie 37
proposita, nihil probant; ea potissimùm ratione, quia vox infirmi alteratur, & non est eadem quæ erat dum bona valetudine vtebatur: vsque ad *num.* 197.

***

EX QVÆST. LXIX. Cap. VII.

ARGVMENTVM.

Testes, qui de Auditu, vel etiam retrò secus cortinam, aut parietem stantes deponunt super copula carnali, an, & quando probent.

TESTES de Auditu dicentes audiuisse aliquos carnaliter se cognoscentes, & commiscentes, ex interiecto pariete, dictam carnalem copulam, & coniunctionem optimè probant. Et
38 quamuis Alij contrà: non recedas; quia Regula verissima est, & communiter recepta. Quinimò non solùm probant dicentes audiuisse oscula, tergiuersationes,
39 & alios actus venereos, sed etiam de confessione extraiudiciali ab eis, qui se commiscuerunt, iuncta fama; etiam ad impediendum Matrimonium, nedum ad illud contrahendum: quinimò etiam quando principaliter agitur, & controuertitur per accusationem tori separatio: vel si agatur ad dissoluendum, & dirimen-
40 dum Matrimonium: ac generaliter in quocunque alio casu, & ad quemcunque alium finem. Sed in Criminalibus sufficiunt tantùm ad imponendam pœnam extraordinariam. Multóque magis quando agitur de probanda copula carnali, si dicant, ex interiecto pariete audiuisse strepitus, oscula, anhelitus, motus, cubilis motionem, & similia; dummodo deponant de Auditu proprio, si iungantur fama, & adminicula; quæ qualia debeant esse in proposito? Iudicis arbitrio remissum est.

EX QVÆST. LXX. Cap. I.

ARGVMENTVM.

Testes deponentes sine ratione, & causa scientiæ, quando probent, nécne.

1 OPPONITVR vigesimo-tertiò, contra Testes, quod *sine ratione, & causa scientiæ* deposuerint: Et in proposito firmatur Regula, quod scilicet Testis, ad hoc vt probet, debeat sui dicti rationem reddere: & nisi interrogatus reddat, siue interrogatio sit implicita, siue explicita, nihil probet: eo magis, quando deponit super iis, quæ Iuris sunt, & iu- 2
dicio intellectus percipiuntur; licèt secùs si deponeret super iis, quæ modico discursu intellectus percipiuntur. Sed quando reddere rationem & causam scientiæ Testes tenentur, nisi reddant, seu red- 3
dant non bonam, congruentem, concludentem, generalem, necessariam, & manifestam, non probant, nec etiam faciunt præsumptionem. Et in tantum attenditur hæc *ratio*, vt si ea fuerit bona, & concludens, probet ipse Testis, etiam quod eius dictum non concludat: vsque ad *num.* 13.

Depositio verò Testis sine *ratione*, est ipso iure nulla: eóque magis in Cri- 4
minalibus; siue agatur de condemnando, siue de torquendo: & siue de pœna corporali, siue de pecuniaria: debétque deponere de certa notitia. Et in tantum procedit, vt etiam ex vnico Teste ratio- 5
nem reddente, deferatur iuramentum suppletorium. Eóque fortiùs dicta *ratio* reddi debet, quando Testis deponit super Negatiua, nisi ista per coarctationem subiecti facillimè potest apprehendi: vsque ad *num.* 27.

Et tunc valet *Statutum* volens adhiberi fidem Testibus, reddentibus ma- 6
lam rationem eorum dicti, quando mandat probari sine redditione causæ: secùs, si cum mala causa: quia generaliter sine causa non probat, siue deponat ad obligandum, siue ad condemnandum. Eóque fortiùs in iis, quæ sunt difficilis probationis; quamuis Iudex habeat liberum arbitrium: quia simili Testi adhuc non potest fidem adhibere, etiamsi sit Arbiter, vel Arbitrator: præsertim, si agatur de re- 7
probatione Instrumenti: Imò Testis dolosè tacens, & non reddens rationem, nisi sit Rusticus, & simplex, potest puniri de falso; præsertim quando Pars dedit Interrogatoria in causa scientiæ, & super illis non fuit examinatus culpâ, & negligentiâ Iudicis, vel quando Testis iurauit dicere, siue interrogatus, siue non. Eóque fortiùs, quan- 8
do deponit super aliquo æquiuoco, quod pluribus modis sciri, & intelligi potest: siue deponat super qualitate personarum,

siue

9 siue super Dominio. Idem est in Deponentibus super fama alicuius rei, vel Persona, si Testis sit Peritus, & talis, vt verisimiliter possit scire quid sit fama. Idem in deponentibus super notorio, cuius cognitio cùm sit Iuris potiùs quàm facti, ideo non interrogati rationem reddere debent. Et licèt in
10 causa *Mutui*, multi dicant, & multi negent, id requiri; concilia, quod Affirmatiua procedat in contractu Mutui, Negatiua verò in numeratione pecuniæ, quæ est quid facti: vsque ad *num.* 59.

Extende ad Deponentes super *ebri-*
11 *etate*, *furore*, *adulterio*, *amicitia*, *inimicitia*, *valore*, *æstimatione rei*, vbi agitur, & requiritur diligens inquisitio, & perspicax ruminatio æstimationis; secus in æstimationibus Peritis, quibus non est necesse rationem reddere. Alij contra. Item in probatione
12 *Præscriptionis*, *Miraculorum*, *diligentiæ*, *negligentiæ*, *iracundiæ*, *doctrinæ*, *iurisdictionis*, *territorij*, *Iuris decimandi*, & similium; quibus omnibus in casibus etiam non interrogati, rationem reddere debent. Iterum amplia in pro-
13 batione *Clericatus*, quo casu non probat, nisi adiiciat quia vidit eum ordinari: sed si dicat illum vidisse incedere in habitu, & tonsura, præsumptiuè tantum, & semiplenè probat. In
14 casu verò *Stipulationis*, non sufficit, Testem dicere, stipulationem interueniisse, nisi etiam referat verba stipulationis. Item super *Obligatione*, vel *Hypotheca* alicuius rei. Quod quis sit
15 *vagabundus*: Quod res aliqua sit *feudalis*. Item super *comparatione literarum*; super *tenore* Instrumenti deperditi, super *vi illata*, super *deterioratione* alicuius rei. Item quando agitur de probando *mortem* alicuius, *ætatem*, *habitationem*, *confinia*, *delictum esse commissum in aliquo territorio*, *consanguinitatem*, *dolum*, & tandem *hæresim*: quibus omnibus casibus, etiam non interrogati vt suprà, rationem reddere debent: vsque ad *n.* 90.

EX QVÆST. LXX. Cap. II.

ARGVMENTVM.

Testes deponentes sine ratione, & causa scientiæ, in quibus casibus probent.

SICVT in præcedenti *capite* visi sunt casus, in quibus Testes te- 16
nentur rationem & causam scientiæ adducere; ità in præsenti percurruntur illi, in quibus iidem Testes ad id non obligantur ex quo.

Limita, non teneri, quando non interrogantur, exceptis quinquaginta 17
tribus casibus desuper enumeratis, & expositis in *præcedenti capite*. Et quicquid sit in illis, quæ sensu intellectus percipiuntur, secùs est in illis quæ sunt facti, & sensu corporis percipi possunt: sed si Testis deponat de re, quæ simul *sensu* corporeo, & 18
iudicio *intellectus* percipitur, tunc inspici debet, an prævaleat iudicium *intellectus*, an verò iudicium *sensus*; quia si prævaleat iudicium intellectus, non probat Testis, nisi rationem reddat; secus è contra. Quando verò depositio Testis est adminiculata, tunc videtur probare, etiam si sine ratione emanauerit: sed si Te- 19
stis in sua depositione rationem reddidit, eam amplius assignare non tenetur, quamuis interrogatus: quod si hoc casu interrogatus reddat rationem nullam, & inualidam, non per hoc vitiatur eius dictum, si ista secunda ratio sit concordabilis cum prima. Si verò Reus deponat ad pur- 20
gandam tuam innocentiam, rationem reddere non tenetur. Similiter in Peritis, qui non tenentur reddere rationem, & causam scientiæ, quando de eius scientia deponunt, nisi essent electi à Parte, quia tunc singulariter reddere tenentur: vsque ad *num* 106.

Testes item deponentes super *delicto*, 21
& maleficio cadente sub sensu corporeo, quando non agitur criminaliter ad pœnam, rationem reddere non obligantur. Sed si quis dicat *Scio*, *Seium*

occidisse Titium : non probat ; nisi red-
22 dat rationem : cùm , dicendo se scire, loquatur obscurè , cùm possit esse , quod per vehementem suspicionem sciat : sed si dicat *verum esse , quod Titius occidit Seium* , tunc bene probat , etiam sine ratione , dummodò eius dictum
23 sit adminiculatum. In Ciuilibus verò , Testis rationem reddere non tenetur , quando illam percipere non potest per sensum corporeum : & id propriè contingit quando deponit de tempore ; vt putà , si dicat , *Hodie sumus de mense Augusti* , si interrogetur quomodo id sciat , non est necesse vt rationem reddat. Singulariter , & notabiliter depo-
24 nentes super *numeratione pecuniæ* , super *solutione* , super *Actu* , aut *Contractu* facto ab aliquo , siue super *colore* alicuius Rei , quia præsumitur semper sensus *Visus* , redditio rationis non requiritur. Similiter quod quis cantet *altè* , vel *bassè* , *& malè* , vel *bene* ,
25 quia in iis præsumitur sensus *Auditus*. Item , quod res sit *dulcis* , vel *amara* ; quia præsumitur sensus *Gustus*. Item tandem super *mollitie* , vel *duritie* ; quod sit *boni* , vel *fœtidi* odoris ; quia subintelligitur sensus *Tactus*, vel *Odoratus* : vsque ad *n.* 121.

In probatione *possessionis* , licèt *suprà*, *in antecedenti capite* fuerit dictum , quod
26 Testes non probant , nisi rationem reddant ; tamen quando dicunt , quod *Titius tenebat* , vel *possidebat talem rem* , non interrogati , non tenentur assignare causam scientiæ ; quia *possidere* cadit sub sensum *Visus* : & si dicant , quod *benè* , aut *iustè* possidebat , intelligitur de possessione facti , & naturali , non autem Iuris : & hac naturali probata , dicitur probata Ciuilis , quæ
27 animo retinetur. Quod non procedit, quando Testis dixit , quem possidere, patiente , & sciente Titio ; non enim talem patientiam , & scientiam probat , nisi reddat rationem : vsque ad *numer.* 127.

EX QVÆST. LXX. Cap. III.

ARGVMENTVM.

Qualis debeat esse Ratio , & Causa scientiæ , ad hoc , vt dictum Testis sustineatur , & probet.

INSPICITVR in præsenti *capite* qualis esse debeat *iusta Ratio* 28
& causa scientiæ : & ad hoc infra scriptæ Conclusiones formantur.

Prima sit quod *Ratio* reddi debeat , & quod reddi debeat per sensum corpo- 29
reum , nempè Visum , Auditum , Gustum , Odoratum , & Tactum : & alio modo reddita , non sit bona *n.* 127.

Secunda , quod reddi debeat per sen- 30
sum aptum illi Rei , super qua deponitur ; aliàs non valeat : quia vbi Testis deponit de iis , quæ sensu Visus percipiuntur , Ratio reddenda est per sensum Visus, & non Auditus : & sic de singulis : aliàs non sustinetur *n.* 128.

Tertia , quod Ratio *quia vidit* , aut *te-* 31
tigit , videtur bona , etiam in iis , quæ Auditu , aut alio sensu percipiuntur. Alij contra. Concilia , quod procedat in Teste Idiota : secus in sagaci : seù quando percipitur per sensum multùm affinem cum sensu Visus , & Tactus ; ex quo in re perceptibili per vnũ sensum, potest afferri ratio per alium; quando communis Sensus Vsus accipit vnum pro alio: vsq; ad *n.* 135.

Quarta sit quod quando agitur de pro- 32
batione alicuius rei; quæ duplici sensu percipiatur, tunc ratio reddi debeat per vtrũque sensum, quo res illa percipitur. Declarando tamen , quod in re proportionabili sensus Visus, & Auditus, si Testis deponat per sensum Visus , valet vtique talis ratio , siue res proportionetur vtriq; sensui distributiuè, siuè etiam copulatiuè : & hinc est, quod si testis deponat Seio promisisse Ti- 33
tium per *stipulationem* , quia hæc vtroque sensu percipitur, sufficit hoc casu rationem reddere per solam causam Visus : si autem res sit proportionabilis sensui Visus, & Auditus simul dubitatiuè, tunc sufficiat rationem reddere per sensum Auditus : secùs è contra : vsque ad *n.* 142.

Quinta, quod Testis interrogatus de ra- 34
tione, si respondeat, *Seio, quia percepi sensu corporis*; non videtur bona ratio: sed verius est , quod sit bona , secundùm *Authorem*, & per relatos ab eo *n.* 144.

Sexta,

Sexta, non est bona ratio illa, quæ sit
35 eadem cum dicto; & hinc non probat Testis dicens, *scio, quia scio*; vel *scio, quia ità est. num.* 147.

Septima, sufficit rationem concludere probabiliter, vt in pluribus, & frequenter
36 ac communiter accidentibus in iis, quæ directè, & immediatè percipi non possunt; secùs in iis, quæ per immediatum sensum corporeum percipi possunt. *n.* 148.

Octaua, quod ratio reddenda per Testem satis sit quod reddatur implicitè, ac
37 eius depositio habeat in se causam annexam, & implicatam, ex qua directè vel indirectè, expressè, vel tacitè concludens, bene concludat *n.* 149.

Nona, sufficit quod talis ratio reddatur naturaliter, & grosso modo non enim exi-
38 gitur à Teste ea ratio, quæ à Philosopho, & Legista reddi posset *n.* 150.

Decima, quod in Testimonio conscientiali, quando Testis deponit de eo,
39 quod in sua conscientia credit, non requiratur ratio per sensum corporis *n.* 151.

Vndecima, quod bona sit ratio Testis, dicentis, *scio, quia fui præsens.* Et licèt,
40 Alij contra; non recedas: Sed Amplia, quod vbi Testis deponit assertiuè aliquid factum, vel dictum, præsumitur fuisse præsens, si deponat de sua propria præsentia secus, si de præsentia alterius: neque hoc sufficeret, quando ageretur de probando,
41 aliquem consensisse: neque in Statutis, Legibus, & Contractibus, vbi Physicè requiritur Testium præsentia; quia tunc rationẽ reddere debet de auditu, & intelligentia: quare notabiliter dicas conclusionem procedere, quando Testis dicat, *scio, quia fui præsens*: vsque ad *num.* 159.

Duodecima, quod ratio per Testem reddenda, potest reddi per decem prædi-
42 camenta, relata à Baldo *in L. Solam, n.* 7. *vers. istis sic præmissis: iuncto n.* 8. *C. de Testib.* latiùs *in C cum causam, num.* 37 *vers. vlterius prosequor, & seq. extr. eod.* paritérque dicitur bona, quæ redditur per quatuor causas, nempè materialem, formalem, efficientem, & finalem: vsque ad *n.* 361.

Decima-tertia, non esse bonam, quam
43 Testis reddit dicendo *scio, quia nullus dubitat*; vel *scio, quoniam omnes dicunt. n.* 162.

Quarta-decima, non est bona ratio
44 Testis dicentis, *scio quoniam certus sum*: quia adhuc teneturreddere rationem suæ certitudinis *n.* 162.

Quinta-decima, bonam esse rationem
45 Testis dicentis, *scio, quia sic reperio in meo memoriali. num.* 163.

EX QVÆST. LXX.

Cap. IV.

ARGVMENTVM.

An sit bona ratio, quando Testis dicit, Scio, quia sum Vicinus, vel Consanguineus.

REGVLA firmatur, bonam esse rationem, quando Testis interrogatus in causa scientiæ dicat, *Scio, quia sum Vicinus,* 45
vel Consanguineus: & licèt Alij contra, non recedas. Quinimò Ampliando, dictum Vicini prævalet aliis non vicinis, præcipuè quando agatur de probando *habitationem, ætatem, mortem, possessionem,* quem esse *Vsurarium* in genere, mulierem esse *meretricem*; *hæresim*: sed hoc casu necesse est, vt deponat de aliquo actu in speciem hæresim sapiente, & quod ille actus sit talis, qui de sui natura possit esse notus vicinus. Item Amplia, quando agitur de probando, quem *Blasphematorem esse Aleatorem, Fornicatorem, Venatorem, vel Prodigum*: vsque ad *n.* 180.

Non sufficeret attamen dicta ratio in iis, quæ cadunt sub iudicio *intellectus,* 47
& non sub *sensu* corporis: vel quando ageretur de probando aliquem *actum*, seu *contractum*, factum in domo Vicini, vel Consanguinei: seù in probatione *adulterij, stupri*, vel alterius particularis *delicti* in domo commissi: & generaliter, quando talis ratio admittitur, ex ea non resultat probatio generalis, & concludens, sed tantùm præsumptiua: benè verum est, quod ista præsumptio, cùm dicatur *iuris*, sufficit ad condemnandum, donec aliud probetur: vsque ad *n.* 189.

Et illatiuè ex probatione Testium reddentium rationem, *quia Vicinus* seù *Con-* 48
sanguineus; non potest pœna ordinaria imponi eóque magis in Criminalibus. Imò sententia ex tali ratione lata, tamquam in præsumptionibus fundata, nunquam transit in iudicatum; nec ex istis defertur iuramentum in supplementum; quia Regula procedit, quando Vicinus, seu Coniunctus deponit de actu successiuo, & frequentato; secùs, si super momenta-
neo, vel super eo, quod oculos vicini la- 49
tère potest; seu in illis, quæ communiter illis non innotescunt: quare non concludunt,

dunt, nisi in communiter accidentibus, & à Iure præsumptis; secùs in aliis: ex quo bene valent ad probandum quid in genere, non quid in specie: ac omni casu, quo dicta ratio admittitur vicinitas, & coniunctio probanda est per duos Testes, nec
50 sufficiat assertio vicinitatis, & coniunctionis, nisi quando essent duo Testes, qui se inuicem referrent, & nominarent ad inuicem pro Vicinis, & Coniunctis: vsque ad *n. fin.* 206.

EX QVÆST. LXXI.

Oppositio XXIV.

ARGVMENTVM.

De fide, & probatione Testium, deponentium extra Articulos.

1 REGVLARITER Testis deponens *extra Articulos*, nihil probat: quamuis sit inductus super vno Articulo, si examinetur super alio, si super illo speciali iurauit dicere veritatem; vel id, super quo examinatur, nihil faciat, vel pertineat ad contenta in dicto articulo. Extende, quod nec etiam
2 probet non interrogatus Respondens: & illatiuè, quod inductus super *Mutuo*, nisi de numeratione pecuniæ deponat; vel inductus super *possessione*, nisi de proprietate dicat, non probet, nisi iurasset veritatem dicere super tota causa, & proprietas articularetur, seù ex proprietate possessio ad-
3 minicularetur: secùs è contra. Ex quo deponens falsum extra articulos, non dicitur Periurus, nisi iurasset veritatem dicere super tota causa: quod præsumitur, si simpliciter iurasset: vsque ad *n.* 18.

4 Verùm, quando Testis deponit extra articulos, sed aliquo modo tamen facit, & pertinet ad causam, seu esset de connexis, dependentibus, & accessoriis ad articulos, talis Testis *vt suprà* distinguendo probat: secùs quando Iuramentum non releuaret, nec depositio valeret, nisi porrigeretur ad dependentia, connexa, & accessoria: vel quando licèt extra articulos conferret ad
5 declarationem eorum, quæ in articulo continentur. Simile est, quando intelligens verba articuli antequam illis respondeat, declaret quomodo ipse intelligat, & quomodo intelligat verba sua: per Regulam, quod *qui declarat, nihil extraneum dicit*: vsque ad *n.* 26.

Similiter inductus super articulo *veritatis*, si deponat de *fama*, & non de veri- 6
tate, non dicitur deponere extra articulos: sed è contrà, inductus super *fama*, non va- 7
let, si deponat super *veritate* facti, relictâ famâ. Inductus super *Mutuo*, non dicitur deponere extra articulos, si vltra mutuum dicat, quod Creditor fecit pactum de non petendo. Et tandem quando articuli non sunt perfecti, & plenè compositi, si Testis deponat factum non perfectè in articulis explicatum, non dicitur deponere extra articulos: vsque ad *n.* 31.

EX QVÆST. LXXI.

Oppositio XXV.

ARGVMENTVM.

De fide, & probatione Testium, non cognoscentium Litigantes, Contrahentes, vel Notarium.

TESTES *non cognoscentes* Liti- 8
gantes, nihil probant: præcipuè in Criminalibus, in quibus necessariò cognoscere debent eum, quem deliquisse dicunt. Amplia, quod etiam debeant esse noti Iudici in Criminalibus: ac singulariter in solutione debiti per Iuramentum contracti, non debent esse trascuntes, & ignoti. Quod si dicant non cognoscere Partes litigantes, sed benè cognoscerent 9
si viderent, debent ipsæ Partes eisdem Testibus exhiberi in vestibus consuetis, ità quod illis non ingeratur difficultas recognoscendi. In Instrumentis verò, licèt Aliqui dicant Testes non debere cognoscere Contrahentes, hoc est intelligendum per prius, si agamus de *Iure*; quia in *praxi*, præcipuè in Ciuitatibus recipiuntur in *Instrumentis*, quamuis nec 10
priùs, nec postea de Contrahentibus notitiam habeant: In *Inuentariis* pariter Testes cognoscere debent Hæredem, sed non tamen Defunctum. Idem in Instrumento celebrato in scriptis per *Imperitum literarum*, in quo Testes debent cognoscere Contrahentes, si scriptura sit nomine *Imperiti*, & scribere ignorantis: sed si
Tabellio interueniat, non est necesse vt 11
cognoscat. In Apocha, seu alia scriptura priuata, debent etiam Testes cognoscere Contrahentes: eóque magis in Testamentis debent & cognoscere, & intelligere Testatorem, in actu ipsius Testamenti,

menti, non autem per prius, nisi adsit
12 Statutum in contrarium, provt est Bononiæ. Iudex autem, & Notarius, non est necesse, quod cognoscant Contrahentes, seu Litigantes, nisi in Instrumentis Notarius scriberet certam qualitatem Testium; putà, quod fuerint idonei, vel possideant in bonis, &c. Alij contra: præcipuè ex *Bulla* Pij IV. *in ordine* 74. quæ tamen, si bene intelligatur, non necessitatiuè, sed ad bene esse disponit. Quando verò Testes cognoscere debent Litigantes, non omnes tenentur cognoscere, sed tantùm eos, de quorum dicto, vel facto deponunt; & ideo quando de personali actione agitur; secus, si de reali. Sufficit 13
quandocunque, vt cognoscant tempore quo deponunt per nomen, pronomen, & personam, licèt tempore actus non cognouerint nisi personam; & è contra Litigantes non tenentur cognoscere Testes: vsque ad *num.* 60.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.
PROSPERI FARINACII
PARS OCTAVA.
EX
LIBRO TERTIO, TITVLO OCTAVO, QVÆST. LXXII. CAP. I. DE OPPOSITIONIBVS CONTRA EXAMEN TESTIVM.

ARGVMENTVM.

Testes examinati Parte non citata, quid, & quantùm probent generaliter, & præsertim in Ciuilibus causis.

PPONITVR 26. (& nunc ingredimur cum *Authore*, oppositiones contra examen Testium) quod Testes sint examinati, Parte
1 non citata: ex quo Regula firmissima remanet quod non probent, quamuis recipiantur ante litem contestatam, & ad perpetuam Rei memoriam; quo casu citatio esse debet personalis, si agatur de magno præiudicio, vel si examinentur ad effectum publicandi eorum dicta; secùs quando timeatur de eorum morte vel absentia diuturna, tunc enim, citationem ad domum sufficere, plerique voluerunt: imò nec citationem requirit, quando timeatur potentia Aduersarij, vel sit periculum in mora: de hac materia vide *infrà*, *hac eadem quæstione*, & *q.* 76.

Extende, quod citatio requiratur nedum in receptione, & examine Testium, 2
sed etiam in admissione, & productione articulorum, etiam in causis vbi agatur Iuris solemnitate non seruata, in Summariis, in causis Mercatorum, vbi proceditur de bono & æquo, Manu Regia, sola facti veritate inspecta, vel vbi Iudex habeat quodlibet liberum, & absolutum arbitrium. Et in examine, & receptione 3
Testium nedum requiritur dicta citatio, verùm etiam si Pars citata comparere non potuerit ex iusto impedimento, talis

receptio erit nulla, & si lis fuerit contestata cum Procuratore,& non cum Domino, Procurator erit citandus, non autem Dominus: requiritur enim ista citatio, etiam quod Testes producantur in dilatione concessa ad Partis iustantiam, nisi esset præfixa certa dies ad producendum Testes, vel producerentur in vltima die termini, vel Pars esset citata ad videndum iurare Testes singulis diebus, & horis.

Regula procedit, etiam in Iudice delegato, cui simpliciter sit commissa examinatio Testium, nec non in dictorum Testium publicatione, quamuis causa tractaretur coram Principe, in tantum vt Testes examinati Parte non citata,nihil probent, licèt sint mille, etiam ad fauorem non citati; nec conualidentur ex eo, quod fuerint examinati cum interrogatoriis ipsius Partis. Sed quia hic articulus est dubius: *Author* firmat, isto casu, Testium depositionem valere coram Iudice, cuius arbitrio commissa est causa. 4

Excipiuntur à Regula plures casus, & signantur quando periculum est in mora; quando agitur contra Debitorem suspectum de fuga; vel quando est timor mortis, seù absentiæ; verùm si Testes superuiuant tempore comparitionis Partis, & litis contestandæ eorum dictum euanescit, nec faciunt probationem, sed tantum fumum ad habendas remissorias ad partes, vbi Testes reperiuntur, pro illorum examine ritè faciendo. Timor autem mortis, vel absentiæ debet esse talis, vt rationabiliter sequi prætendatur, si Pars antea citaretur, vel lis contestaretur. Quando verò timetur potentia Aduersarij, ad hoc non sufficit sola, nisi iungatur timori absentiæ, vel mortis: Et licèt dicant aliqui talem citationem non requiri, quando Testi nihil opponi posset, hoc tamen durum est, nec *Authori* placet: vsque ad *n.* 51 5 6

Non requiritur citatio quando recipiuntur informationes super habilitate vel inhabilitate alicuius personæ, ad aliquam dignitatem promouendæ. Quod intellige ante promotionem; secùs, si postea ageretur ad eundem dignitate priuandum. 7

Non requiritur in longinquis partibus absente Parte, vt putà, in probando naufragio in mari, furto in nemore, & similibus; dummodo tales probationes sic receptæ, exhibeantur infra annum, & agatur de damno vitando; vt in Mercatoribus, qui in itinere fuerunt spoliati; vel in mari naufragium passi. Item quando ageretur de probatione Consuetudinis à Populo eiusdem Ciuitatis introductæ,si talis Consuetudo recipiat litis ordinem, non causæ decisionem: & dummodo Consuetudo sit notoria. Idem quando agitur coram Iudice procedente inspectâ æquitate naturali, vel valente iudicare secundùm suam conscientiam, vel sine causæ cognitione, vt est Arbitrator. Idem in probatione mortis, nisi agatur in causa Criminali, sed tamen quandocunque non potest procedi ad sententiam diffinitiuam. Idem quando Testis reproducitur ad declarandum eius dictum; sed de hoc dubitat Author, nec admittit, quia licèt in hoc Teste non requiratur Iuramentum, attamen sine interrogatoriis declaratio alterari potest. Et licèt, quando examinatur Mulier egregia in eius domo, dicant multi non requiri; Contrarium est verius: vsque ad *n.* 70. 8 9 10 11 12

Non requiritur adhuc, quando Testis deponit verisimilia coram Iudice procedente *sola veritate inspecta*, nec in causa *spolij*, aut vbi *stylo*, seù *Consuetudine* hoc esset introductum: Verùm iste stylus, & Consuetudo est abusiua, & non tenenda in causa Criminali, vbi præsertim de vita hominis agitur. Possunt Testes Iudici licentiam impartiri recipiendi Testes sine citatione, seù ipsis non citatis, nec sunt citandi quando adsunt in receptione Iuramentorum Testium: quinimò sufficit pro citatione, Iudicis monitio, & Pars citata si sit Contumax, adhuc examinatur: quinimò sufficit citatio ad Domum, quæ sit vnica, nec trina, & peremptoria requiritur: & demum non requiritur in actu depositionis Testium,sed in actu Iuramenti. Alij contra: vsque ad *n.* 86. 13 14

Verum hæc citatio ad videndum iurari Testes, & ad examini interessendum, in Statu Sereniſſimi Magni Ducis Domini mei non practicatur, sed tantùm productis articulis Pars citatur ad dandum interrogatoria, & postea absque alia citatione Testes examinantur per Iudicem nullo adhibito interprete. 15

EX QVÆST. LXXII.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Testes Parte non citatâ quantùm probent in causa Criminali.

TESTES examinati in causa Criminali, Parte non citatâ, nec probant, 16

bant, nec vllum faciunt indicium: quinimò citatio etiam requiritur quando Testes repetuntur in tortura, seù quando infertur pro validitate testimonij. Non tamen intelligas quando proceditur contra contumacem, seù per inquisitionem ex
17 officio. Et quicquid Alij dicant hoc vnum est verum, quod Testes pro informatione Curiæ examinati Reo præsente, nihil probant, nisi eo citato confrontentur, seù repetantur. Similiter quando Iudex sumit
18 informationes super *notorio* facti permanentis, vel super fama, ad hoc vt ex ea possit formari inquisitio, talis citatio non requiritur. Extende ad crimen Hæresis, Læsæ Maiestatis, Assassinij. Probant
19 etiam Testes mortui antea examinati absque citatione, quia mors habet vim Iuramenti: citatio, & Iuramentum æquiparantur; & ideo mortui, antea examinati inter alios, faciunt semi-plenam probationem contra Tertium non citatum.
20 Alij contra. Sufficiunt generaliter ad capturam, ad recipiendum informationes, sed Reo capto debent repeti, vt probent: & quando sumus in aliquo casu, vel delicto, ad cuius probationem non requiratur plena probatio, sed sufficiant ex *Statuto* argumenta, & præsumptiones, citatio pariter non requiritur. Alij contra, & forsan veriùs: vsque ad *n.* 39.

Confrontatio ad faciem Rei, habet
21 vim citationis: est enim in Iudicis arbitrio confrontare, vel repetere: sed quando habetur animus torquendi, talis confrontatio debet esse sicca, hoc est tangens delictum principaliter, non autem qualitates, & circumstantias; ad hoc vt possit videri, si Reus tortus confitendo dicat, vel non dicat veritatem, & sic si se conformet cum qualitatibus descriptis. Generaliter quan-
22 docunque potest fieri confrontatio: sed si eâ non obstante, Reus instet pro repetitione super eius Interrogatoriis, hoc non est denegandũ, nisi sit sagax sed Rusticus, & ignorans adeo vt per se ipsum Interrogatoria nesciuit facere, aut sibi reseruauit in cõfrontatione illa dare: sic dicit *Author* seruari in Vrbe; licèt de *Iure communi* indistinctè repetitio fieri possit, & debeat: vsque ad *n.* 49.

Quando Reus habuit Testes pro ritè,
23 & rectè examinatis, tunc defectus citationis eorum dicta non infringit: & licèt hoc practicetur in Statu Ecclesiæ, in Vrbe tamen Contrarium seruatur. Singulariter adhuc si Testes habiti fuerint pro ritè & rectè examinatis, potest Reus illos repetere cum suis Interrogatoriis; præsertim si hoc sibi reseruasset: quæ Declaratio pas- 24
sim & indistinctè admittitur vbicunque; Quidquid Alij contra sentiant. Non tamen sufficit, Iudicem habere Testes pro ritè & rectè examinatis, nisi Reus expressè eos habuerit; imò in dicta declaratione datur pœnitẽtia re integra, & ante habitas copias, nec censetur sublata nullitas, iu-
risdictionis defectu. Verùm in pluribus 25
locis adesse potest Consuetudo, seù stylus, quod Iudex possit decernere copias, habitis Testibus pro ritè & rectè examinatis, & ità practicatur me sciente in tota Hetruria sub ditione Sereniſſimi Magni Ducis, cui glorior ex natura, & voluntate subditus esse.

EX QVÆST. LXXIII.

ARGVMENTVM.

De Interrogatoriis examinando Testi faciendis? Quæ, & qualia sint per Iudicem admittenda; quibúsue Testis ipse respondere teneatur? Quando sine interrogatoriis à Parte datis examinatus probet, vel non.

POnitvr 27. quod Testes sint examinati *sine Interrogatoriis*: 1
in qua oppositione formatur Regula, Testes examinatos ab vna Parte posse altera Parte interrogari & super prædictis Interrogatoriis omnino examinari; alias non probare: quinimò Iudex non examinans super prædictis, tenetur Parti ad damna, & interesse: & quando sic interrogatur, Pars debet esse præsens, ad effectum me- 2
liùs quærendi circumstantias facti: Copia verò Interrogatoriorum dari non debet: & id procedit in quocunque Iudicio. Testes verò interrogari possunt non solùm super principaliter contentis, in articulis, sed etiam super illorum circumstantiis, ne non de loco, & tempore; non tamen possunt interrogari de qualitate temporis, putà, an fuerit nubilum, vel serenum, nisi testis esset alias suspectus. Possunt etiam interrogari de credulitate, & cer- 3
titudine, in cursu examinis, non autem in fine, ne inducatur contrarietas. Et licèt testis non possit interrogari de sua turpitudine, hoc tamen fieri posset, quando ista esset occulta. Item interrogari pos- 4
sunt in causa scientiæ, & ad diffinitionem illius rei, super qua deponunt; sed non

non tenentur respondere per diffinitionem
5 *Iuris*; quinimò etsi sit Peritus, eam assignare non obligatur: vsque ad *n.*48.

Interrogatoria impertinentia, incongrua,
6 superflua, & extra articulos, non sunt admittenda: & testis illis respondere non tenetur. In dubio verò superflua non sunt iudicanda, nisi essent subtilia, cauillosa, & solummodò facta ad inuoluendum testem; quæ tamen admitterentur,
7 si ipse testis esset aliàs suspectus. Hic non potest interrogari de iis, quæ turpitudinem, infamiam, seu crimen ab ipsis commissum continent, siue crimen sit occultum, siue publicum, nisi ageretur principaliter de ipso crimine. Quod si interrogatus, vbi interrogari non poterat, crimen fateatur, sibi imputet, quia ipsi contra seipsum creditur. Tenetur tamen testis
8 (& hoc non habet difficultatem) respondere ad omnia ea quæ redderent eum inhabilem, excepto crimine, siue in specie,
9 siue in genere. Et licèt Interrogatorio continenti nouum capitulum responsio de necesse non sit danda, attamen, si testis iurauerit super tota causa, respondere tenetur: vsque ad *n.fin.*74.

EX QVÆST. LXXIV.

ARGVMENTVM.

Testes sine iuramento examinati, an, & quando probent; & sub qua forma iurare debeant.

PPONITVR vigesimo-octauò,
1 contra Testes, quod sint examinati *sine iuramento*: Et Regula firma remanet, testes *non iuratos* minimè probare, quamuis nulliter iurauerint; quia ad validitatem Iuramenti requiritur vt testis iuret de tota veritate dicenda (id in practica non seruatur) quod iuret super tota causa, quod iuret se nullo modo corruptum, sed hoc subintelligitur ex monitione facta à Iudice; quod iuret, testimonium suum ante publicationem nemini reuelaturum, & hoc practicatur specificè in causis arduis, licèt in omnibus sit de forma, & aliàs faciens Testis possit puniri. Et licèt iura-
2 mentum præstari debeat super Sancta Dei Euangelia, de consuetudine Laïci iurant tactis scripturis; Clerici Sacerdotes, tacto pectore; Equites tacta Cruce, Debet testis iuramentum præstare per seipsum, non per Procuratorem, in Iudicio, & non alibi. Et datur Cautela à DD. quod depositio antea non iurata ex subse- 3
quenti iuramento validetur, iurando scilicet, & referendo succinctè quod antea deposuerat: Sed hæc Cautela communiter reprobatur, licèt in dubio, quando non apparet iuramentum præcessisse depositionem, ad validitatem eiusdem præcessisse præsumitur. Nec sufficit, testem iurare, sed etiam requiritur præsentia 4
Partis, aut saltèm eius citatio; quod non procedit coram Arbitratore; quinimò nec Statuto fieri potest vt testi non iurato credatur, nisi id firmet in personis integritate vitæ conspicuis, Illustribus, & Nobilibus; sed quia iuramentum est de Iure diuino, ideo nec etiam Papa potest rescribere, quod Testi non iurato credatur. In proposito verò iuramentum non præsu- 5
mitur, nisi expressè de illo appareat: quinimò nec præsumitur solemniter præstitum, quamuis Notarius in Actis scripserit, *Testis iuratus*, nisi etiam dicat, *tactis scripturis*; quod tamen non procederet in Antiquis.

Obstetricibus verò inspicientibus, & referentibus, an Mulier sit prægnans, Medicis iurantibus, an vulnus sit lethale, aut quid simile, quidquid dicant multi, indistinctè *Author* tenet, sine iuramento fidem non adhiberi; licèt circa modum iurandi sit differentia: quia si deponant super re perceptibili sensu corporeo, iurare 6
debent de veritate dicenda; si verò de iis, quæ solo sensu, iurare debent de credulitate.

Et in tantum iuramentum est de substantia depositionis, vt nec remitti possit, 7
siue à Parte, siue à Iudice, præsertim vbi agitur de præiudicio publico, vel animarum.

Testibus mortuis creditur, etiamsi viuentes absque iuramento deposuerint. Idem in probatione famæ, quando Iudex procedit super *notorio* facti permanentis. In probatione Consuetudinis inductæ à 8
Populo, & generaliter in testibus receptis pro informatione Iudicis. Ex quo infertur ad Iudicem deputatum pro conferendo beneficio, *si eum idoneum inueneris*; qui stante illa clausula super idoneitate, testibus non iuratis credere potest: Et generaliter quandocunque Testes non iurati faciunt aliquam præsumptionem, illa præualet, quæ habet pro se testem grauem, & omni exceptione maiorem, cùm iuramentum non possit dici de forma, aut solemnitate substantiali ipsius testimonij: vsque ad *n.fin.*111.

EX

EX QVÆST. LXXV. Cap. I.

ARGVMENTVM.

Quid, & quotuplex sit Testium publicatio? Quæ requirantur ad illius formam, & substantiam? Quando publicationis omissio vitiet sententiam, & processum? Quando Testes non publicati probent, nécne.

OPPONITVR vigesimo-nonò, contra Testes, quod sint examinati *post publicationem*; & ideo nihil probent. Hanc Quæstionem dicit *Author* sibi difficillimam, & laboriosam fuisse, ac subtilissimam materiam continere. Constituit ergo in præmissis Regulam, quod tales Testes *examinati post publicationem non probent*, etiam in Curia Romana, in qua non solet peti publicatio, nisi in tertia Instantia; præcipuè quando sumus in diuerso Iudicio, & diuersa Instantia: imò non publicati coram illo Iudice, à quo fuerunt examinati, non possit alter Iudex eos publicare, ad hoc vt probent. Sunt igitur publicandi in omni causa: & non publicati, instantia peremptâ, & ipsi pereunt, nec etiam semiplenè probant. Sunt tamen semper publicati Iudici examinâti, siue Ordinario, siue successori, & Delegato in locum illius qui Testes examinauit, & probant in causa succedanea, nempè appellationis: eóque fortiùs si sint senes, valetudinarij, & ad perpetuam rei memoriam ante litem contestatam recepti. Et licèt Testes non publicati non probent, attamen Pars aduersa compellitur pati vt iterum publicentur, & examinentur: vsque ad *n.* 28.

EX QVÆST. LXXV. Cap. II.

ARGVMENTVM.

Articuli quando dicantur noui, vel antiqui, & quando dependentes. Item quando dicantur directè, vel indirectè contrarij.

IN hoc capite *Author* loquitur semper remissiuè, nihil firmando, sed tantùm referendo Doctores penès quos hæc tota materia residet: quare ex arida massa, succum extorculari non valemus; sed sicuti *Author* ad alios se remittit, ità nos te ad illum: poteris ergo relatos ab ipso videre, & signanter Specul. *in tit. de Testib.*

EX QVÆST. LXXV. Cap. III.

ARGVMENTVM.

Didicisse testificata quando quis dicatur.

TESTES non possunt examinari, nedum facta publicatione processus, verùm etiam ante eam, si Pars aliquo modo didicit testificata. Ex quo in primis. 6

Quæritur primò, an Pars dicatur testificata didicisse, si à Testibus antequam examinarentur audierit quidquid ipsi in eorum examine erant dicturi? Respondetur, quod non; nisi Testes reuelassent Partibus quidquid dicturi erant, Iudice præsente; ex hoc enim Parti præsenti censetur præclusa via ad producendum alios Testes: vsque ad *n.* 38. 7

Quæritur secundò, an Pars dicatur didicisse testificata, si à Testibus post eorum examen audiuit eorum depositiones? Pariter negatiuè respondetur, nisi Testes referentes essent multùm docti, amici fideles, nec ageretur de negotio, quod requireret magnum discursum: vsque ad *num.* 41. 8

Quæritur tertiò, si Pars didicit à Notario reuelante, an dicatur didicisse testificata? Respondè quod non, si Notarius perfunctoriè, & verbo volatili retulisset, nec esset multùm doctus; nec talis, vt ei fides adhiberi posset; maximè si ageretur de re, modico discursu non perceptibili; quia secus, si maturè & præmeditatè esset facta relatio. Quod dicitur de Notario, seruatur in Iudice: eo adiecto, quod si Iudex Partibus præsentibus, tacentibus, & audientibus legeret Testium depositiones, tunc dicerentur testificata discita: vsque ad *n.* 46. 9

Quæritur quartò, an dicantur discita quando dicta Testium ab aduersa Parte audiuntur? Respondè, quod si vna Pars dicat alteri simpliciter esse, vel non esse probatum, absque percunctatione eorum, 10

quæ

quæ ſpecialiter Teſtes dixerunt, tunc diſcita non præſumuntur; ſecus è contrà: vſque ad *n.* 48.

Quæritur quintò, vtrùm dicantur diſcita, ſi ab aliqua extranea perſona eorum 11 ſcientia habita fuerit? Dicas, quod non; niſi didiciſſet à ſuo Aduocato, vel Procuratore, qui atteſtationem perlegiſſet; vel ille Extraneus eſſet multùm doctus, legiſſet, tractaſſet, requiſiuiſſet, ſubtraxiſſet, penès ſe habuiſſet, ſeu quid aliud feciſſet, ex quo certam ſcientiam habere potuiſſet: vſque ad *n.* 52.

Quæritur ſextò, vtrùm diſcita, ſi fue- 12 rint lecta penès Notarium, vel aliam perſonam? Reſponde affirmatiuè, dummodò perfectè, & non perfunctoriè perlegerit. Aliàs ſecùs: præſertim ſi legens eſſet rudis, ſimplex, & non benè intelligens: vſque ad *n.* 55.

Quæritur ſeptimò, an dicantur diſci- 13 ta ex eo, quod illa ſubtracta, vel aliàs penès ſe *diſſigillata* ſeu reſignata reperiantur. Reſponde, quod ſic, ſi reperiantur originalia, vel etiam copiæ ſcriptæ manu Notarij. Secùs ſi manu Tertij: eóque fortiùs, ſi probet ea non legiſſe, vt putà, ſi reperirentur clauſa, & ſigillata: vſque ad *num.* 59.

Quæritur octauò, vtrùm ſi Pars cul- 14 pa, & dolo Examinantis, examini interfuerit, & audiuerit depoſitiones Teſtium? Dic, quod ſic: quamuis Alij contrà, dummodò Pars fuerit præſens perfectè, & punctualiter, ſeu in loco, vbi potuerit omnia bene audire, & tamen fieret vulgari ſermone, aut Pars fuerit docta, & bene inſtructa, & ageretur de re, modico diſcurſu perceptibili: vſque ad *n.* 67.

EX QVÆST. LXXV.

Cap. IV.

ARGVMENTVM.

Teſtes, an, & quando poſſint examinari poſt publicationem? Et quando examinati probent, nécne.

15 REGVLA conſtituitur negatiua, ſcilicet, quod poſt Teſtium publicationem & diſcita teſtificata non poſſint alij Teſtes examinari ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis: quinimò nec poſſint examinari poſt concluſionem in cauſa; ſeu poſt renunciationem, quia & hæc eſt terminus excluſiuus productionis; nec etiam in cauſa appellationis, quamuis teſtificata non fuiſſent diſcita. Et non ſolùm ſuper eiſdem articulis, ſeu directè 16 contrariis, ſed nec etiam ſuper nouis. Alij contrà: Sed prima opinio eſt verior, nedum in productione nouorum articulorum reſpectu rei petitæ, ſed & actionis intentatæ, tam ex parte Actoris; quàm ex parte Rei. Quæ procedunt quando articuli ſunt omnino noui, non facientes, neque pertinentes ad cauſam: vſque ad *num.* 87.

Extende, quod nec etiam in cauſis ſummariis; quia publicatio non ſolùm 17 impedit Partem principalem in aliorum Teſtium productione, verùm etiam eiuſdem Partis hæredem; niſi tamen eſſent non ritè examinati, non ritè recepti, adeſſet ſola publicatio, ſeu teſtificata non fuiſſent diſcita, vel cauſæ, aut perſonæ, prorſus & omninò eſſent diuerſæ. Et hinc 18 Teſtium publicatio facta in ſummario poſſeſſorio, non impedit productionem in plenario, niſi in ſummario Teſtes fuiſſent plenariè recepti: & hinc facta publicatione coram Arbitro, poſſunt alij Teſtes examinari coram Iudice: vſque ad *num.* 116.

Poſſunt etiam iterùm produci coram Arbitratore, ſeu amicabili Compoſitore, 19 ac etiam in Iudicio nullitatis, dummodo non tendant ad eumdem finem; ſiue quando ſumus in caſu, quo ſententia non tranſit in iudicatum; aut in cauſa Matrimoniali; ſeu in teſtificatione Peritorum: vſque ad *n.* 128.

Non etiam procedit Regula, quando variatur modus agendi; vel ſimul inter 20 diuerſas perſonas; quia Tertio publicatio non nocet, niſi compareat ante concluſionem in cauſa, adhærendo iudicio. Idem in articulis dependentibus ab Antiquis, quando Teſtes fuerint ſimpliciter producti. Poſſunt etiam examinari ſuper indirectè contrariis. Admittuntur ad proban- 21 dam falſitatem Examinatorum, præſertim ſi cum falſitate cumularetur corruptio. Admittuntur ad reprobandum perſonas, & ſimul dicta Teſtium examinatorum, vel eorum perſonas ſimpliciter, dummodo non fuerint publicatæ atteſtationes Aduerſarij reprobantes. Poſſunt 22 etiam produci confeſſiones Partis, Inſtrumenta, & ſcripturæ. Poſſunt examinari ſuper directè contrariis, quando nihil imputari poteſt Producenti; præcipuè ſi primus

mus Aduersarij articulus fuit confusè formatus. Item Parte non opponente in causis beneficialibus, & Monachatus; vel quando Pars post publicationem, nominat Iudici Testes examinandos, secretè,
23 & ad aures. Quando examinantur ad comprobationem Instrumenti; vel quando ius superuenit post publicationem; vel quando agitur de probando tale quid, quod variatur ex tempore: vsque ad *numerum* 195.

Admittuntur etiam Testes legalissimi,
24 & dignissimi, siue quando Testes dixerunt se nihil scire; quando non fuerunt interrogati, seu non benè interrogati: Item quando agitur de probando aliquam qualitatem contractus, iam in primis
25 articulis deducti: ad probandam ætatem contrahentis; vel ingredientis Religionem: Item quando Instantia est peremptа, si ex peremptione resultaret nullitas attestationum, vt putà, per ineptitudinem libelli, vel propter non contestationem litis: Quando Papa, seu Princeps
26 id concederet cum Clausula, *Non obstante*, &c. Quando est facta publicatio ante litis contestationem, & ad perpetuam rei memoriam: Quando attestationes essent deperditæ à Iudice, vel Notario, seu à Parte aduersa, dummodò de eis nullo modo possit apparere: Ac tandem, & generaliter quilibet potest admitti à Iudice ad nouiter examinandum ex Clausula, *Si qua mihi iusta causa*, &c. vsque ad *num.* 244.

Item admittuntur, quando quis fuerit
27 impeditus Testes producere, dolo Iudicis, vel Partis; seu quando Iudex interlocutoriam publicationis reuocauerit; seu quando probata intentione Actoris, Reus vult probare suam; eóque fortius in probatione exceptionis peremptoriæ. Quando
28 do sententiæ fuit lata ex consilio Sapientis, sic dictante Statuto. In Testibus excommunicatis, vel aliàs inhabilibus examinatis ante publicationem processus, & sic nulliter; quia cessante causa excommunicationis, iterùm post publicationem possunt examinari. Et tandem, quando recipi non possunt, sit tamen recipiantur, & examinentur, faciunt præsumptionem & indicium, ex quo Iuramentum suppletorium deferri potest: vsque ad *numerum* 156.

***

EX QVÆST. LXXV. Cap. V.

ARGVMENTVM.

Testes post conclusionem in causa, an, & quando possint examinari.

REGVLA proponitur negatiua, quod post conclusum in causa Testes examinari minimè possint: conclusio enim in causa est terminus exclusiuus productionis Testium. Limitatur tamen non procedere in causa appellationis; intelligendo de conclusione generali, secùs de speciali super certo articulo. Ex quo Testes de nouo reperti, admittuntur per Iudicem causâ cognitâ; vel quando producuntur super nouis capitulis. Non etiam extenditur ad productionem eorum, quos quis per ignorantiam tempore conclusionis producere non potuit. Extendendo, multò magis posse examinari, Parte non opponente, seu conclusione reuocata, ad quam datur restitutio, & admittuntur ex æquitate Testes *Nobiles*, *Legales*; vel vbi agitur de periculo animarum: vsque ad *n.* 174.

EX QVÆST. LXXV. Cap. VI.

ARGVMENTVM.

Testes, an, & quando post renunciationem factam à Parte possint examinari? & examinati probent.

REGVLA pariter proponitur negatiua, quod scilicet, cùm renunciatio sit terminus exclusiuus Testium, ideo post quam Partes renunciauerunt productioni Testium, & probationibus, non possint ampliùs redire ad illos examinandos. Et licèt Alij contrà; Extende, quando etiam fuerit renunciatum specialiter certo articulo, & Testibus super eo examinandis; tunc enim tam in causa Appellationis, quàm principali, Testes examinari non possunt; quia generaliter, etiam talis renunciatio trahitur ad causam

Appellationis. Alij contrà : Tu distin-
32 gue, quod si renunciatio facta in prima instantia fuerit generalis, nulla facta mentione causæ Appellationis, tunc ad secundam Instantiam non trahatur ; si verò sit specialis, & expressa etiam ad causam Appellationis, tunc sine dubio ad illam trahitur : & dicitur expressa, & continens causam Appellationis, quando quis renunciauit testibus, & omnibus probationibus *Iuris, & facti* : seu quando fuerit facta in vim pacti, & non in modum Actorum ; quia tunc siue specialis, siue generalis, præiudicat tam in prima, quàm in secunda, & tertia Instantia.

33 Sed hoc non extenditur ad noua capitula, dependentia tamen à primis, super quibus benè Testes poterunt examinari in causa Appellationis, non obstante renunciatione facta in prima Instantia ; secùs autem, si articuli sint omnino noui, non pertinentes ad causam, nec dependentes à primis.

34 Et licèt Regula procedat, quamuis renuncians ante renunciationem nullos produxerit Testes ; intellige quoad articulos iam productos, secùs autem quoad producendos : renunciatio enim in certis capitulis, non extenditur ad alia noua : provt, nec in causa Criminali renunciari posse certum est : extendendo ad causam matrimonialem. Imò renunciatio vnius Partis non præiudicat alteri non renuncianti, & producere volenti ; provt non nocet facta Parte absente : & quandocunque potest Iudex ex aliqua iusta causa sibi benè visa, talem renunciantem restituere.

35 Itidem post renunciationem renuncians admittitur ad probandam aliquam exceptionem, siue per Testes, siue alio modo : eóque magis, si formetur articulus directè contrarius primo ; quia renunciatio nocet quoad Testes, qui poterant produci tempore renunciationis ; secùs quoad illos, qui produci non poterant propter ignorantiam : quinimò non valet renunciatio productionis Testium, nisi fuerit iurata, & ea non obstante, potest bis producere Testes, & Instrumento simul ; multóque magis possunt produci Instrumenta tantùm : vsque ad *num.* 301.

***

EX QVÆST. LXXV.

Cap. VII.

ARGVMENTVM.

Testes, an, & quando post publicationem factam in prima Instantia possint examinari in causa Appellationis.

REGVLA est, quod facta Testium publicatione in prima In- 36
stantia, non possunt alij Testes examinari in causa Appellationis : Et licèt Alij contrà ; à proposita Regula non recedas : Eam Ampliando, multò magis, quando est appellatum ab Interlocutoria. Quæ quidem Regula procedit de *Iure Canonico*, & secundùm opinionem Canonistarum ; secus de *Iure Ciuili*, & 37
secundùm opinionem Legistarum, secundùm quam receptum est, Testes examinari posse in causa Appellationis. Et quamuis prima opinio nullum habeat impugnatorem, non tamen desunt contradictores secundæ opinioni ; dicentes, etiam de *Iure Ciuili* verius esse non posse examinari : quod *Authori* magis placet. Et illatiuè, licèt Regula procedat, & 38
seruanda sit in foro Ecclesiastico, ac in Terris Ecclesiæ, & id non controuertatur ; attamen non desunt acerrimi Contradictores, apertè tenentes, id seruandum esse etiam in foro Cæsaris, & in Terris Imperij. Verùm in hoc opinionum conflictu, Consuetudo fori, in qua 39
causa tractatur, est attendenda : vsque ad *num.* 314.

In articulis quoque dependentibus à 40
primis, etiam facta publicatione in prima Instantia, possunt Testes examinari in causa Appellationis, nisi fuerint iurati dicere veritatem super tota causa. Et licèt super nouis articulis pariter examinari 41
possint, hoc procedit si sint annexi, & dependentes à primis : ac generaliter vbi in causa principali recipiuntur Testes post publicationem, ibi & in causa Appellationis : vsque ad *numer.* 324.

***

EX QVÆST. LXXV.

Cap. VIII.

ARGVMENTVM.

Testes post publicationem, non tamen discitis testificatis, an possint examinari, & quando.

OPINIO est, quod sola publica-
42 tio non sufficiat ad excludendam productionem aliorum Testium : Sed distingue *Primò*, quod si est facta vnica Testium productio, tunc ad excludendam aliam productionem, sola publicatio non sufficiat, nisi testificata sint discita. Alij contrà. *Secundò*, distin-
43 gue, quod quando certum est testificata non fuisse discita, tunc indubitanter sola publicatio non impedit aliorum Testium productionem. Dicitur autem certum, & probatum, testificata non fuisse discita, si attestationes reperirentur adhuc sigillatæ, etiam penès Partem;
44 vel quando publicatio est facta solo verbo, nec est data Partibus facultas attestationes inquirendi & considerandi, seu absente Parte; vel probatur, quod Notarius incontinenti post Decretum publicationis se absentauerit : Si autem
45 certum sit, testificata fuisse discita, non dubitatur, quod iam non possunt produci alij Testes : Verùm si hoc sit dubium, adhuc non possunt produci, quia præsumitur publicatio. Alij contrà, & forsan verius, si deferatur iuramentum
46 Producenti, quod neque subtraxit, neque exquisiuit attestationes. *Tertiò* distinguitur, quod aut loquitur de *Iure Ciuili*, aut de *Iure Canonico*; de Iure Ciuili sola publicatio non sufficit; de Iure autem Canonico satis est. Alij contrà. *Author* verò distinguit, quod si est certum, vel dubium, testificata non fuisse discita, tunc admittantur; secus è contrà: vsque ad *numerum* 341.

***

EX QVÆST. LXXV.

Cap. IX.

ARGVMENTVM.

Testes, quando post publicationem possint examinari super titulo, aut possessione, quando in primis Articulis fuit capitulatum de præscriptione, & è contrà.

REGVLA negatiua constituitur,
vt scilicet Testes non possint exa- 47
minari super titulo, quando in primis articulis fuit articulata præscriptio longi temporis, ad quam requiritur titulus; præsertim in causa Appellationis, & id tam ex parte Actoris, quàm ex parte Rei; & siue in primis articulis fuit articulatum de præscriptione longissimi temporis : quod procedit, quando simpliciter quis agit ad rem, tamquam ad se pertinentem ob præscriptionem longissimi temporis; secus si ageret ad restituendam sibi rem, ad se pertinentem iure dominij, vel quasi; nam admittitur articulus tituli etiam ante publicationem, cùm similis articulus non sit impertinens ad causam principaliter intentatam. Et sicut post 48
publicationem similes Testes examinari non possunt, ità & è contà nec super præscriptione, nec super possessione, quando in primis fuit articulatum de præscriptione, seu spoliatione. Ac tandem intellige, quod post publicationem possint examina- 49
ri super titulo, quando in primo articulo fuit solùm articulatum de possessione : & è contrà possunt Testes produci super possessione, quando primus articulus non continet nisi probationem tituli : vsque ad *num.* 357.

***

EX QVÆST. LXXV. Cap. X.

ARGVMENTVM.

Testes an, & quando post publicationem examinari possint, si ante eam inducti, nulliter, & non ritè examinati fuerint.

REGVLARITER post publicationem Testium, nulliter, non
50 ritè, vel aliàs in Iudicio nullo examinatorum, possunt alij Testes examinari, seu examinati repeti; etiam quòd publicatio facta ad instantiam Partis Testes producere volentis; dummodò Testium receptio sit funditus, & ipso iure nulla; secùs, si aliqua ratione, licèt ope exceptionis posset repelli, & irritari; quia imputare debet sibi Pars, quæ non excepit: imò dummodò ista nullitas respiciat non solùm Acta ordinaria, sed etiam probatoria, ac influat in Testium examen; putà, ex deficientia iurisdictionis; vel quia omissa fuit litis cõtestatio, seu alia formalis solemnitas; secùs è contrà: quamuis nullitas consisteret in sententia, vel Pars didicisset testificata: quia tunc propter timorem subornationis impeditur noua productio. Alij contrà. Dicũtur autem Testes non ritè
51 recepti quatuor modis. *Primò*, facto producentis. *Secundò*, facto Iudicis recipiẽtis. *Tertiò*, facto Testis iurantis. *Quartò*, facto Partis aduersæ. Ad quæ omnia vide Bonifac. *in Clement. 2. de Testib. n. 13. & seq.* ac alios, quos refert hîc *Author*, vsque ad *num.* 396.

EX QVÆST. LXXV. Cap. XI.

ARGVMENTVM.

Testes, si ritè fuerint recepti, & examinati, eorum tamen publicatio nulla sit, an, & quando possint alij examinari, vel ijdem repeti.

VBI publicatio fuerit nulla, licèt Testes fuerint ritè recepti, non impedit aliorum Testium productionem, & examen; & quamuis agatur 52
de eisdem Testibus repetendis: quod procedit tam de *Iure Ciuili*, quàm de *Canonico*, nisi Pars didicerit testificata, seu publicatio sit facta ad instantiam eius, qui vult producere Testes: eóque minus, si eadem publicatio non fuerit simplex, & verbalis, sed facta per recitationem attestationum: quando verò dicatur publicatio ritè, & re- 53
ctè facta? vide Bonifac. *in Clement. 2. num. 1. & seq.* ad quem *Author* se remittit: vsque ad *n.* 374.

EX QVÆST. LXXV. Cap. XII.

ARGVMENTVM.

Testes si fuerint ritè recepti, & examinati, an, & quando possint alij examinari, vel ijdem repeti, si publicatio minus ritè facta sit.

TESTES possunt examinari post publicationem indiscretam, factam scilicet à Iudice festinanter, odio, 54
vel gratiâ ad impediendum, ne Pars faciat suas probationes; præsertim, si publicatio fuerit facta Parte inuita, & protestante; nisi tamen Pars ipsa petierit publicationem, & postea protestata fuerit; quia tunc nihil operatur protestatio, cùm sit quid contraria facto: eóque magis, si didicerit testificata: quibus cessantibus, Regula procedit, nedum publicatione facta Parte inuita; verùm etiam ea inscia & absente: vsque ad *n.* 382.

Præcipuè non procederet, si Iudex 55
ex causa, inuita Parte, vel etiam ea ignorante, legitimè tamen ea citata publicauerit; vt putà, quia fortè timebatur de peremptione Instantiæ.

* * *

EX QVÆST. LXXV. Cap. XIII.

ARGVMENTVM.

Testis, an, & quando possit post publicationem examinari in causa Matrimoniali.

REGVLARITER in causa Matri-
57 moniali Testes possunt post publicationem examinari: multò magis, quando Iudex ex officio procedit; etiam in causa Matrimonij Alij contra. Hæc non procederent, quando Testes producerentur pro Matrimonio. Alij contrà, & mul-
58 tùm fundatè *Author* verò distinguit: quod si agatur de gradu prohibito à *Lege Diuina*, in qua Papa non potest dispensare, procedat contraria opinio: secùs in prohibito à *Lege Canonica*. Alij contrà. Aduerte in proposito, quod Testes possunt contra Matrimonium deponere duobus modis.
59 *Primò*, quando agitur de illo non contrahendo. *Secundò*, quando de iam contracto dissoluendo, aut separando. Primo casu, quia non agitur de periculo animæ, videtur non posse post publicationem recipi Testes. Secundo verò, quod possunt recipi. Sed in vtroque casu, Alij contrà.
60 *Author* conciliando dicit, quod primò opinio procedit, quando agitur de dissolutione Matrimonij, hoc est quando Testes post publicationem admittuntur ad reprobandum alios Testes, qui deposuerant contra Matrimonium, & ad illud dissoluendum, & sic reuera sumus in casu, quò isti Testes reprobatorij admissi post publicationem, non contra Matrimonium, sed pro Matrimonio deponunt. Regula
61 verò non procedit in casibus, quibus sententia in iudicatum transit, seu quando Testes producuntur super extrinsecis ad vinculum Matrimonij, siue agitur de consanguinitate probanda, vel improbanda, vel de sponsalibus, & sic Matrimonio non firmato. & generaliter vbi de nullo
62 periculo animæ tractatur. Denique simi lis receptio à Iudice debet fieri cum cognitione causæ, & producens iurare debet, quod post publicationem examinandos non subornauit; vsque ad *n.* 407.

EX QVÆST. LXXV. Cap. XIV.

ARGVMENTVM.

Testes in Criminalibus quando possint examinari post publicationem.

REGVLA proponitur affirmatiua, quod scilicet in Criminalibus 63
post publicationem possint Testes examinari, ac examinati repeti: potissimùm quando Iudex procedit ex officio, siue ad instantiam Partis, & Accusatoris, dummodò certus sit, nullam adesse subornationem, & concurrat aliqua iusta, & magna causa. Amplia multò magis ad Rei defensionem, si agatur de pœna corporali; secùs, si de pecuniaria. Sed de *Consuetudine*, quidquid sit de *Iure*, 64
nec etiam Iudex potest Testes repetere, cùm non debeat Reo præsente eius defensiones facere, eóque minùs absente. Prohibitum tamen est ad offensam in- 65
stante Parte post publicationem Testes examinare super eisdem capitulis, & indiciis; secùs, si super nouis & diuersis. Obstat insuper publicatio, quando Iudex procedit instante Accusatore; nisi certum sit, nullam adesse subornationem: & singulariter, relatio Peritorum potest recipi, etiam publicato processu: vsque ad *num.* 431.

EX QVÆST. LXXV. Cap. XV.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum, an, & quando concedatur Maiori, Minori, Mulieri, siue alteri, ad examinandum post publicationem.

MAIORI conceditur restitutio ex
Clausula generali, *si qua mihi iu-* 66
sta causa, &c. *Primò*, ex capite impedimenti *Secundò*, quando ante publicationem Testes erant captiui, & sic non poterant examinari. *Tertiò*, ex capite ignorantiæ, quando scilicet qui post publicationem vult producere Testes, quos ante

eam ignorabat; nisi tamen ignorantia procederet ex capite doli. *Author* tamen contrarium tenet. 67 *Quartò*, quando nihil potest imputari producenti. *Quintò*, ex capite æquitatis. *Sextò*, omni casu, quo quis restituitur aduersùs sententiam. Quod extende, 68 nedum post publicationem, sed etiam post renunciationem; præstito tamen iuramento, quod talis restitutio non petatur per calumniam, & per dolum, quamuis non sit de necesse; sed præstetur ad cautelam, & ad omne dubium tollendum: vsque ad *n.* 444.

Minor restituitur ad examinandum 69 post publicationem: & sibi restitutio concessa, prodest etiam Maiori: sed non conceditur ex alio capite, quàm aduersùs omissas probationes; non quando constaret de dolo, & subornatione; non in Criminalibus, & ad offensam; non etiam ad probandum aliquam exceptionem leuem, putà Dilatoriam, vel Declinatoriam, quæ non concernunt merita causæ. Non restituitur 70 tandem aduersùs alium Minorem; neque etiam nisi constaret de læsione: quando enim Minor fuit diligens in perquirendis Testibus, pariter non restituitur: & quandocunque hæc restitutio non prodest Aduersario, quia non trahitur ad non priuilegiatum: vsque ad *n.* 457.

Mulier non restituitur ad examinan- 71 dum post publicationem, tanquam Mulier, licèt possit restitui tanquam Maior ex clausula generali, *Si qua mihi iusta causa*. Idem in Rustico, qui non aliàs restituitur, nisi probet, non potuisse consu- 73 lere Peritos, seu Aduocatos. Ecclesia verò restituitur ad instar Minoris, non tamen restituitur aduersus Eccleſiam; præsertim quando tractaret de lucro captando: & instar Ecclesiæ restituitur Fiscus.

EX QVÆST. LXXVI.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Testes ante litem contestatam, & ad perpetuam rei memoriam, an, & quando in Iudicio Ciuili ex parte Actoris examinari possint? & examinati quid, & quando probent.

1 PPONITVR Trigesimò contra Testes, quod sint examinati *ante litem contestatam*; & ideo nihil probent: multò magis in Criminalibus, siue sint Laici, siue Clerici; tales enim attestationes sunt ipso iure nullæ, adeo vt non possint recipi Testes ad perpetuam rei memoriam super fama, nisi fama esset publica, quæ fortè in futurum mutaretur, & obliuioni traderetur. Testes verò senes, Valetudinarij, diù abfuturi à loco exami- 2 nis, ac generaliter omni casu in quo nisi examinarentur, veritas occultaretur, & probationis copia subtraheretur: possúntque examinari ad perpetuam rei memoriam ante litem contestatam. *Primò*, quando examinantur ex parte Rei. *Secundò*, quando ex parte Actoris, & creditoris in diem, vel sub conditione; præsertim, quando non sit in potestate Actoris ad sui 3 libitum agere; putà, quia sit creditor ad tempus, in diem, vel conditionaliter; etiam ad mentem legis Aquiliæ, *in lege Aquilia 40. ff. ad leg. Aquiliam*, nisi debitum esset sub conditione potestatiua, pendente scilicet à potestate creditoris. Possunt recipi ex parte Actoris in causis 4 summariis, breuioribus, & in quibus libellus non offertur, vbi non requiritur contestatio; vbi agatur de fœdere matrimonij, siue ad dirimendum, siue de sponsalibus, secus si ad tori separationem ex crimine: seu quando quæstio agitur coram Ecclesiastico incidenter ad causam principalem. Idem, si agatur de matri- 5 monio spirituali, de Dignitate, seu beneficio Ecclesiastico, in causis spiritualibus, nisi agatur de probando aliquem esse Vsurarium manifestum. Idem in causa denunciationis, restitutionis in integrum incidenter Officio Iudicis petitæ, vbi aliquid officio Iudicis expeditur, quando quid petitur officio Iudicis, actioni deseruiente. In causa petitionis Legati, in restitutione Trebellianicæ, quando Testes examinantur in Iudicio *communi*, vt putà, familiæ Erciscundæ, & finium regundorum: in causa liberali, & libertatis, in qua agitur de statu personæ: in causa Dotis, & vbi agitur de Dote restituenda: vbi offenditur publicum commodum, seu publica vtilitas: super incidentibus & emergentibus ante contestationem litis: quando dubitatur, ne propter moram, & temporis longinquitatem, seu aliàs propter amicitiam, seu affinitatem cum Aduersario contrahendam. Verùm si factum sit 6 valde graue, notabile, & non intricatum, quia tunc, cùm illud non præsumatur ex longo tempore recedere à memoria, ideo super eo Testes non recipiuntur. Item

quando

quando agitur de ſtatu Eccleſiæ, Iudéxque ex officio, de illius iuribus malè occupatis, & detentis, inquirit. Quando cœpto iudicio, Reus cauillosè excipiendo, impediat, & differat litem conteſtari. Quando agendum eſſet contra Malitioſum, Potentem, & Tyrannum, quem Actor non auderet conuenire; quia hoc caſu ſubueniendum eſt Actori per Iudicem, conſiderata forma, & qualitate negotij, & Perſonarum, & aliis circunſtantiis, quanto cautiùs poterit, faciet Teſtes recipi, & examinari diligenter, ſuſtinendo ipſe vices-Rei circa examinationem, & reſeruato eidem Reo ius excipiendi contra perſonas, & dicta Teſtium: vſque ad *n.* 53.

7 8

Item quando quis in remotis partibus paſſus fuerit aliquod infortunium, putà, naufragium, furtum, hoſtium incurſum, ſeu quid ſimile; tunc enim in eodem loco ſecuti infortunij, parte non citata, & lite non conteſtata, Teſtes recipiuntur. Extende de conſenſu Partium, vbi agitur de periculo animæ, ſeu de ætate, & natalibus filiorum, ad inſtantiam Parentum, & in pluribus aliis caſibus, in quibus *Author* loquitur remiſſiuè, & præcipuè ad Mont. in *repert. Teſt. rub.* 94. *& ſeq. fol.* 97.

9

Amplia omnes prædictas limitationes, vt quando Teſtes poſſunt recipi ante litem conteſtatam, poſſunt etiam examinari die feriato, quando imminet maximum periculum perituræ probationis: & generaliter vbi poſſunt recipi, & examinari Teſtes ad perpetuam rei memoriam: ſed iſti Teſtes tantùm probant contra citatos, & vocatos; non autem contra Tertium, & contra eorum dicta, ac perſonas, opponi poteſt quælibet exceptio: vſque ad *n.* 62.

10

EX QVÆST. LXXVI. Pars II.

ARGVMENTVM.

Teſtes an, & quando poſſint examinari, lite non conteſtata ex parte Rei, & ad perpetuam rei memoriam? ac examinati quid, & quantum probent.

REGVLA ſit, quod ex parte Rei poſſunt Teſtes examinari ad perpetuam rei memoriam: & idem quando examinantur ad hoc, vt publicentur; ſcilicet, quando quis timeat, ne ſibi in poſterum ſuper aliqua re controuerſia moueatur; & iſto caſu recipiuntur omnes, & quicunque Teſtes, dummodo iudicium non ſit adhuc inchoatum, & quando Reus producit Teſtes ad æternam rei memoriam, tunc etiam Actor poteſt producere alios Teſtes ſuper eiſdem, vel directò contrariis, ſi debitum eſſet in diem; ſecus quando eſſet purum, & Actor poſſet agere.

11

Amplia in eo, qui poteſt eſſe, & Actor, & Reus ſimul, ſeu ſit in poſſeſſione alicuius rei, & dubitet, quod morientibus Teſtibus informatis præuideret deficientiam probationis: Sed hoc non procederet, niſi adeſſet Aduerſarius, vel ex poſſeſſione oriretur actio contra alium ex Interdicto *Vti poſſidetis*, vel *Confeſſoria*. Idem nec quando Actor eſt præſens, & offert ſe paratum agere, ac litem mouere, tunc enim differtur receptio Teſtium inductorum poſt litem conteſtatam, niſi eſſent Senes, Valetudinarij, aut diù abfuturi. Quinimò quando Reus petit ſic examinari Teſtes ad perpetuam rei memoriam, priùs debet facere citare Actorem, vt declaret an tunc velit agere; quia ſi vellet, non eſſet recurrendum ad hanc viam extraordinariam: & ſi compareat, ſiue ſit Actor, ſiue Reus, debet producere libellum, & Iuris ordinem ſeruare. Et quia dicti Teſtes non poſſunt examinari ad impugnationem, ideo teſtibus examinantis Reus vti non poteſt ſi velit agere contra alium ſecùs quando alius agit contra ipſum, nec etiam poteſt vti quando ſibi competit actio: & generaliter contra dictos Teſtes, & eorum dicta ante publicationem poteſt opponi: vſque ad *numerum* 81.

12 13 14

***

EX QVÆST. LXXVI. Pars III.

ARGVMENTVM.

Teſtes Senes, Valetudinarij, vel diù abſuturi, an, & quando poſſint examinari ante litem conteſtatam, & ad perpetuam rei memoriam.

REGVLA affirmatiua proponitur, quod quando timeatur de morte 15
Teſtium, vel eorum diuturna abſentia, poſſunt ante litem conteſtatam examinari. Et licèt in *Iure* Senes quandóque dicantur annorum quinquaginta, quandóque annorum quinquaginta quinque, quandóque ſexaginta, quandóque quadraginta ſex, quandóque Septuagenarij, 16
quandóque tandem Centenarij; in propoſito tamen Iudicis arbitrio remittitur, vſque ad quinquageſimum annum ſupra, non autem infra: & ſic Iudex ſuum arbitrium profert vſque ad quinquageſimum, & non ſupra, quia tunc indiſtinctè dicitur ſenex, vt locus non ſit arbitrio. Sic & Iudicis arbitrio remiſſum eſt, qualis dicatur abſentia diuturna? Qui dicantur Valetudinarij? Quandóve dicatur timeri de morte.

17 Licèt tamen ad perpetuam rei memoriam examinentur ſenes, etiam quod non dubitetur de eorum morte, vel diuturna abſentia; ita pari paſſu, diu abſuturi, & non Senes, licèt de eorum morte non firmiter dubitari poſſit. Infirmi autem di-
18 cuntur ex conſilio, & iudicio Medicorum, inter dictóſque infirmos, mulier prægnans numeratur: & ad hoc vt dicatur de morte Teſtium dubitari, ſola ſuſpicio ſatis eſt: & ſuper diuturna abſentia ſtatur iuramento Teſtis, qui debet præſtare duplex iuramentum, vnum ſcilicet de veritate dicenda, & aliud de futura abſentia. Et licèt
19 Teſtes non ſint examinandi ſuper articulis reprobatis à *Iure* ratione formæ; vt putà, quia in eis materia ſit malè ſpecificata, vel quia dari poſt terminum examinentur; tamen iſtis caſibus, quando ſunt Valetudinarij, ſeu abſuturi, & generaliter in omnibus caſibus, quando ſumus tempore peſtis, quo omnia iura ſoluuntur, tam ratione contractuum, quàm vltimarum voluntatum, & iudiciorum, & ideò ratio *Senij* non accuratè habenda eſt, quandoquidem,

Mixta Senum, ac Iuuenum denſantur funera mortis.

Regula tamen non procedit in Valetudinariis, qui ſunt infirmi non ex morbo, ſed ex debilitate naturæ. Abſentia verò debet eſſe à loco Iudicij, non autem à loco domicilij. De hoc tamen *Author* dubitatiuè loquitur, & ad alios ſe remittit. Requiritur tamen de neceſſe, quod 21
Reus ſit abſens; & propterea Actor non habeat poteſtatem conueniendi illum; ſecùs è contrà: quia ſi Reus verbaliter offerat ſe litem ſuſcepturum, ſeu illam cum effectu ſuſcipiat, Teſtes per antea examinati ſi tunc viuant, nihil probant, & iterum examinari debent: ac ſingulariter *conualeſcentes*, infirmi non dicuntur: vſque ad *n.* 112. 20

EX QVÆST. LXXVI. Pars IV.

ARGVMENTVM.

Teſtes in Criminalibus, an, & quando poſſint examinari ante litem conteſtatam.

REGVLARITER in cauſa Criminali Teſtes ante litem conteſta- 22
tam examinari non poſſunt, etiam quod ſint Senes, Valetudinarij, vel diù abſuturi. Sed quando agitur ciuiliter de crimine, ad Partis, & Accuſatoris inſtantiam, ſeu Iudicis officio, dummodò non formetur inquiſitio ad querelam Partis, recipiuntur; præſertim in cauſa hæreſis poſt mortem Hæretici ad illius memo- 23
riam damnandam. Generaliter etiam poſſunt examinari ex parte *Rei* ſeu pro informatione Curiæ, & ad inſtruendum Iudicem, eò magis in Notoriis, in cauſa Aſſaſſinij, & quando proceditur contra Clericum de maleficiis ſuis ſe publicè gloriantem: vſque ad *num.* 128.

* * *

EX QVÆST. LXXVI.

Pars V.

ARGVMENTVM.

De requisitis in examine Testium ante litem contestatam.

24 PRIMVM requisitum in materia, de qua agitur, erit *causæ cognitio*; quia non possunt examinari Testes sub quouis prætextu, nisi præcedat aliqualis cognitio, & Iudicis interlocutio.

25 Secundum, *Iudicis competentia*; sunt enim examinandi coram Iudice Rei; nec possunt recipi à solo Notario, nisi quando periculum est in mora, quia tunc ex capite periculi, poterunt examinari à quocunque Iudice, & vbicunque.

26 Tertium, *citatio Partis ad dandum interrogatoria*; quinimò dicta citatio debet esse personalis, nisi adesset periculum, vel non appareat de particulari Aduersario; quia tunc sufficeret per edictum.

27 Quartum est, *denunciatio*, cùm debeant talia examina Testium infra annum denunciari Reo ad hoc, vt commoditatem habeat excipiendi: istéque annus est vtilis ab initio, nec currit, nisi ab eo tempore, à quo quis potuit experiri; quia requiritur & scientia, & experiendi facultas: & licèt huiusmodi Testes non valeant ex defectu denunciationis ad fauorem producentis; attamen valent ad fauorem Aduersarij, si contineant diuersos articulos inseparabiles, secùs si contineant vnum facientem pro vtraque Parte: quia tunc non potest respectu vnius valere, & respectu alterius infringi. Non requiritur talis denunciatio in casibus expressis *hac eadem quæstione desuper, p.* 1.

28 Quintum, & vltimum est, *publicatio*: regulariter enim post litem contestatam publicari debent vnà cum aliis, si fuerint alij examinati: & ista publicatio est facienda coram Iudice competente nisi examinentur pro parte Rei; quia tunc publicatio fit statim: provt quando examinantur ex parte Actoris super debito in diem, vel conditionali: sufficit enim consensus Partium ad faciendam talem publicationem: imò videtur sufficere consensus Actoris, illos inducentis. Et in proposito denunciationis, ista sufficit ad domum, vnica, & extraiudicialis; nec requiritur, quando Reus fuit præsens, & citatus; vel quando fuerunt examinati ad hoc, vt eorum dicta publicentur, quia tunc perpetuò valent, cùm sint redacta in publica monumenta.

EX QVÆST. LXXVII.

Cap. I.

ARGVMENTVM.

Remissoria ad examinandos Testes, quando sit per Iudicem in Ciuilibus concedenda, aut deneganda.

OPPONITVR Trigesimo-primò contra Testes, quod sint examinati, non à Iudice causæ, sed à Notario, vel ab alio de Iudicis mandato, quo casu, an, & quando probent? intricatè DD. loquuntur, & *Author* distinguendo materiam ad faciliorem intelligentiam in quinque capita, in hoc primo constituit *Regulam*, quod in Ciuilibus concedenda sit Remissoria à Iudice pro examinandis Testibus absentibus, & extra Prouinciam existentibus: quinimò & in Prouincia, dummodo commorentur in aliqua Ciuitate, & loco non subiecto Gubernio, & Regimini Iudicis examinantis. Eóque magis conceditur ad examinandum Testes Valetudinarios, impeditos, egregias Personas, & alios, de quibus *in l. ad personas, ff. de iureiurand.* & in *c. si quis Testium, extr. de Testib.* Datur pro examinandis Testibus ad comprobationem Instrumenti producti pro recognitione Instrumentorum, & sigillorum: & ad probandum Matrimonium, licèt hodie ex Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. id probet fides Parochi: sed vbi liber esset deperditus, tunc posset probari per Testes. Conceditur itidem ad probandum Appellationem, vel nullitatem sententiæ, & in pluribus aliis casibus expressis per Virgil. Boccac. *de liter. remiss. cap.* 4. *per totum.* Verùm conceditur tantùm, si petatur ex aliqua iusta, & rationabili causa: & debet dari aliquis fumus non existentis calumniæ, nec conceditur quando Testes sunt suspecti de subornatione: semel concessa non reiteratur, etiam quod nulla fuerit præfixa dilatio, seu litteræ fuissent nullæ: præcipuè, si causa esset eadem, seu petens remisso

1 2 3 4

remissoriam esset negligens in producendo. Itidem non potest peti post litem con-
5 testatam, post seruatum terminum ad articulandum, post publicationem aliorum Testium; post rem iudicatam, seu post duas conformes. Non etiam conceditur in causa ciuili ardua, nisi vbi necessitas vrgeret, seu timor ne veritas occultaretur, & periret: & ideò non datur in causa merè possessoria, spolij, in causis beneficialibus, in quibus ex vsu sacri Palatij denegatur, nisi illam petens, appellationi renunciet; & si non fuerit possessor, patiatur sequestrari fructus beneficij; si verò non sit possessor, futuræ sequestrationi
6 renunciet. Rota verò non concedit, nisi præstito iuramento calumniæ, & dato fumo releuantiæ. Generaliter tandem dari non solet ad probandas exceptiones dilatorias, siue incidentes ex causa principali,
7 vel ad repulsandos Testes à Iudice delegato examinatos; nisi etiam delegato concessa fuerit potestas examinandi reprobatorios Testes, cùm ex hac refutatione plenè probetur ius excipientis. Item non datur in causa restitutionis in integrum, & generaliter in pluribus aliis casibus relatis per Boccac. *vbi suprà.*

EX QVÆST. LXXVII.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Remissoria ad examinandos testes, quando sit per Iudicem in Criminalibus concedenda, aut deneganda.

REGVLA proponitur negatiua,
8 quod scilicet in Criminibus Remissoria non concedatur, in tantum vt contraria consuetudo non valeat. Extendendo, nec etiam ad probandum Attentata, nisi detur fumus etiam per Testes nulliter examinatos, & appareat de exclusione calumniæ; quamuis possit mitti Notarius ad sumendum informationes, seu concedi Compulsariales speciales. Conceduntur etiam in causa criminali parua, quando necessitas vrget. Alij contrà; & cum hac contraria opinione per-
9 transit *Author*, profitendo non esse concedendam nisi Testes sint constituti in aliqua dignitate, vel eis non esset tutus accessus, aut ageretur de crimine per viam exceptionis, & essemus in delicto difficilis probationis: vsque ad *n* 115.

EX QVÆST. LXXVII.

ARGVMENTVM.

Quæstiones diuersæ in materia concedendæ Remissoriæ tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus.

REQVIRITVR primò, quod
10 in concessione Remissoriæ intercedat citatio Partis, quæ facienda est in loco concessæ Remissoriæ coram Iudice illam concedente: & antequàm concedatur: quinimò debet esse citatio specialis, *ad videndum scilicet concedi Remissoriam*; non enim sufficit, partem fuisse citatam ad dicendum contra articulos, cùm debeat esse ad concordandum de Iudice, & loco, ac de loco loci, necnon ad videndum literas claudi, tradi latori, eidem Iuramentum deferri de fideliter portandis & præstandis. Denuò requiritur in loco
11 destinati examinis vbi citatur Pars ad constituendum Procuratorem qui citari possit; aliàs decerni processum per affixionem ad valuas Ecclesiæ. Iudex verò non potest
12 Remissoriam concedere, nisi præcedente causæ cognitione: constare debet quod non sit suspectus ille, cui remittitur examen: conceditur expensis illam petentis. Et licèt Iuramentorum receptio non possit remitti alicui non habenti iurisdictionem, id procedit quando remittitur nedum receptio depositionum, sed etiam Iuramentum. *Author* verò distinctionem
13 non admittit, profitendo non posse delegari vllo modo non habenti iurisdictionem, nisi quando committatur in proprio territorio ipsius Iudicis. Requiritur tandem quod præfigatur dilatio, seu terminus ad inchoandum, & perficiendum examen; quæ quidem assignatio currit à die præsentationis Literarum Iudici, cui fuerint directæ: & ideo Latori est assignandus alius terminus, arbitrio Iudicis ad præsentandum: sed si nulla fuerit præfixa dilatio intelligitur tacitè data ea, de qua
14 in *L.* 1. *de dilat.* videlicet in eadem Prouincia, tres menses; in Continentibus, sex; in transmarinis, nouem: & datur etiam Parti aduersæ alter, sed breuior terminus ad reprobandos Testes, & nisi fuerit datus, debet concedi arbitraria. Iste terminus in Remissoria præfixus, solet etiam

etiam prorogari, semel, vel pluries arbitrio Iudicis, & cessante suspicione calumniæ. Causæ autem concedendæ prorogationis sunt impedimenta, dummodò tamen fatalia non labantur; quo casu, non prorogatione, sed restitutione in integrum
15 *Impedito* succurritur. Quinimò nec prorogatio concedi debet, nisi ex causa, & illa benè probata: quamuis ex stylo Vrbis concedatur indistinctè Prima, & Secunda prorogatio, ac etiam Tertia; Parte non contradicente: si verò contradixerit, tunc opus est Rescripto. Singulariter post dilationem, & terminum datum possunt Testes examinari, si termino durante iurarunt: vsque ad *n.* 142.

Articuli verò sunt dandi coram Iudice
16 remittente, nisi contineant liquidationem fructuum, vel essent reprobatorij: quia tunc sunt præsentandi coram Iudice delegato. Transmittuntur etiam à Delegato similes depositiones ad delegantem, sigillatæ, & benè clausæ: sed si remittantur apertæ, non vitiantur; quamuis Pars ipsa aperiens puniatur de falso, & non possit opponere contra Testes de inhabi-
17 litate, seu falsitate. Arbitri verò Compromissarij non possunt Remissorias concedere, nisi de consensu Partium, vel nisi essent *Arbitri Iuris*, scilicet electi ex forma Statuti. Similiter prohibetur Delegatis, nisi pariter ex consensu Partium, vel Principis rescripto. Ille verò, cui est remissa examinatio, alteri vices suas delegare nequit, eò magis in causa Crimi-
18 nali. Alij contrà: & *Rota* primam opinionem seruat. Talis verò potestas examinandi Testes transit in successorem Delegati, siue moriatur, siue alio modo eius iurisdictio expiret: non potest tamen recipere probationes extra articulos, licèt possit recipere partium confessiones: quinimò si Notarius sit missus, cum Nuncij Officio fungatur, & ideo nullam iurisdi-
19 ctionem sed tantummodò nudum Ministerium habeat, non potest recipere tales confessiones; & pendente termino in Remissorialibus concesso, aliquid innouari non potest: vsque ad *num.* 174.

***

EX QVÆST. LXXVII. Cap. IV.

ARGVMENTVM.

Testium examen, an, & quando possit per Iudicem Notario committi.

REGVLARITER, licèt Notarius non possit ex seipso Testium 20
iuramenta recipere, & eos examinare, hoc tamen sibi permittitur de Iudicis mandato, & sibi de tali commissione creditur, si de ea penès Acta testetur. Iudex verò non de facili hoc committere debet, præcipuè in Criminalibus, & in Ciuilibus arduis, & grauibus. Alij contrà; as- 21
serentes, Iudici hoc non esse permissum. Sed à prima opinione de mente *Doctoris* non recedas in Practica.

EX QVÆST. LXXVII. Cap. V.

ARGVMENTVM.

Testes, an, & quando possint, aut debeant in eorum domibus examinari? & quid præsertim de egregijs personis, sensibus, infirmis, aliàs impeditis, & similibus.

PERSONÆ Egregiæ non coguntur accedere ad Iudicem, sed ad 22
eorum domos mittitur Notarius pro testimonio recipiendo. Et Egregiæ dicuntur, non solùm *infrà* descriptæ, sed & aliæ arbitrio Iudicis. Quod procedit in illis Nobilibus & Pauperibus simul, qui 23
propter inopiam reputant sibi dedecori exire domo, & comparere in publico: quinimò etiam in Pauperibus tantùm, dummodò sint honestæ vitæ: ac generaliter in omnibus Nobilibus, & in aliqua Dignitate constitutis, prout sunt Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, Doctores, nisi gerant officium Procuratoris; cùm illud vile sit, nisi Statuto, aut vsu aliter receptum esset. Extende ad Milites insignes, 24
Mulieres Nobiles, honestas Matronas, Infirmos, Valetudinarios, Senes, & ad quoscun

quoscunque non valentes exire domo.

25 Non solùm autem Iudex, & Arbiter hoc facere debet, sed etiam tenetur de necessitate, nisi versaremur in Criminalibus, & illis quidem grauibus; vel nisi Iudex esset taliter Nobilis, tantæque dignitatis, vt illum non deceret ad domum Testium accedere, quia tunc pro illis examinandis, potest mittere Notarium. Hoc

26 vnum tamen nota, quod quando interloquitur, Notarium esse mittendum, Pars citari debet: & ità practicatur in Vrbe: vsque ad *n.* 244.

EX QVÆST. LXXVIII. Cap. I.

ARGVMENTVM.

Testes, quando, quomodo, & in quibus causis cogi possint ad testimonium ferendum.

1 PPONITVR Trigesimo-secundò, quod Testes fuerunt *coacti* ad testimonium ferendum. Hanc quæstionem *Author* in tria capita distinguit. In *Primo*, generaliter quæritur, quomodo, & in quibus casibus Testes possint ad testificandum compelli. *Secundo*, agitur de personis, quæ Iuris priuilegium habent. *Tertio*, quando in causis Criminalibus Testes cogi possint.

Regula constituitur in *hoc primo capite*,

2 quod Testes in Ciuilibus cogi possunt ad perhibendum testimonium: eò magis, si se subtrahant à testificando, gratiâ, odio, vel timore: imò statim quod moniti non comparent, præsumuntur se subtrahere, gratia, odio, vel timore: sed hæc præsumptio de facili eliditur. Procedit Regula eò

3 fortiùs si subtrahantur à Parte, seu ab alio eius nomine; peccatum enim mortale est veritatem celare: & propterea mortiferè peccat, qui se à testimonio ferendo subtrahit: vide in præmissis D. Tho. 2.2. *q.* 70.

4 *art.* 1. Testes cogi possunt, quamuis veritas aliunde haberi possit: præcipuè quando iactant se scire veritatem; dummodò præcedat monitio. Coguntur etiam, & eò magis in causis spiritualibus, beneficialibus, & consanguinitatis, quando agitur ad matrimonium coniungendum, secùs

5 si agatur ad successionem, tutelam deferendam, Iudicem recusandum, & iis similia. Si verò Clerici sint, aut etiam Laïci, & coram Iudice Ecclesiastico agatur, possunt ad testificandum compelli 6 per Ecclesiasticas censuras, nempe per *Suspensionem*, & crescente contumacia per *Excommunicationem*, *& Depositionem*: Si autem coram sæculari Iudice, tunc per indictionem mulctæ, quæ quandoque potest extendi ad pœnam confiscationis bonorum, & ad bannum. Quamuis Alij contrà: & si compareat, vel examinatur, 7 vel retinetur in carceribus, donec veritatem fateatur. Excusantur Testes à pœna Censurarum, si necessariò impediti venire non potuerunt.

Non coguntur Testes *priuilegiati*: & tales dicuntur, omnes enumerati in *l. Iulia*, & in *l. inuiti, la prima, & la secunda,* 8 *ff. de Testib.* Nec etiam Testes *Synodales*, hoc est publici Denunciatores ab Ordinario deputati, qui si semel coram eodem Ordinario deposuerint, iterum cogi non possunt ad deponendum coram Delegato: Et hinc potest inferri generaliter ad omnes Testes, qui semel tulerunt testimonium, vt denuò deponere non cogantur. Et si Testes venerunt ad se exami- 9 minari faciendum, & steterunt per quindecim dies in loco vbi examinari debebant, nec fuerunt examinati negligentiâ Iudicis absque eius licentia recedere possunt, nec ampliùs compelli.

Limita denuò, quod nec Arbiter cogere possit Testes, quinimò de *Iure Ca-* 10 *nonico* nunquam cogi possunt, nisi se subtrahant amore, odio, vel gratia; secùs de *Iure Ciuili*, de quo tamen debet præcedere monitio: & vbi veritas aliàs haberi non potest, coguntur à principio sub pœna Suspensionis, Excommunicationis, & Depositionis, absque alia monitione: vsque ad *num.* 36.

EX QVÆST. LXXVIII. Cap. II.

ARGVMENTVM.

Testes priuilegiati qui sint, ad hoc vt non possint cogi ad ferendum testimonium? & quando tali priuilegio gaudeant.

REGVLARITER omnes ad testificandum coguntur, nisi priuile- 11 legiati reperiantur. Inter istos Priuilegiatos de *Iure Ciuili*, (quamuis secus de

Iure

Iure Canonico Septuagenarij non cõpelluntur ad accedendũ ad Iudicẽ. Absentes Reipublicæ causâ, & Milites existentes in expeditione, necnon quicunque impediti ex aliqua iusta causa, testimonium ferre non compelluntur: eóq; minùs Episcopus,
12 Impubes, & Pupillus, præterquam in causâ læsæ Maiestatis, in qua cogũtur, & torquẽtur, etiam vti Principales. Penitus verò nõ coguntur Vitricus contrà Priuignum: & è contrà: fratres sobrini, vel sobrinæ, nativè ex sobrinis: ac generaliter Agnati, Cognati, Affines, & Consanguinei ad inuicem cogi
13 non possunt. Gener, Socer, Socrus, Sponsus filiæ, Sponsa, Sponsus; & generaliter siue affinitas sit initiata, siue perfectâ, ad inuicẽ: iugales, ad inuicem: liberti cõtra Patronũ: ideſt publici vectigalium Conductores, Proxenetæ, & Mediatores, Inhabiles, quî examinati nihil probant. Mulier prægnãs, quæ non tenetur adire Iudicem; sed cogitur iurare, & deponere eius domi; quidquid vulgò dicatur, *prægnantibus non esse deferẽdum iuramentum*: & generaliter omnes prædicti non coguntur, neq; in Ciuilibus, neq; in Criminalibus: & sicuti non possunt cogi ad ferendũ testimonium cõtra alios, & si ferant non valet, ità pariter, si pro eis
14 deponant, nihil prosunt. Volentes tamen testificari, eorum testimoniũ validum est; quia possunt, seu tacitè, seu expressè priuilegio renunciare; exceptis illis, qui propter reuerentiam non recipiuntur; vt putà filius contra Patrem, seruus contra Dominum.

Coguntur isti *priuilegiati*, quando subtrahũt se examine, gratia, odio, vel timore,
15 quando agitur de magna causa, seu quãdo veritas aliter haberi non potest. Quod intelligitur in Ciuilibus. Sed si sint rogati in aliquo Instrumento, ex quo assumpserunt officium testificãdi, cogi, & cõpelli possunt ad deponendum: vsque ad *n.* 114.

EX QVÆST. LXXVIII. Cap. III.

ARGVMENTVM.

Testes quando possint cogi ad testificandum in causis Criminalibus.

16 DOCTORES decertant quando in causis Criminalibus Testes cogi possint, necne? *Author* verò Regulam negatiuam firmat, quod scil. non sint cogẽdi, nisi quando veritas aliàs haberi non potest, vel quando se subtrahunt gratia, odio, vel
17 timore. Quomodo autem puniantur similes Testes se subtrahentes? tres principales Conclusiones firmant, quarum.

Prima est, quod subtrahens se à testificando, provt facit is, qui monitus non cõ- 18
paret, reddit se suspectum de falsitate, & corruptione, quæ suspicio, iunctis indiciis, & dato fumo de pretio recepto, sufficit ad pœnam extraordinariam indicendam.

Secunda, quod subtrahens testes à testificando, non puniatur de falso; sed pœnâ 19
Contumaciæ, & extra ordinem, Iudicis arbitrio: nisi subtraxisset luramentum, vel vel pretio corruptus, quia tunc pœna falsi esset imponenda.

Tertia, quod teneatur ad damna, & interesse: quinimò in crimine Assassinij eadẽ 20
pœna tenetur, ac si Assassinũ defenderet.

Redeundo ad propositam Regulam, testes subtrahens perdit Causam, ex Bulla 21
Alexandri VI. *Bullar. p.* 1. *const.* 11. *fol.* 146. si minæ interuenerint: & circumscriptâ *Bullâ*, quæ restringitur tantùm ad Vrbem, & Curiam Romanam, in Ciuilibus, si plenè constet in Actis de iusta causa subtractionis, causa non amittitur: si verò de hoc non constet, & simus in dubio, tunc præsumitur quod subtrahens iniustam foueat causam, adeo vt eam amittat, nisi doceat de bono lure. In Criminalibus autem, si plenè de occultatione constet, præsumitur culpabilis; & ex hac præsumptione, tortura infligi potest. Testis, qui iurauit, se non examinatum iri, eo non obstante, potest compelli, nec tenetur seruare huiusmodi iuramentum, nec ab eo requiritur absolutio, nisi ad cautelam. Possunt etiam Testes compelli quando Iudex agit per inquisi- 22
tionem, seu ex officio, quando inquiritur super fama, vel infamia alicuius; in causa Denunciationis; quando ex probatione criminis, quis consecuturus est sententiam lucrosam, vel vitaturus damnosam; aut vbi ciuiliter agitur pro interesse Partis: ac semper, & quandocunque, ne crimina remaneant impunita. Et quamuis Alij contra, 23
non recedas à conclusione. Cogũtur insuper quando agitur de crimine per viam exceptionis. Alij contrà. *Author* verò tunc posse cogi dicit, *Primò*, quando excipitur contra Testes quod corrupti falsum dixerint. *Secundò*, quando nisi Testes cogerentur aliquis graui damno afficeretur. *Tertiò*, si constaret, quod se subtraxissent gratia, odio, vel timore; vsque ad *n.* 170.

Coguntur item in crimine *falsi*, quãdo agitur ad probandum crimen notoriũ, siue 24
quem esse condemnandum de crimine, aut tractaretur de priuatione alicuius Dignitatis; vel de iniuria personali facta

Clerico; de conſpiratione contra ſuum Prælatum; necnon de quocunque crimine, quia de *Iure Ciuili* quandocunque com-
25 pelluntur. Excipe *Clericos* in Criminalibus cauſis, præſertim ſi ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, & agatur de Cauſa ſanguinis. Extendendo ad Laïcos aſpirantes ad Clericatum: vſque ad *n.* 202.

EX QVÆST. LXXIX.

ARGVMENTVM.

De Tortura Teſtium.

1 PPONITVR 33. contra Teſtes, quod fuerint *indebitè torti*. Et Regula cõſtituitur, quod ſcilicet liberi homines in caput alicuius non torqueantur. Serui verò indiſtinctè torquentur. Sic & in crimine læſæ-Maieſtatis, omnibus pariter tortura
2 infligitur. Extende ad teſtes vacillantes, & variantes; ad informatos de aliquo facto, veritatem dicere nolentes. Teſtes autem infames, ſiue infamia Iuris, ſiue infamia facti, ſine tortura non recipiuntur: ſic & Teſtes criminoſi, & à Iure reprobati, Vltronei, Domeſtici, Vicini necnon Teſtes, qui
3 dicunt non recordari de eo, de quo veriſimiliter recordari debẽt, niſi tamen obliuio ſit veriſimilis, quæ talis præſumitur poſt quinquennium, aliquando poſt triennium, quandóque minori tempore, Iudicis arbitrio: & generaliter Teſtibus torquendis copia indiciorum non datur: non tamen torquentur Minores quatuordecim annorum, niſi in crimine læſæ-Maieſtatis, Te-
4 ſtes inhabiles, & qui examinati nullam fidem faciunt ſed hoc, quamuis procedat de *Iure*, in practica non recipitur: quia indiſtinctè torquentur. Sacerdotes, licèt aliqui dixerint non poſſe torqueri, receptius eſt contrarium, dummodò contra eos magna
5 procedant indicia. Et quando fuit dictum, non torqueri liberos homines, intellectum fuit de perſonis conſtitutis in aliqua Dignitate, Nobilitate, vel Officio ſæculari; qui & torquentur, ſi ſibi ipſi varij, aut vacillantes reperiantur.

6 Ad torturam deueniri non poteſt contra quoſcunque Teſtes, niſi priùs conſtito de corpore delicti, vel niſi contra ipſos præcedant indicia, quia ſine indiciis torti nihil probant; & quando veritas aliunde haberi poteſt, abſurdum eſſet eos torquere: & quando eſſent plures informati, non omnes torquentur, ſed duo, aut tres. Alij dicunt, id verſari in Iudicis arbitrio. Eorúmque tortura debet eſſe moderata, ſcilicet, ſi ad habendam veritatem, per vnam quartã, horę ſeu ad ſummũ per medietatẽ: ſi ad purgandam infamiam, per ſpatium vnius *Credo*. In iſtis Teſtibus tortis multi 7 volunt eſſe neceſſariam ratificationem. Alij contradicunt, & forſan veriùs, eâ ſolita ratione, quia Teſtis ex interuallo ſuum dictum corrigere non poteſt: vſq; ad *n.* 89.

EX QVÆST. LXXX.
Oppoſitio XXXIV.

ARGVMENTVM.

De Teſte vltrò offerente ſe ad examen ſubeundum, & teſtificandum.

IN conflictu variarum opinionum, *Author* firmat Regulam, quod Te- 1
ſtis ſpontè ſe examini offerens, tamquam ſuſpectus non probet, & poſſit torqueri: ad hoc enim, ne vltro deponere dicatur, citatio de neceſſe requiritur, niſi Teſtis ſit productus à Parte, vel monitus à Iudice. Quamuis *Author* id neget, & citationem ſemper requiri profiteatur. Si verò Teſtes examinentur Parte præſente, & non con- 2
tradicente, tunc non dicuntur ſpontè deponere; præcipuè quando ſumus in materia, in qua agitur de peccato euitando, vel in Teſte, qui fortè fortunâ in Iudicio reperitur: nec in dubio, quis præſumitur ſpontè depoſuiſſe: & licèt quocunq; caſu iſte teſtis vltrò ſe ſubijciens, non faciat indicium, facit tamen præſumptionem: vſque ad *n.* 26.

EX QVÆST. LXXX.
Oppoſitio XXXV.

ARGVMENTVM.

Teſtis quando poſſit per ſcripturam deponere, abſque eo, quod voce teſtificetur.

IRMATVR Regula, (licèt pro, & contra aduerſentur ſibi inuicem opi- 3
niones,) quod ſcilicet Teſtes non poſſint in ſcriptis dictum ſuum tradere, non ſolùm quando ſunt præſentes in loco iudicij, ſed neque etiam ſi fuerint abſentes, & ſic per literas, vel ſcripturam Iudici tranſmiſſam, ſuam depoſitionẽ cõponere: Et hinc infertur ad *fides*, ſeu chartulas, in quibus vnus,

vel

vel plures absentes à Iudicio, faciunt pro
4 veritate fidem super aliqua re, seu ad literas Episcoporum, quæ nec etiam probant, quando quis habet necesse producere Testes in Iudicio; secùs si quis velit probare actum extraiudicialem, vel agatur de Excommunicatione. Et singulariter valeret Testimonium redactum in scriptis,
5 si ab ipsomet Teste legeretur coram Examinante, præsertim quando factum esset valde implicitum, & inuolutum, adeò vt viua voce exprimi non posset. Mutus ex
6 accidenti, & scribere sciens, testificando dictum suum in scriptis tradere potest: & generaliter quando agitur de relatione Peritorum, vel de probanda ætate filiorum, vel adesset consuetudo testimonium scriptum admittendi, vel illud ferentes, essent Nobiles, integræ opinionis, & omni exceptione maiores, vt sunt Aduocati, Notarij, Procuratores, qui omnes, vltra vitæ integritatem, sunt etiam versati in istis examinibus; & propterea non est periculũ, quod ore, & vultu non essent constanter confirmaturi id, quod per scripturam deposuerunt. Ista tamen Limitatio non recipitur in practica, quia Testes quantumcunque Nobiles, & integræ fidei, oretenus,
7 non per scripturam examinantur. Admitterentur tamen coram Arbitro, potestatẽ habente procedendi de Iure, & de facto, omissa omni Iuris solemnitate, vel si ità Iudici videretur: & tamen quandocunque inducunt præsumptionem, cuius qualis sit effectus, Author remissiuè loquitur: vsque ad *num.* 54.

EX QVÆST. LXXX. Oppositio XXXVI.

ARGVMENTVM.

Testes quando possint examinari die feriata? & examinati quando probent.

8 OPPONITVR, quod Testes sint *recepti die feriata*, & ideo non probent: sed si iurarunt die iuridica, vtique die feriata recipi possunt: quinimò de consensu Partium illis ipsis diebus & iurare, & examinari possunt. Excipe feriatos in honorẽ Dei, intelligendo de feriis introductis ad fauorẽ & necessitatem hominis, vel si esset periculum in mora, putà, quia abfuturi, infirmi, Valetudinarij, Iudicis iurisdictio esset peritura, seu examinarentur ad perpetuam rei memoriam, vel Iuris ordine prætermisso: vsque ad *n.* 59.

EX QVÆST. LXXX. Oppositio XXXVII.

ARGVMENTVM.

Testes quando possint examinari extra terminum? & examinati quando probent.

GENERALITER Testes examinati siue *post*, siue *extra terminum* ad 9
probandum assignatum, siue Statutarium, siue Legalem, siue etiam datum à Iudice, non probant. Hoc non procedit, quando
res est integra, in Causis summariis, quan- 10
do Testes sunt in promptu, vel incontinenti post terminum producuntur: eóque magis, si post lapsum terminum peruenerunt ad notitiam, seu causa fuit commissa de æquitate, provt inter Mercatores: & hinc generaliter Iudex ex officio post terminum potest examinare, præcipuè si in termino fuerunt iurati, quando terminus
est datus simpliciter ad probandum, dum- 11
modò in termino fuerint producti: & ità videtur tenere *Rota*. Sed quando esset datus terminus ad probandum, & probatum habendum per omne genus probationum, vel per verba præsenti temporis, putà si Iudex dixerit *debeat produxisse*; seu terminus daretur à *Lege*, vel *Statuto*; quia tunc non probant, quando Pars nullam fecerit diligentiam de illis examinandis in termino: & ad hoc, vt de ista diligentia cõstet, necessaria est possessio: vsque ad *n.* 92.

EX QVÆST. LXXX. Oppositio XXXVIII.

ARGVMENTVM.

Testes, quando secretè, & singulariter examinari debeant? & aliter examinati an probent, & quando.

REGVLA sit, quòd licèt Testes de- 12
beant iurare Parte præsente, vel citata; Attamen debent examinari *secretè*, nemine præsente, & audiẽte, & debẽt examinari singulariter, nõ insimul & in turba. Hoc non procedit quando Causa est multũ ardua, in qua potest Notarius, vel Iudex adhibere duos viros fide dignos, ad hoc vt nunquam dubitari contingat de eius fide:

sed communis obseruantia est in contra-
13 rium. Non pariter procedit in Causis sum-
mariis, in quibus non requiritur publica-
tio: & licèt non possint examinari Parte
præsente, attamen si fuerint examinati,
probant: sed Pars non potest alios Testes
producere: id pulchrum nota, & tene
menti: vsque ad *n.* 98.

EX QVÆST. LXXX.

Oppositio XXXIX.

ARGVMENTVM.

Testes an debeant per extensum examinari, vel per relationem ad alterius Testis depositionem? Et quid si dicant, contenta in articulo vera esse.

14 OPPOSITIO, quod Testes non sint examinati *per extensum*, vrgentissima est; quia non probant. Et hinc infertur, quod Testis dicens, *contenta in articulo esse vera*, nihil releuet, nisi reddat rationem, & factum narret. Extendendo, quod pariter non probet dicens, *veritatem esse, sicut alter Testis deposuit*; cùm depositio relatiua improbetur à Iure: ità relatis contrariis, & impugnatis, firmat *Author*: vsque ad *n.* 106.

EX QVÆST. LXXX.

Oppositio XL.

ARGVMENTVM.

De Testibus in articulo mortis constitutis, an, & quando possint examinari? & examinati quando probent.

15 OPPONITVR, quod Testes sint examinati *in articulo mortis*, & ideo non probent: ea quippe solidissima ratione, quia languet memoria, intellectus efficitur veluti mutus: & mortis timore op-
16 pressus, mortuo similis est: In hac oppositione quinque *Author* refert opiniones sibi inuicem aduersantes: & tandem ipse concludit, quod Testi in *articulo mortis* constituto examinato nunquam plenè credatur: & tantùm faciat aliquam præsumptionem, nisi fuerit formiter, citata Parte, & Iudice præsente examinatus: vsque ad *n.* 113.

EX QVÆST. LXXX.

Oppositio XLI.

ARGVMENTVM.

De Testium effrænato numero refrænando.

OPPONITVR, quod non de-
beant Testes *in effrænato numero* 17
examinari, sed eorum multitudo refræ-
nanda. De *Iure Canonico*, Testes *Qua-
draginta* examinari possunt: de *Iure Ci-
uili*, super vnoquoque articulo *Tres* tan-
tùm, & non plures recipiuntur. Verius ta-
men est, id totum Iudicis arbitrio remis-
sum esse, qui considerata magnitudine, &
qualitate personarum, & Causæ, iudicabit
qualis sit sufficiens, vel effrænatus Te- 18
stium numerus. Vbi autem Statuta adsint,
sunt seruanda: & quandocunque Iudex
numerum refrænat, non antequàm exa-
minentur id facit, sed quando, aliquibus
examinatis, videt intentionem producen-
tis probatam: vsque ad *n.* 117.

EX QVÆST. LXXX.

Oppositio XLII.

ARGVMENTVM.

De Testibus examinatis in Iudicio nullo.

OPPONITVR, quod Testes sint exa-
minati coram Iudice *incompetente*, 19
vel aliàs in Iudicio *minùs solemniter* agi-
tato: ideóque non probent. Et in hac
Oppositione nullum facit dubium *Au-
thor*. Illam non ampliat, neque limitat.
Quare Conclusio verissima, & vti talis
semper seruanda.

LAVS DEO.

SVCCVS

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII

PARS NONA.

EX

LIBRO TERTIO, TITVLO NONO, QVÆST. LXXXI. CAP. I. DE REO CONFESSO, ET CONVICTO.

ARGVMENTVM.

Confeßio iudicialis, an, & quando ad condemnandum ſufficiat? & generaliter de materia.

1 VM ſuperiùs fuerit extorculata materia accuſandi, inquirendi, carcerandi, torquendi, & examinandi, tam Reos, quàm Teſtes; operæ pretium eſt videre, quando Rei *confiteantur*, vel *conuicti* reperiantur, & quæ ad eorum condemnationem pertineant.

Regula igitur conſtituitur, quod iudi-
2 cialis, & ſpontanea confeſſio, ad condemnandum ſufficiat: cùm nulla maior reperiatur probatio, quàm oris proprij iudicialis confeſſio: & ideo eadem validat nullitatem proceſſus: & facta in vno iudicio, præiudicat in alio: & quando ſit qualificata, poteſt pro parte Fiſci acceptari, & pro parte reijci, reiecta qualitate excuſatoria: valet ad condemnandum, licèt emanauerit ſiue indiciis: nocet *cõfitentis hæredibus*,
3 & propterea poteſt conueniri hæres furis ad reſtituendum bona, quæ fur ipſe abſtuliſſe confeſſus eſt; dummodò aſſertio non fuiſſet erronea, & prolata per verba enunciatiua; ac dummodò generaliter confeſſio non ſit contraria veritati, ſeu falſa; licèt ſemper in dubio præſumatur vera. Et hinc confitens occidiſſe hominem, qui viuus
4 reperiatur, tamquam falſa, in nihilo nocet confitenti, ſi de illius innocentia Iudici conſtet; nedum ante, ſed etiam poſt ſententiam; quamuis hoc vltimo caſu, pro liberatione confitentis Princeps ſit conſulendus. Minúſque ſufficit ad condemnandum confeſſio emanata coram Iudice incompetente: eóque minùs confeſſio inueriſimilis, improbabilis, impoſſibilis, non verificata in circunſtantiis, & qualitatibus, præſertim ſubſtantialibus per Reum con- 5
feſſis, ſiue per torturam, ſiue ſpontè. Debet eſſe inſuper ſpecifica, non dubia, incerta, tacita, vel implicita; ſed clara, certa, lucida, expreſſa, explicita; aliàs nihil operatur: & propterea quando quis excipiendo, vel ſeipſum, vel alium, criminis Reum tacitè fateatur, nihil infert ad condemnationem: ideóque dubia, & incerta, ſumitur in bonã 6
partem, in fauorem Confitentis, & ſecundùm illius intentionem; niſi eſſet homo malæ famæ, & confiteretur quæ de ſe mala, & prohibita ſunt; ac demum quandocunque ſatis eſt ad torquendum. Idem ſi confeſſio ſit ſine cauſſa, incidenter emanata, ſub ſpe impunitatis promiſſæ à Iudice, quam promittere non poteſt: ac pari paſſu, ſi ſit erronea ſiue facta coram ſolo Notario, Iudice abſente, & de Iudicis ordine non examinante. Quinimò non deſunt

volentes, confessionem factam coram Iudice, non sedente pro Tribunali, & non in forma iudicij, nihil valere; quamuis faciat indicium ad torturã, & ad condemnandũ ad pœnam extraordinariam sufficiat. Extende quod iudicialis confessio calore iracundiæ, properè, repentinò, ex abrupto, & non deliberatè, itidem ad condemnandum non sufficiat: Et hæc est communis, ac receptissima opinio: vsque ad *num.60.* 7

Confessio Procuratoris, Principali non nocet; præcipuè in Criminalibus, nisi ad hoc haberet specialissimum mandatum: quinimò ab ipso Principali facta coram duobus ex tribus Iudicibus, non valet; cùm debeat coram omnibus emanare: ac generaliter in materia *confessionis*, valet argumentum de Ciuilibus ad Criminalia negatiuè, non autem affirmatiuè: Et iterum generaliter, vnius confessio, alteri non nocet: & hoc procedit tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus: vsque ad *n.66.* 8

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Confessio validat nullitatem Processus, quando hoc verum sit, & quando non.

REGVLARITER Confessio validat nullitatem processus, quia vbi habemus confessionem, non curamus de tela iudiciaria: ideóque, licèt sit omissus ordo substantialis, lis non sit contestata, & instantia sit perempta, condemnari 9 potest. Non tamen ad id cogitur Iudex, nec supplet defectum sententiæ in Criminalibus: quinimò nec validat nullitatem resultantem ratione præposterati ordinis. Alij contrà, & verius. Extende, quod nec 10 suppleat inquisitionis defectum, quoad pœnam ordinariam imponendam. Sic nec nocet confessio sine indiciis in tortura, vel metu tormentorum extorta: siue 11 nullitas inest in ipsa confessione; quia licèt confessus possit condemnari ex processu nullo, hoc intelligitur de pœna extra ordinem: vsque ad *numer.92.*

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. III.

ARGVMENTVM.

Confessio facta in vno iudicio, an, & quando probet in alio.

QVAMVIS regulariter confessio facta in vno Iudicio, præiudicet Confitenti in alio: ac confessio criminis facta in iudicio Ciuili, vel Criminali ciuiliter intentato, præiudicet in iudicio Criminali; attamen facta coram Arbitro tantùm sufficit ad condemnandum extraordinem: & in Criminalibus, nunquam satis est: quia, licèt facta in summario iudicio, probet in ordinario, seu plenario; & facta iudicio nullo, probet etiam in alio iudicio; id intelligitur inter easdem personas, ac dummodo confessio sit vera, expressa, & explicita; quia secùs, si fuerit reprobata à Iure, facta à Procuratore, seu incidenter emanata: vsque ad *n.110.* 12

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. IV.

ARGVMENTVM.

Confessio qualificata, an, & quando possit per Fiscum scindi, & pro parte acceptari, pro parte verò impugnari.

REGVLARITER confessio qualificata scinditur, & pro parte acceptatur, pro parte verò reijcitur, quando sumus in prohibitis; & iis, quæ habent contra se præsumptionem: provt est homicidium, iniuria, & iis similia. Ampliando, vt procedat non solùm quando qualitas est adiecta confessioni sub duplici constructione verborum; vt putà, si quis dixerit, *occidi, sed ad meam defensionem*; verùm etiam si facta sit sub vnica structura verborum, putà, dicendo, *occidi ad meam defensionem.* Alij contrà. *Author* verò distinguit, quod confessio emanata vnica structura verborum, possit scindi, & pro parte acceptari, quoad pœnam extra 13 14

extraordinariam : & hæc distinctio est in se verissima : quia quocunque modo qualitas confessioni adijciatur, nunquam operatur impositionem pœnæ ordinariæ : quinimò potest quis à principio delictum simpliciter fatendo ex interuallo qualitatem adijcere ; dummodò sic ex interuallo adiectam qualitatem probet . vsque ad *num.* 127.

Verùm si à principio negatum esset de-
15 lictum, & postea metu probationum Reus videns se conuictum ; vel ex quacunque alia causa illud confessus esset qualificatè, tunc ratione doli præsumpti ex præcedenti mendacio , ista confessio qualificata potest pro parte acceptari , & pro parte impugnari : quia licèt hoc casu Reus non
16 prohibeatur qualitatem adiectam probare, eâ non probatâ , condemnari potest in pœnam ordinariam : sed si Reus non sit conuictus , & de delicto aliter non constet , quàm per suam confessionem ; tunc siue Reus neget , & postea cum qualitate confiteatur ; siue etiam à principio negasset , & qualitatem subsecutæ confessioni adiectam non probasset; nec est torquendus , vti voluerunt multi , nec etiam condemnandus , nisi extraordinariè : verùm si constet aliunde per plenas probationes, vel etiam si non constet quàm per indicia, tunc , non obstante confessione qualificata , primo casu absque dubio intrat pœna ordinaria : secundo autem, quidquid multi dicant , posset torqueri ad hoc , vt sine
17 qualitate , & simpliciter respondeat. Alij contra hanc conclusionem insurgunt : & *Author* ipse fatetur , non posse torqueri , sed tantùm extraordinem condemnari : vsque ad *n.* 142.

Sed si qualitas incipiat à Negatiua ; pu-
18 tà , quod Reus dixerit , *non occidi* , *sed si occidi* , *ad defensionem meam occidi* : tunc Confitens habetur pro negante , nec ista confessio qualificata potest scindi : & idem , si confessio non incipiat à Negatiua , sed à conditione ; putà , si dixerit , *si occidi* , *occidi ad defensionem* : quo casu eâ non admissâ , Reus torqueri debet , vt affirmatiuè, vel negatiuè respondeat : & eò magis haberetur pro negante iste Confitens, si post adiectam qualitatem , adijceret etiam clausulam , *& non aliter* : vsque ad *num.* 149.

19 In delictis non prohibitis à Iure communi , confessio qualificata non potest scindi : & hinc , si quis confessus fuerit detulisse frumentum extra territorium , sed cum licentia ; ista confessio , vel debet in totum acceptari , vel in totum reijci , & contrarium probari. Alij contrà. *Author* verò dicit , quod possit isto casu imponi pœna extraordinaria. Sed ego non 20
assentior , & mihi videtur prima Conclusio valde rationabilis : quia aut supponimus delictum , & illud quidem probatum per confessionem , & tunc intraret pœna ordinaria : si autem concedamus , confessionem istam qualificatam non posse scindi , & nihil probare , quomodo ergo poterit infligi pœna extraordinaria? cùm certum sit , inter delictum , & inno- 21
centiam non dari medium : id obiter sit dictum , absque eo , quod hæc mea sententia de facto , & super duobus pedibus data , in concursu tantorum PP. vllam faciat authoritatem.

Et quidquid multi dixerint, quod quando qualitas adiecta iustificetur aliunde , 22
Regulam non procedere , præsertim quando de delicto aliter non constet , quàm per confessionem Rei; verius tamen esse dicit *Author* , pœnam extraordinariam imponi posse , si versemur in prohibitis à *Iure* , provt in homicidio. Et licèt Alij contra ; de mente *Authoris* intrepidè 23
teneas , quod confessus occidisse ad sui defensionem , non possit condemnari nisi extraordinem , quamuis sit grauata confessio aliis indiciis , dummodò non adijciatur qualitas confessioni ex interuallo ; quia si secùs , & qualificatio non processerit vnico structu verborum , imponitur pœna ordinaria ; præsertim si ipsa qualitas non haberet præsumptionem ; vt putà quod probetur , occisum habuisse causam se vlciscendi , quia priùs fuerit offensus ab 24
occidente ; vel fuisse rixosum, ebrium, vel scandalosum ; secùs verò , quando contra qualitatem adiectam militaret præsumptio contraria : vsque ad *n.* 171.

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. V.

ARGVMENTVM.

Confessus sponte quando mitiùs puniatur, quàm non sponte confessus , seu conuictus.

REGVLARITER mitiùs agitur cum sponte confesso , quàm 25
cum conuicto : scilicet quando in primo examine nulla præcedente interrogatione , delictum fassus fuerit ; siue

quando Statutum mandaret, in ſpontè
26 confeſſo pœnam minui. De validitate huiuſmodi Statuti, licèt varij varia dixerint; Concluſio generalis, & probata eſt, quod ille non gaudeat hoc beneficio, qui primò negauit, & poſtea videns ſe conuictum, faſſus fuerit. Multi etiam volunt,
27 quod liberè confitens delictum, præſumatur ſine dolo deliquiſſe: hoc tamen non procederet in pœnis impoſitis ipſo Iure, ordinariis, certis, & à *Lege* ſtatutis: eóque minus in confitente delictum, ſed negante qualitatem aggrauantem probatam: vſque ad *n.* 188.

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. VI.

ARGVMENTVM.

Confeſſio emanata coram Iudice incompetente, quid, & quantum probet? & quando ad torturam faciat indicium.

28 CONFESSIO facta coram Iudice incompetente non ſatis eſt ad condemnandum, quamuis ſit ratificata, & geminata; ſiue ſit incompetens ratione perſonæ, ſiue ratione cauſæ; ſed ſufficit ad torturam, quia habet vim confeſſionis extraiudicialis; & poteſt confitens ad ratificandum cogi coram Iudice competente.
29 Extende ad confeſſionem Clerici factam coram Iudice Laïco; niſi tamen ſimilis confeſſio emanaret per torturam inflictam Clerico, qui non ſpontè, ſed inuitus ad Iudicem ſæcularem trahitur. Et
30 generaliter talis confeſſio indicium facit, quamuis emanauerit, nullis præcedentibus indiciis, & eſſet emanata incidenter, non principaliter: vſque ad *n.* 219.

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. VII.

ARGVMENTVM.

Confeſſio criminis per viam exceptionis oppoſita, vel aliàs incidenter emanata, an ad condemnandum ſufficiat; quando; & in quam pœnam.

31 REGVLA ſit, quod confeſſio emanata de crimine, ad quod non agebatur, ad condemnandum non ſufficiat, ità vt ſi contra promouendum ad ſacros Ordines, obijciatur crimen, putà, homicidium, illúdque fateatur, licèt repellatur à promotione, non tamen ex tali confeſſione punitur; quia incidenter non conſideratur criminoſa depoſitio. Extendendo ad Teſtem, qui ſuper interrogatoriis Partis aduerſæ fateretur aliquod delictum. Et ampliando in Accuſatore. Sed in crimine falſi, confeſſio etiam incidenter facta, ſufficit ad condemnandum. Sed de hac materia vide DD. diſtinguentes in *l. vbi, C. de falſ.* Ac generaliter quando 33
exceptio criminis ſapit accuſationem, & illius locum aſſumit, confeſſo incidenter delictum pœna extraordinaria poteſt imponi: præcipuè, ſi vltra confeſſionem adſint probationes, vel delictum confeſſatum tangat cauſam, de qua principaliter agitur, ac in multis aliis caſibus, de quibus *Author* loquitur remiſſiuè: vſque ad *num.* 269.

32

Receptiſſimum eſt, quod *excipiens* non videatur confiteri intentionem Actoris: 34
& ideo quando conſtat de crimine connexo, & contingente cauſam, de qua agitur, imponi poteſt pœna debiti ordinaria; ſecus, ſi de delicto connexo conſtet per confeſſionem incidenter factam; ac dummodo agatur coram Iudice ordinario non delegato. Et quidquid DD. controuertant 35
in confeſſione emanata incidenter, hoc tamen abſolutum eſt, quod quæcunque confeſſiones & probationes criminis in vno Iudicio factæ & in alio nouo formato deductæ & reproductæ, nihil ad condemnandum ſufficiant: vſque ad *n.* 276.

EX QVÆST. LXXXI.

Cap. VIII.

ARGVMENTVM.

Confeſſio ſub ſpe impunitatis promiſſæ quando ſufficiat ad condemnandum? quandóve Iudex poſſit hanc impunitatem promittere; promiſſam ſeruare; vel ſimulationibus, & artibus vti ad eruendam confeſſionem.

REGVLA ſit, quod confeſſio emanata ſub ſpe impunitatis promiſſæ 36
à Iudice, tamquam eiuſdem Iudicis dolo extorta, ad condemnandum minimè ſufficiat.

sufficiat. Et quidquid Alij contrà; non recedas. Iudex autem habens authoritatem concedendi, vel Princeps concedens impunitatem, eam seruare debet. Sed
37 sufficeret ad condemnandum, si Iudex dolosè suasisset confiteri, nulla promissa impunitate: quia aliàs emanata, nullo modo condemnationem operaretur, nisi esset ratificata, vel adminiculata indiciis indubitatis: & isto casu tantùm pœna extraordinaria haberet locum. Non desunt
38 tam in volentes, quod confessio inducta, seu extra blandis verbis Iudicis, gratiam tacitè promittentis, sufficiat ad condemnandum, etiam in pœnam ordinariam: vsque ad *n.*304.

Potest Iudex regulariter pro habenda
39 veritate delicti à Reo, vti simulationibus, blandis verbis, eum amicabiliter, & benignè tractare, ac alia facere, quæ cum dulcedine ipsum promoueant ad fatendum veritatem; quinimò potest intromittere extraneos inter carceratos, vt ipsorum voluntatem inquirant, & explorent;
40 sed *Author* excepta hæresi, ab istis cautelis abstinendum consulit. Non potest tamen vti falsitatibus, & mendaciis; nec taliter fingere, & simulare, vt oriri possit aliquod magnum præiudicium; imò
41 tantùm sibi permittitur vti simulationibus, & cautelis laudabilibus, & ad bonum finem ordinatis, quæ debent redigi in scriptis per Notarium: aliàs oriretur suspicio illiciti mendacij: vsque ad *n.*315.

EX QVÆST. LXXXI. Cap. IX.

ARGVMENTVM.

Confessio, an, & quando possit prætextu erroris reuocari? & quomodo allegatus error probari debeat.

42 CONFESSIO, siuè spontaneà, siue per torturam emanata, quando erronea est, potest per Confitentem reuocari, excusari, interpretari, & declarari, etiam ex interuallo; quamuis sit iurata sub quacunque forma iuramenti: & quamuis sit acceptata, deliberata, repetita, geminata, ac ratificata; dummodò allegetur error in specie, cum causa erroris; & de illo doceatur, siue ante, siue post sententiam; talisque reuocatio, siue procedat ab ipso Confitente, siue ab alio, Confitente inuito, recipi, & acceptari debet, illáque à Iudice admitti, dummodò 43
non calumniosè proponatur; quod remissum est arbitrio Iudicantis. *Author* tamen firmat, quod licèt confessio esset spontanea, etiam mille indiciis præcedentibus, nunquam denegatur facultas errorem allegandi & probandi: sed sola allegatio erroris non suffragatur; debet enim probari plenè, saltèm ex indiciis, & coniecturis: errórque cadere non debet in latam culpam. Singulariter verò, quando 44
Confitens incontinenti reuocat confessionem suam, tunc non habet necesse probare errorem: & incontinenti dicitur reuocata, nedum antequam sit scripta, sed etiam postea, dummodo in cursu examinis reuocetur: ac quandocunque sit probandus error, sufficit, illum probare in parte: quia confessio in parte erronea, in totum præsumitur: ac dicitur probatus error in confessione relatiua ad scripturam, si in scriptura contrarium appareat cùm tunc dicatur probatum de errore absque alia extrinseca probatione: vsque ad *num.*352.

EX QVÆST. LXXXI. Cap. X.

ARGVMENTVM.

Confessio Minoris emanata sine Curatoris authoritate, an, & qnando valeat? & quando ipsi Minori aduersus suam confessionem detur in Criminalibus restitutio in integrum.

CONFESSIO Minoris, sine Tutoris, aut Curatoris authoritate, 45
ipso Iure non valet, nec ipsi Minori nocet: quia Minor etiam in Criminalibus non habet legitimam personam standi in iudicio: & licèt Minor obligetur ex delicto, id intelligitur, quando hoc plenè probatur præter confessionem: non valet enim Minoris confessio sine solemnitatibus requisitis à *Statuto*, quamuis Minor sit Paterfamilias, adultus, & Maior quatuordecim annorum: Minor enim, dum non habet Curatorem, isto casu illi est dandus; 46
quia nec valeret negatio delicti, ex qua consequeretur præiudicium; quamuis confessio, seu negatio essent reperitæ, geminatæ ac iuratæ: & isto casu Tutor,

seu

seu Curator debet interponere suam authoritatem, non statim, sed ex interuallo, & cum cognitione causæ: vsque ad *num.* 361.

Hæc tamen procedunt in iis, quæ respiciunt ordinem Iudicij, & pertinent ad
47 Iudicium solemnizandum; secùs in his, quæ fiunt ad inquirendum veritatem, prout est tortura; in qua, licèt Curator debeat interuenire in Decreto, non tamen interuenire debet in tortura: sed quidquid sit de *Iure*, in Practica talis Tutor, vel Curator in Criminalibus non recipitur: vsque ad *n.* 372.

Regula secunda sit, vt Minor restituatur in Criminalibus aduersus suam con-
48 fessionem; etiam quod confessio sit valida, emanata scilicet cum consensu Tutoris, seu Curatoris, etiam non docto de errore. Extendendo ad confessionem ratificatam, & iuratam. Limita, hoc non procedere in atrocibus, quando *Statu-*
49 *tum* habet Minorem pro Maiore; quando aliunde constat de crimine per probationes; ac tandem quandocumque vnica tantum restitutio conceditur: vsque ad *num.* 391.

EX QVÆST. LXXXII.
Reg. I.

ARGVMENTVM.

Confessio extraiudicialis, an probet plenè contra Confitentem, & quando.

REGVLA prima sit, quod con-
1 fessio extraiudicialis nec plenè probet, nec ad condemnandum sufficiat: & licèt aliqui dixerint, quod concurrentibus indiciis ex tali confessione quis possit condemnari, hoc sanè intelligendum quoad pœnam extraordinariam: quinimò, quamuis sit acceptata à Parte, eáque præsente; crimen non probat, sed tantum ad torturam facit indicium, nisi de crimine ciuiliter agatur: & geminata fuerit, quidquid Alij dicant; *Author* optimè discurrendo firmat ad acriùs torquendum.

2 Confessio verò extraiudicialis facta ad exonerationem Conscientiæ, scilicet, quando quis constitutus in articulo mortis confiteatur commisisse vsuras, recepisse depositum, vel quid simile, de *Iure Ca-*
3 *nonico* plenè probat; secus de *Iure Ciuili*: & primo casu, dummodò sit specifica confessio, personis enunciatis, à quibus pecunias per vsuras extorserit; secùs si simpliciter dixisset, vsuras commisisse. Quinimò nota, quod talis confessio non valet in vim propriæ confessionis, sed in vim legati; concurrentibus, *Primò*, quod 4
sit iurata. *Secundò*, quod Notarius stipuletur pro Parte absente, vel quod ipsa Pars sit præsens, & acceptans; quia alàs tantummodò operaretur in foro Conscientiæ. Talis confessio potest quandocunque reuocari, nisi fuerit acceptata, & stipulata: & si fiat in Iudicio generaliter de vsuris commissis, personis non expressis, nihil prorsus valet propter eius incertitudinem. Extraiudicialis verò confessio facta in pu- 5
blico, & coram multitudine Personarum, quia videtur transire in *Notorium*, multi dixerunt, quod sufficiat ad condemnandum: verius tamen est, ad pœnam tantùm extraordinariam: & si adesset acceptans, prout esset, si fieret coram Syndico repræsentante Populum, vel medio Iuramento, etiam in ordinariam secundùm quamplures; sed *Author* in Criminalibus non assentitur: plenè verò absque 6
hæsitatione probaret quidquid in animo latet; prout est in crimine hæresis, vel quando deduceretur in Iudicio tamquam delictum particulare, & de per se, vt putà, quando quis gloriaretur de commisso crimine in infamiam alterius; sed & hoc casu tantum sufficit ad pœnam extraordinariam imponendam: & si Confitens fuerit Clericus, secundùm communiorem 7
opinionem, in qua residet *Author*, potest imponi Suspensio à Beneficio, vel iniungi purgatio Canonica: vsque ad *n.* 23.

EX QVÆST. LXXXII.
Reg. II.

ARGVMENTVM.

Confessio extraiudicialis quando sufficiat ad Torturam, nécne.

REGVLA secunda sit, quod con-
fessio extraiudicialis, licèt non suf- 8
ficiat ad condemnandum; tamen, siue sit Maioris, siue Minoris, sufficit ad torquendum: quamuis hoc casu, Minori detur in integrum restitutio. Sed si talis 9
confessio extraiudicialis fuisset reuocata, adhuc sufficeret ad Torturam: non verò noceret si quis fateretur homicidium 10
commisisse, non nominata certa persona:

præsertim

præsertim si id faceret calore iracundiæ, vel per lasciuiam: Et generaliter extraiudicialis confessio nunquam nocet, nisi sit concludenter probata per Testes,contestes, idoneos, legales, ac
10 etiam rogatos; cùm non sufficiat, quod fortuitò audierint: & huic conclusioni nemo de Iure contradicit; licèt in practica quælibet extraiudicialis confessio faciat indicium ad torturam: vsque ad *num.* 47.

EX QVÆST. LXXXIII.

Cap. I.

ARGVMENTVM.

Confessio emanata in Tortura, sine legitimis indiciis illata, quando valeat? & quando præsumatur ipsa Tortura, necnon quot modis probetur.

CONFESSIO extorta à Iudice
1 per torturam sine indiciis, vel cum indiciis non legitimis, aut non sufficientibus, non valet: & quamuis iurata, emanata coram Iudice habente liberum, & absolutum arbitrium in procedendo, non conualidatur per superuenientia indicia, etiam in criminibus exceptis, & atrocissimis delictis: quinimò etiam ratificata, geminata, verificata per oculorum inspectionem:
2 & licèt hoc casu posset extraordinariè condemnari, tutius esset absoluere: necnon ipsa confessio cum omnibus inde secutis sit nulla. Excipe publicos latrones, diffamatos, viarúmque Grassatores, & similes sceleratissimos homines, qui etiam sine indiciis torqueri possunt, probata diffamatione.

3 Tortura cùm regulariter non præsumatur, probari debet: sed cùm sit difficilis probationis, coniecturæ, & præsumptiones sufficiunt: quare probatur per famam, per genitum, & clamorem auditum ab iis in loco Torturæ, qui illius Rei vocem notam habent, quando Reus portaret brachia ad collum, & in illis stigmata, & signa ligaturæ apparerent; ac denique probatur per domesticos, & familiares *Potestatis*; per Carceratos, & consocios Carcerati, qui dicitur tortus: & familiares, ac domestici Prætoris, tamquam verisimiliter informati, poterunt ad hoc cogi, & torqueri, si præcedant indicia. Verùm 4
hæc intelligas ad effectum inualidandi confessionem, non autem condemnandi Officialem; quia ad hoc non sufficiunt præsumptiones, etiam vehementes, sed requiritur plena probatio: vsque ad *n.* 31.

EX QVÆST. LXXXIII.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Confessio metu tormentorum quando Confitenti noceat, & ad condemnandum sufficiat? quandóve dicatur metu tormentorum extorta.

CONFESSIO metu tormento-
rum facta, æquiparatur factæ in 5
tormentis: & ideo non præcedentibus indiciis, Fisco non prodest, & Confitenti non præiudicat. Præsumitur sic extorta, vt aliqui voluerunt, si esset facta in carcere atroci, & valde infecto; vel in quo ex causa, & culpa Iudicis, famem, & sitim patiebatur; detinebatur in ipsis, catenis, & manicis ferreis; siue Iudex minabatur ipsi Torturam secuta inde spoliatione, & ligatione ad tormenta; præsertim in persona timida, debili, non sagaci; quandóve minæ non fuerunt simplices, & 6
ordinariæ, sed terribiles, atroces, vehementes, & geminatæ, ac versaremur in Iudice rigoroso, terribili, & solito suas minas exequi. Extende, quod non præiudicet etiam facta in loco tormentorum, iunctis minis detorquendo: Sed licèt quocunque casu ista confessio non sufficiat ad condemnandum, extorta metu carceris, satis esset ad torquendum.

***

EX QVÆST.

EX QVÆST. LXXXIII. Cap. III.

ARGVMENTVM.

Confessio per Torturam extorta, an, & quando ratificari debeat; & non ratificata, ad condemnandum sufficiat.

RATIFICATIO confessionis
7 in Tortura emanatæ, vel metu tormentorum probatæ, adeò necessaria est, vt absque ea prorsus irrita, & nulla habeatur: quæ quidem ratificatio fieri debet extra locum Torturæ, & ex intervallo ad minus viginti quatuor horarum, secundùm multos: licèt verius sit, hoc
8 remitti Iudicis arbitrio. Testes in huiusmodi ratificatione non adhibentur, & potest recipi etiam in carceribus, dummodò non sequatur ex minis nouæ Torturæ. Confessio verò facta extra Torturam nulla indiget ratificatione: quinimò multi volunt, vt nec etiam facta in tormentis, quando indiciis erat adminiculata, vel præcesserat confessio extraiudicialis, aut Tortura erat leuis, & modica: communius tamen, & receptius est, adhuc requiri: vsque ad *n.* 84.

EX QVÆST. LXXXIII. Cap. IV.

ARGVMENTVM.

Confessio per Interrogatoria suggestiua, siue in Tortura, siue extra extorta, quando ad condemnandum sufficiat.

SVGGESTIO, tam in Tortura,
9 quàm antea, & extra eam, à *Iure* semper prohibita est: ideóque sic per suggestionem extorta, nihil confitenti præiudicat, & omnia inde secuta sunt nulla; siue in damnum Rei, siue etiam Fisci, siue etiam in examine Testium; sed potissimum quando Reus interrogatur de
10 Complicibus. Quæ verò sint Interrogatoria suggestiua, Iudicis arbitrio remittuntur; cui non permittit legere Reo completas Testium depositiones ad ipsum conuincendum, propter suggestionis periculum. Suggestio duplex est, vna aperta, quæ inducitur per interrogationes ex- 11
tra deducta in processu, seu, vt dicitur, de malo arbitrio factas. Altera palliata, quando non apparet, de qua re fuerit Reus interrogatus. Quapropter suggestiuum reputatur Interrogatorium illud, quod per extensum in processu suggestio est prohibita etiam per interpositam personam, videlicet quando Iudices mittunt in se- 12
cretis carceribus aliquem informatum, qui suggerat carcerato delictum de quo quæritur; ex quo confessio inde emanata prorsus est inualida: & in tantum suggestio euitari debet, vt Iudex inferendo Torturam, nedum suggerere; sed nec etiam minari, aut importunè suadere, debeat; sed sedato animo, & composito vultu, Tortura pendente, per duas, aut tres 13
vices interrogare, non amplius; & ità practicari debet à Iudicibus, Deum, & Iustitiam timentibus. Verùm extra Torturam, quando indicia sunt manifesta, Reus potest in specie de delicto interrogari: imò de Consuetudine, quidquid sit de Iure; quandocunque specificè interrogatur.

EX QVÆST. LXXXIV.

ARGVMENTVM.

Delictum, an, & quando probetur per scripturam, seu Instrumentum.

DELICTVM regulariter non pro-
batur per Instrumentum, quamuis 1
esset commissum in præsentia Notarij: & quamuis Instrumentum, seu scriptura sit reperta in Archiuio publico, nisi Instrumentum, & scriptura sint de se delictum; id non negaretur; vel esset celebrata de consensu Partium; vel continerent delictum Conspirationis, crimen Vsurarum, Falsi, Periurij, Hæresis; seu esset scriptu-
rata priuata, scripta ab ipso delinquente, 2
& contineret id, quod pertinet ad officium scribentis; vt putà, in publico Exactore, cuius scriptura probat indebitam exactionem: secùs autem in his, quæ ad officium scribentis non spectant; vt putà, si tu scriberes feciſſe Adulterium, nam talis scriptura non probat contra te, nisi quantum probet extraiudicialis confessio. Probat etiam Instrumentum confectum vo-
lente, & sciente Delinquente, dummo- 3
dò crimen non mereatur pœnam corporalem,

ralem, ad quam nemo se obligare potest: quare in similibus tantùm faceret aliquam præsumptionem, & probationes coadiuuaret: vsque ad *n. fin.* 55.

EX QVÆST. LXXXV.

ARGVMENTVM.

Delictum in dubio an præsumatur? & pro exclusione delicti quando omnis interpretatio fieri debeat.

REGVLARITER in dubio delictum non præsumitur: eò minùs 1
in Clerico. Quare delicti præsumptio exclusiua, dicitur præsumptio *Iuris*: & in dubio pœnam non esse incursam iudicandum est, quia actus indifferens ad delictum, & non delictum, potiùs bonus, quàm malus præsumendus: & qui vno loco, & tempore est licitus, alio verò loco, & tempore illicitus, potiùs licitus, quàm illicitus iudicandus est in iis, quæ regulariter sunt permissa, licèt certo loco, 2
& tempore prohibita. Et hinc verba, quæ possunt trahi ad bonum, & ad malum, interpretanda potiùs ad bonum, etiam ad exclusionem falsitatis, hæresis, & blasphemiæ; quamuis aliquo modo improprientur. Ex quo, consilium alicui datum, si 3
sonet in delictum, & non delictum, præsumitur potiùs bonum, quàm malum; quia concurrentibus duabus præsumptionibus, quarum vna sit exclusiua, altera verò delicti inclusiua, potiùs attenditur exclusiua: Et hinc est, quod actus præsumitur potiùs factus ex causa licita, quàm illicita; licèt in contrarium adsit aliqua præsumptio. Et licèt pariter debitum po- 4
tiùs præsumatur minùs, quàm maius; attamen, quando consistit in iis, quæ prima fronte habent formam, & speciem mali, quia sint prohibita à Iure Diuino, Naturali, vel Gentium. Delictum præsumitur sicut excluditur in iis, quæ prohibita sunt à Iure positiuo; imò & à Iure naturali, 5
vel diuino, si probetur causa exclusiua; & ideo quando agitur de præiudicio Tertij, ad illud excludendum, delictum præsumitur, nisi adsit actus æquiuocus, & agatur in specie circa inuestigationem negocij: vsque ad *n.* 51.

EX QVÆST. LXXXVI.

ARGVMENTVM.

Quando probationes in Criminalibus debeant esse luce meridiana clariores? quandóve ex indiciis, & præsumptionibus quis condemnari possit.

REGVLARITER ex præsumptionibus, & coniecturis nemo 1
criminaliter condemnari potest, & probationes ad hoc debent esse concludentes, lucéque meridiana clariores, quomodocunque agatur. Imò nec sufficiunt indicia verisimilia, & probabilia, nisi essent indubitata, ex quibus *pecuniariè* quis condemnari potest. Imò nec etiam duæ semiplenæ probationes diuersi generis, ad eumdem finem tendentes, coniunguntur, in tantum vt, nec semiplena probatio ad condemnandum, nisi extra ordinem, sufficiat; vsque ad *n.* 29.

Hæc non procedunt in delictis occultis, & difficilis probationis, in quibus po- 2
test sequi condemnatio, dummodò sint indicia indubitata, & verisimilia: intellecto quoad pœnam extraordinariam. Eáque delicta dicuntur difficilis probationis, & occulta, quorum probatio à communiter accidentibus, Iudicis arbitrio non de facili haberi potest, inter quæ connumerantur dolus, fraus, simulatio, partus suppositus, Incendium, Sodomia, Adulterium, Simonia, Furtum, Tractatus, Mandatum, Conspiratio, Venenatio, Falsitas, falsa Moneta, Latrocinium, Derobatio stratarum, Ostium fractum, & apertum; introitus in locum periculosum, delicta domestica, Vsura, Damnum de nocte datum, iniuriarum æstimatio, minæ per maritum vxori illatæ, & quod filius percusserit Matrem: sed in præmissis, & ex dictis indubitatis indiciis, non imponitur nisi pœna extra ordinem: Et notabiliter in delictis nocturnis, & crimine Assassinij, satis essent argumenta probabilia, præsertim ad qualitates Assassinij probandas: vsque ad *n.* 43.

Præsumptiones violentissimæ, seu vr- 3
gentissimæ æquiparantur indiciis indubitatis: & propterea ad condemnandum sufficiunt; quinimò plura indicia dubitata, si sint grauia, & valdè proxima, coniunguntur ad faciendum vnum indicium indubitatum, ex quo possit imponi

pœna pecuniaria. Et licèt DD. contrarientur, vtrùm ista indicia sint reposita in arbitrio Iudicis, ad effectum condemnandi, vel torquendi? *Author* distinguit,
4 quod si procedant ex præsumptione *Iuris & de Iure*, Iudex omnino condemnare debeat; si autem sint *Iuris* tantùm, vel *hominis* tantùm, tunc resideat in arbitrio, vel tortura, vel condemnatio: quia licèt præsumptiones, & indicia, quomodolibet vrgeant, ad effectum condemnandi non iungantur, iunguntur tamen ad torquendum. & ad hunc effectum procedit
5 Regula, *Si non prosunt singula, multa collecta iuuant.* Alij contrà: sed non recedas: vsque ad *n.* 76.

Ad defensionem Rei contra Accusatorem, & Fiscum, dubia, & non concludens, seu etiam præsumptiua probatio tollit contrariam Fisci; eóque magis in
6 iis, quæ sunt difficilis probationis. Ad condemnationem *Rei* deueniri potest ex indiciis indubitatis, & imponi pœna corporalis, dummodò tamen *non sit ordi-*
7 *naria* illius delicti, de quo agitur; ex cæteris verò præsumptionibus non indubitatis, poterit condemnari in *pecuniariam.* Ex verisimilibus & probabilibus, non tamen proximis, poterit torqueri: Verùm si adsint duæ semiplenæ probationes diuersi generis, iunctæ cum aliis adminiculis, seu præsumptionibus proximis, & propinquis, sufficiunt ad condemnandum *criminaliter*: Quinimò etiam si sint præsumptiones *hominis*, sed *violentæ*, *& indubitatæ*; Nihilominus tamen, non in veram pœnam, sed in mitiorem. Quæ verò præsumptiones, seu indicia sint in- 8
dubitata, violenta, & ad condemnationem sufficientia, in Iudicis arbitrio reponuntur. Quando verò præsumptiones non sint indubitatæ, seu violentæ, si excedant duas, ad torquendum sufficiunt; & tunc demum coniunguntur indicia, dummodò sint in genere suo plenè, & concludenter probata, & tendant ad eumdem finem, hoc est ad perficiendum vnum totum; vna enim præsumptio tollit aliam, & si vna non sit fortior alterâ, neutra attenditur. Generaliter verò, quando Iudex ex præsumptionibus quan- 9
tumuis violentis, seu indubitatis, aliquem condemnet, (quod nõ nisi rarò facere debet) multùm suam sententiam moderari debet, nunquam pœnam vltimi supplicij imponere, imò nunquam corporalem, nisi quando delictum esset capitale, & atrocissimum: vsque ad *n.* 109.

LAVS DEO.

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII

PARS DECIMA.

EX

LIBRO TERTIO, TITVLO DECIMO, QVÆST. LXXXVII. INSPECTIO I. DE POENIS TEMPERANDIS.

ARGVMENTVM.

Dolus, an, & quando requiratur in delictis, & quando culpa lata dolo æquiparetur.

1 AVTHOR in præsenti *titulo*, (& nos nostri Succi *parte decima*) sibi proponit inspiciendum, ex quibus causis Iudex pœnam minuere valeat, & debeat? Et ad primam facit inspectionem, quod temperandi, seu potiùs minuendi pœnam, præcipua causa sit *carentia doli*: regulariter enim, vbi dolus abest, delicti pœna non
2 habet locum: & licèt dolus præsumptus æquiparatur vero dolo, quando agitur ad rescindendum contractum, attamen non vti verus puniendus est, nec pœna corporalis potest imponi. In delictis ergo attenditur animus & voluntas; nec simpliciter
3 exitus, sed agentis intentio inspici debet in eo qui non habuit animum delinquendi: si verò habuerit animum delinquendi, sed non tantùm quantum postea secutum fuit, tunc tenetur de omni exitu, ex euentu, & sic non tantùm voluntas, sed veritas attenditur. Quod si habuit quidem animum delinquendi, quia credebat se delinquere, sed re vera non deliquit, tunc etiam attenditur veritas, non intentio seu credulitas, nec in foro fori potest puniri.
4 Dolus requiritur etiam in delictis atrocissimis, provt est Parricidium, crimen læsæ-Maiestatis, & similia: multóque magis in delictis, quæ non committuntur in alterius iniuriam, vt sunt, adulterium, stuprum, incestus, & similia, quapropter commissa ex ignorantia, quamuis ista sit culposa, nulla pœna puniuntur. Et licèt aliàs regulariter lata culpa æquiparetur dolo, etiam quando in materia doli dispositio loquatur per dictiones taxatiuas, imò & latam culpam dolo proximam esse, & quandóque in *Iure* pro ipso dolo accipi, hoc sanè intelligitur in actionibus descendentibus ex contractu, vel quasi; secùs in Criminalibus: præcipuè quando agitur de pœna corporali, & in delictis, quæ de sui natura requirunt dolum; vt sunt Furtum, Falsum, Iniuria, & similia: Quinimò, & in Statutis, seu constitutionibus pœnalibus; præsertim, si ab istis pœna imponatur à *Iure* non stabilita. Extende, quod etiam requiratur in materia 5
Excommunicationis, & quando agitur de pœna infamiæ non irrogatæ ipso iure. In pœnis pecuniariis culpa æquiparatur dolo, nisi Statutum, seu Dispositio expressè, aut tacitè dolum requireret; sed adhuc pro lata culpa, pœna minuitur: vsque ad *num.* 43.

In delictis in omittendo consistentibus

6 lata culpa pariter æquiparatur dolo : & hinc quando agitur de incendio, ex lata culpa, pœna imponitur : ac pariter quando agatur de imperitia alicuius ; ideo si quis faciens se *peritum*, cùm non fuerit, & per imperitiam deliquerit, punitur tamquam dolosus, cùm nemo debeat attentare id, ad quod est insufficiens : & hinc Medicus, qui ex imperitia malum medicamentum Infirmo ministrauerit, tenetur pœna homicidij, si infirmus obierit, vt aliqui voluerunt : verius tamen est, quòd nisi dolus intercesserit, teneatur tantùm pœna arbitraria :
7 Et ad hoc in proposito, vt mors Infirmi Medico non imputetur, quinque necessariò requiruntur. *Primò*, vt sit Peritus in arte. *Secundò*, vt officium seu exercitium illi non sit prohibitum. *Tertiò*, quòd secundùm Artem adhibuerit omnem diligentiam. *Quartò*, quòd Infirmo prohibuerit contraria suæ infirmitati. *Quintò*; quòd super iis habeat probabilem scientiam. Et tandem Medicus gratis inseruiens, non tenetur de leuissima culpa ; quâ tenetur inseruiens salariatus.

Item lata culpa æquiparatur dolo, quando agitur de puniendo Commentariensem, vel Custodem arcis ; & in puniendo præbentem poculum abortiuum,
8 vel amatorium. Et generaliter, quando Statutum loquitur in personam ; vt putà, si dixerit, *Si quis percusserit aliquem*, tunc ad incurrendam pœnam, dolus requiritur : lata verò culpa quando loquitur in rem. Ex quo infertur, quod si Statutum puniat ingredientem in possessionem alterius, seu turbantem, aut occupantem possessionem alienam, tunc lata culpa æquiparatur dolo : secùs, si dirigat actum in personam, putà, dicendo, *si quis turba-*
9 *uerit aliquem in sua possessione.* Idem de Statuto puniente capitali pœna sub verbis Vniuersalibus, videlicet, *quocunque*, aut *quouis modo*, *vel causa*, quia tunc continet latam culpam : vsque ad *n.* 57.

Quando verò diximus in delictis puniendis requiri dolum, intelleximus de
10 dolo in genere, non autem in specie : & ideo lata culpa non æquiparatur dolo, quando prouenit ex ignauia seu negligentia ; secùs, si ex versutia, & malitia, quia tunc verus dolus reputatur. Et tandem,
11 nisi in delictis interueniat dolus, punitur Delinquens pro modo culpæ ; si delicta de sui naturâ sint prohibita à Iure naturali, Gentium, vel Diuino ; secùs si à Iure positiuo : vsque ad *n.* 65.

EX QVÆST. LXXXVII.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Dolus verus, & præsumptus ; & Culpa lata, leuis, & leuissima, quâ puniantur pœnâ.

DOLVS bonus non punitur : sed dolus malus verus, cadens in spe- 12
ciale, & nominatum delictum, punitur eadem pœna delicti, in quo inest ; sed nisi sic cadat, punitur extra ordinem. Dolus præsumptus punitur mitiùs, quàm verus. Culpa lata punitur mitiùs, quàm dolus : leuis, vel leuissima non punitur, Accusatore non interueniente. Culpa leuis, 13
quando potest ciuiliter purgari cum refectione damnorum, non punitur criminaliter ; sed vbi ciuiliter purgari non possit, mitiùs punitur quàm lata ; nec vnquam pœna ordinaria, seu corporali, sed tantùm pecuniariâ : vsque ad *n.* 86.

EX QVÆST. LXXXVIII.

ARGVMENTVM.

Dolus, fraus, & culpa, quid, & quotuplex? Plura de significatione doli, fraudis, & culpæ. Appellatione Culpæ quid veniat.

IN præsenti quæstione vtiliter quærendo quid sit Dolus in genere? 1
Respondetur quod est machinatio ad decipiendum fallendúmque alterum adhibita ; aliud agendo, aliud simulando : seu quod sit ars nocendi contra naturam : includitur sub Culpa in genere sumpta. Alter est *verus*, alter autem *præsumptus* : Dolus *verus* est machinatio ad decipien- 2
dum alterum manifestè adhibita : & probatur indiciis, & præsumptionibus. Dolus *præsumptus* est machinatio ad decipiendum alterum præsumptiuè adhibita : & probatur ex indiciis non manifestis, nec omnino concludẽtibus, sed probabilibus. Item dolus alius est *velatus*, alius *apertus*. 3
Apertus est ille, qui committitur per vim, prout contingit in omnibus contractibus

per

per minas, & metum celebratis. Velatus, qui committitur sine vi, simulando scilicet, & dissimulando, vt in furto non manifesto, vel in retinendo quod non debet retineri Item dolus alius est *bonus*, alius *malus*. Bonus appellatur solertia quædam, 4 & industria, vt ex *S. Paulo 2. ad Corinthios cap. 12.* dicente: *Ego vos non grauaui, sed cùm essem astutus, dolo vos decepi.* Dolus malus est idem, quod dolus in genere. Item dolus alius est in *committendo*, alius in *omittendo*. Dolus in omittendo dicitur præsumptus, & non verus: in Committendo dicitur verus. Item dolus alius *maior*, alius *minor*, alius *ex proposito*, alius *reipsa*; dolus *ex proposito* est idem, quod 6 dolus malus in genere; *reipsa*, qui ex enormissima læsione præsumitur, veróque dolo æquiparatur ad rescissionem contractus: vsque ad *n. 35.*

Fraus dicitur simulatio quædam, qua 7 fides fallitur: denominatur à *ferendo*, quasi damnum ex ea inferatur: distinguitur in *bonam*, & *malam*, exemplo doli: sed fraus, & dolus differunt in multis, quæ videre poteris penès Bald. in *l. quæ fortuitis, num. 5 C. de pignorat. act.* & ideò omnis fraus est dolus, sed non è contrà; cùm latior sit doli significatio, quàm fraudis. 8 Differt à *Simulatione*, quia Simulatio semper est id, quod agimus, sed non verè agere intendimus: fraus autem est quando cum intentione decipiendi quid agitur. Item differt à *Fallacia*, *Calliditate*, *Machinatione*, *& Impostura*, quæ omnes sunt species ipsius *fraudis*: vsque ad *num. 48.*

Culpa in genere est deuiatio ab eo, quod 9 bonum est, & quod diligentia hominis poterat præuideri: est triplex, lata scilicet, leuis, & leuissima. Alij verò dixerunt, quinque culparum species assignari, latissimæ scilicet, latioris, latæ, leuis, & leuissimæ. *Latissima* est idem, quod dolus præsumptus, procedens ex calliditate, fallacia, vel machinatione ad circumueniendum, decipiendúmque alterum adhibita, ex veris indiciis cognita: *Latior* est pariter idem, quod dolus præsumptus; & est adhibere in rebus alienis minorem 10 curam, quàm in suis: *Lata* est deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quàm communiter habent homines eiusdem professionis, & conditionis: Negligentia verò ex qua oritur, vocatur magna, nimia, lata, dissoluta, manifesta, seu crassa, quæ quandóque stultitia, & imprudentia, supina ignorantia, vel nimia securitas appellatur: & communiter affertur, quod ille dicatur in lata culpa, qui ignorat, & non intelligit id, quod omnes homines intelligunt. Culpa *leuis* 11 est facere, vel non facere id, quod diligens Paterfamilias faceret, vel omitteret in rebus suis. Differt à lata, vt species à genere. Culpa autem *Leuissima* est imprudenter, & sine proposito facere, vel omittere ea, quæ non faceret, vel omitteret diligentissimus Paterfamilias. Generalis tamen est conclusio, eáque indu- 12 bitata, quod, an culpa sit lata, leuis, vel leuissima, Iudicis arbitrio remittatur, cùm actus hominum non possint certis terminis circumscribi, & definiri; plura enim sunt negotia, quàm vocabula.

Culpa item alia dolum comprehendit, quando in genere consideratur: alia est 13 à dolo separata & diuersa, & quæ dolo, tamquam quid diuersum opponitur: *dolus* enim tribuitur malitiæ, *culpa* verò imprudentiæ; *dolus* sceleratæ & flagitiosæ menti, *culpa* imprudenti & stolidæ tribuitur; *dolus* est voluntatis vitium, *culpa* intellectus, & memoriæ; *dolus* ani- 14 mum intellectum constantem, certum, & sibi optimè conscium, ad nocendum paratum præsupponit, *culpa* verò animum simpliciter negligentem, dissolutum, imprudentem, nulla præcedenti nocendi intentione indicat.

Culpa alia in *committendo*, alia in 15 *omittendo* consistit: in Omittendo minor est, quàm in Committendo: & hinc culpa leuis seu leuissima in *faciendo*, æquiparatur culpæ latæ in *omittendo*. In dubio, appellatione *culpæ*, venit culpa *leuis*; sed & veniret *lata*, quando ageretur de eo, qui tenetur de culpa: eóque fortiùs veniret *leuis*, quando in dispositione, in 16 qua fit mentio *culpæ* fuerit primò facta mentio *doli*, tamquam *culpæ* oppositi, & ab ea diuersi: proyt è conuerso, si dispositio vellet aliquem teneri de *culpa*, eò magis includeret *dolum*: & hinc Testes, qui deponunt, Culpam interueniisse cùm non declarent de qua culpa, propter incertitudinem non probant, nisi subiecta materia aliud suadeat: vsque ad *num. fin. 100.*

EX QVÆST. LXXXIX. Inſpectio I.

ARGVMENTVM.

Dolus, Fraus, & Culpa, an in dubio præſumantur.

PRÆMITTENDO in primis, quod licèt *dolus*, & *fraus* differant inter ſe, tamen à DD. confunduntur, & de eis promiſcuè loquuntur: quæ ergo *infrà* de *Dolo* tractantur, de *Fraude* etiam dicta intelligantur; & è contrà. 1

Regula ſit, quod *in dubio dolus non præſumitur:* per allegantem igitur eſt probandus, etiam in ſpecie; quia potiùs præſumitur error, quàm dolus; ad quem excludendum, omnis interpretatio facienda eſt, etiam verba impropriando: necnon in dubio potiùs præſumitur culpa, quàm dolus. Imò quæ dicta ſunt de dolo, procedunt etiam in culpa, ſiue conſiſtat in committendo, ſiue in omittendo; & ideo ſemper ſumenda eſt interpretatio, per quam culpa excludatur; niſi verſaremur in iis, quæ ſine culpa committi non poſſunt; provt ſunt, furtum, incendium, & ſimilia, in quibus præſumitur, niſi probetur abeſſe: vſque ad *n.* 15. 2

EX QVÆST. LXXXIX. Inſpectio II.

ARGVMENTVM.

Dolus quando ſit probandus.

DOLVS, cùm ſit quid latens in animo, & ſic difficilis probationis, directéque probari non poſſit, ideo coniecturis & præſumptionibus probatur; quæ quidem admittuntur, nedum *Iuris*, ſed etiam *hominis*; imò duæ ſufficiunt, ſi fuerint graues, & probabiles; & denique arbitrio Iudicis remittitur, quæ ſint indicia, & coniecturæ, ex quibus dolus probetur: 3

Hæc autem indicia debent eſſe perſpicua, perfectè efficacia, vrgentia, & indubitata, quando agitur de dolo vero: in dolo enim præſumpto, leuiora recipiuntur, plenè tamen, & perfectè probata; quia præſumptio doli recipit ſemper probationem in contrarium: vſque ad *n.* 44. 4

EX QVÆST. LXXXIX. Inſpectio III.

ARGVMENTVM.

De præſumptionibus excludentibus dolum.

PRIMA præſumptio excludens dolum, deſumitur ex *qualitate perſonæ*: & hinc non præſumitur in *ſubdito* contra ſuum Principem, in *Ruſtico* imperito, in perſona *idiota*, & ſimplici, in *Minore*, & in *Muliere*, ſi quæratur quid fecerint aliqui contra leges; in cæteris verò, in muliere plus fraudis, & doli, quàm in maſculis præſumitur, quia mulieribus connaturalis eſt falſitas, & inſtabilitas. Non etiam præſumitur in *Milite*, quàndo agit, ſeu contrahit contra *Iuris*, ſiue *Statuti* diſpoſitionem: vſque ad *n.* 55. 5

Secunda deſumitur ex *defectu cauſæ*, vbi enim excogitari non poteſt cauſa, ex qua quis dolum commiſerit, ſemper cenſetur excluſus, & hinc non præſumitur, vbi lucrum, & commodum non adeſt, quinimò nec cum modico commodo, nec cum modico lucro; eóque minus, quando ex actu, qui dicitur doloſus, agens reportaret iacturam, damnum, ſeu lucri amiſſionem. 6

Tertia quando quis *iure permittente* aliquid agit, & hinc non præſumitur in contractibus, quos quis facit, iuris ſui conſeruandi gratia, ex actu ſolito fieri. 7

Quarta deſumitur ex actu *palàm* geſto: ſicut enim clandeſtinus actus doli præſumptionem inducit; ita pariter, ſi actus palàm fiat, ceſſat omnis doli præſumptio. 8

Quinta, quæ ex *ignorantia facti* naſcitur; ignorans enim non præſumitur in dolo, nec ab ignorante dolus committitur; dummodo ignorantia ſit, non *Iuris*, ſed *facti*, probabilis, & aliena à nocendo. 9

Sexta, quæ deſumitur ex actu *in perſonam beneuolam*, aduersùs quam dolum non committi præſumendum eſt; eóque magis in perſonam coniunctam. 10

Septima, oriens ex *obedientia* Superiori exhibita, ſicut enim dolus præſumitur in eo qui Magiſtratus imperio non obtemperat, ſic pariter è contra obtemperando excluditur. 11

Octaua, quando Aduerſarius non ignorat quod quæritur, cùm tunc ſuccedat regula, 12

regula, quod *in volentem, & consentientem dolus non committatur.*

Nona, ex *necessitate Officij*, qui enim
13 ex officio aliquid gerit, dolum committere non dicitur.

Decima, ex *temporis interuallo*, sicut
14 enim ex temporis breuitate dolus præsumitur, ità & è contra ex interuallo excluditur: vsque ad *n.73*.

EX QVÆST. LXXXIX. Inspectio IV.

ARGVMENTVM.

Doli præsumptiones, quæ sint.

PRIMA doli præsumptio oritur
15 ex *qualitate personarum*, scilicet ex eo, qui est solitus dolum committere, & delinquere.

16 Secunda ex *qualitate facti*, & hæc est generalis.

17 Tertia oritur ex actibus, qui de suì natura *illiciti* sunt, & à lure naturali, vel diuino prohibiti; prout est homicidium, furtum, & similia.

18 Quarta, quando quis *leges transgreditur*, & quando contra Iuris dispositionem aliquid agitur, si ex actu contra legem facto, agens reportet aliquod commodum: & hinc alienans bona Pupilli sine causa, & sine solemnitatibus; vel qui contra Iura seu Statuta mercatur, præsumitur in dolo, nisi contractus contineat naturalem æquitatem: similiter in eo, qui cum Minore contrahit sine solemnitatibus.

19 Quinta est, quando quis *non facit id, quod facere debet*, siue scienter omittit id, quod ratione officij facere tenetur; vel in eo, qui non vsus est remediis opportunis ad actum, quem gerit.

20 Sexta ex *præcedenti tractatu*, ex antecedentibus, & subsequentibus, vel ex malo secuto effectu.

21 Septima, & multùm vehemens, quæ oritur ex *actu* facto *cum personis suspectis*, prohibitis, & reprobatis.

22 Octaua, ex *qualitate temporis*, & ex actu gesto tempore prohibito.

23 Nona, ex *mendacio*, quando Mendax aliquod commodum reportaret, & sic ex falsa expressione, assertione, persuasione: ex eo, quòd quis affirmat pro vero, quod falsum est: ex taciturnitate, & dissimulatione eorum, quæ si fuissent expressa, actus non esset ad fauorem Agentis celebratus: ex eo, qui fallendi, seu decipiendi causâ obscurè loquitur.

Decima, ex *coniectura*, quando quis 24
promissa non obseruat: verùm hoc casu quælibet causa excusat ab isto dolo.

Vndecima, ex *breuitate temporis*, 25
quando quis vnico temporis momento omnia facienda iurauerit; seu etiam ex vicinitate actuum, & ex eo, quòd incontinenti, seu statim fit, ex quo præsumitur dolus contra agentem, ad fauorem Tertij, & Fisci; sic & ex frequentia, & festinantia actorum.

Duodecima, quæ oritur ex *nimia* 26
diligentia, nimia, & insolita cautela, insolitis clausulis, & ex actu generaliter insolito.

Decima-tertia, ex *inobedientia* im- 27
perio Magistratus.

Decima-quarta, quæ nascitur ex 28
violentia; dolus enim præsumitur in omni inuasore, turbatore, seu occupatore.

Decima-quinta, ex *suppositione* facta 29
alicuius tertiæ personæ ad contrahendum, & agendum, quando suppositio personæ fit in actu prohibito, & in præiudicium Tertij.

Decima-sexta, ex actu *clandestinè* 30
facto, quamuis ex qualitate personæ dolus excludatur: sed non procederet, quando aliquid fieret clam ad excludendum Aduersarij dolum; vel quando datur aliqua causa, propter quam, actus clam fuit factus. Actus verò clandestinus dicitur, qui fit sine Testibus, sine debita, vel consueta solemnitate, secundùm subiectam materiam, vel quando Instrumentum fit in loco secreto, & celatim retinetur.

Decima-septima, quæ oritur ex 31
enormi, seu *enormissima læsione*: & licèt aliqui dixerint, oriri tantùm ex enormissima; verius est, oriri etiam ex enormi.

Decima-octaua ex actu gesto contra 32
personam agenti *odiosam*, & non beneuolam.

Decima-nona, quando quis ali- 33
quid facit *spretâ prohibitione*, denunciatione, seu protestatione sibi facta: extendendo etiam ad scientem futuram denunciationem.

Vigesima, ex actu, qui *agenti non* 34
prodest, *& alteri nocet.*

Vigesima-prima, quæ nascitur à *Ve-* 35
risimili.

risimili. Et sic habes generales præsumptiones doli, ex quibus omnes alias speciales inuestigare poteris: circa quas, consule Mascard. *de probat. lib. 2. conclus. 816.* sic *Author*: vsque ad *n.* 147.

EX QVÆST. XC.

Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Causa quælibet, & quælibet credulitas, etiam leuis, & iniusta, an, & quando excuset à dolo, & ab eius pœna? An excuset etiam à temeritate? & an, & quomodo temeritas sit punienda, ac alia ad materiam.

1 REGVLA constituitur, quod causa quælibet, & quælibet credulitas, etiam leuis, & iniusta, excusет à dolo; dummodò sit talis, quod sic verisimiliter esset credendum. Amplia, vt à dolo excusет etiam quælibet credulitas fatua, temeraria, irrationabilis, seu vt dicitur, bestialis: quinimò non solùm à dolo, sed etiam à mala fide, à Contumacia, & à mulcta, quæ per contumaciam incurritur, nisi cum contumacia sit admixtus contemptus Iu-
2 dicis. Excusat etiam à mora, & à pœna; eò magis in eis, quæ de sui natura mala non sunt: quapropter iniusta causa excusat à pœna non solutæ gabellæ, à delicto *conuenticulæ*, & malæ congregationis.
3 Amplia, vt etiam excusет ab iis, quæ sunt de genere prohibitorum, etiam ab homicidio, crimine falsi, periurij, rubatæ, ac vsurpatæ iurisdictionis; à violentia, à pœna *leg. Iuliæ, de vi publ.* à spolio, à turbatiua, quando Statutum requirit dolum in turbatione, provt est quando ponit actum directum in personam: à delatione armorum, à qua quælibet causa, & credulitas etiam leuis, & iniusta excusat. Extende
4 ad crimen furti, iniuriarum, ad delicta carnis; & eò fortiùs quando sumus in casu, vel in delictis, in quibus à Statuto requiritur dolus. Et illatiuè, à dolo excusat etiam fama publica, in illis etiam, quæ sunt de genere prohibitorum; dummodò rumor, seu fama sit irrationabilis: quæ
5 quando sic dicatur, & quæ sit causa iusta, vel iniusta excusans à dolo, nécne? arbitrio Iudicis remittitur: vsque ad *n.* 47.

Limitando Regulam, non procedit in illis, quæ sunt prohibita à Iure diuino, naturali, vel ciuili, notorio, & indubitato: 6
nec etiam excusat ab incursu pœnæ latæ culpæ dictæ. Et licèt aliqui contradicant, causam iniustam non excusare à temeritate; verius tamen est, quod excusет, vbi lata culpa non punitur, cui temeritas æquiparatur. Et hinc iniusta credulitas excusat à dolo vero, non autem à præsumpto; & sic à pœna corporali, non pecuniaria: quando Statutum, seu depositio pœnalis simpliciter loquitur, imponendo pœnam pecuniariam absque vlla doli expressione: & notabiliter semper excusat in extraiudicialibus delictis, secus in iudicialibus; provt est præsumpta calumnia, contemptus Iudicis, pœna con- 8
uentionalis; vel quando quis causam iniustam cognouit, & tamen in illa perseuerauit, & ex ea delinquere noluit. Generaliter nunquam causa iniusta, & credulitas excusant, nisi probentur perallegantem interuenisse ante delictum: quapropter 9
non sufficit probare existentiam causæ, sed est necesse, quod quis ex illa causa motus fuerit, & crediderit non delinquere: satis tamen est ad huius causæ iustificationem semiplena probatio ex coniecturis vehementibus, & verisimilitudinibus euidentibus: & licèt Alij dicant probari etiam per iuramentum delinquentis; hoc sanè intelligendum, concurrentibus coniecturis.

EX QVÆST. XC.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Iuris ignorantia quando in delictis excusет.

IGNORANTIA Iuris, siue eius error, vel ignorantia facti excusat 1
à dolo, non autem à culpa lata; quia latæ culpæ ignorantia Iuris æquiparatur: licèt bene verum sit, quod mitiùs puniatur: quinimò si ignorantia apertis coniecturis dignosceretur bonæ fidei iuncta, forsan etiam in totum excusaret à pœna. Sed si esset ignorantia crassa, supina, seu affectata, aut Iuris naturalis, Gentium, aut Di- 11
uini, in nihilo excusaret; cùm tantummodò ignorantia Iuris positiui, non notorij, siue communis, siue Statutarij, excusat: & quia ignorantia non præsumitur

in

in actibus, qui geruntur, ipsa debet probari, aut per iuramentum, iunctis coniecturis, aut signis, & adminiculis euidentibus : & tandem generaliter ignorantia, seu error Iuris, non excusat à dolo, quando actus ab ipso Iure, vel statuto est ita prohibitus, vt ius ei resistat; secus si tantùm non adsistat, nec etiam resistat.

EX QVÆST. XC.

Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Delinquens ex eo, quod credidit Viro fide digno, an, & quomodo excusetur à dolo, & à pœna.

12 CREDENS Viro fide digno, quamuis vni tantùm, licèt vir iste non sit Nobilis, excusatur à dolo : etiam quod credens errauerit in *Iure*; cùm ista credulitas excuset à mala fide, & à culpa; quinimò etiam à contemptu Iudicis, & à pœna conuentionali. Non tamen excusat in iis, quæ à Principis voluntate dependent: nec quis excusatur credens mulieri, quam-
13 uis fide dignæ; nec Viro in præiudicium Tertij : & demum ista credulitas, dummodo sit verisimilis, & probabilis, excusat hominem simplicem, & ignarum; secùs callidum, & versutum : vsque ad *num.* 127.

EX QVÆST. XCI.

ARGVMENTVM.

Iracundia quando excuset à delicto: & an contractus, & obligationes per iracundiam factæ, valeant.

1 DELICTVM irâ commissum regulariter mitiùs punitur : & hinc etiam excusat delinquentem iustus dolor, ideóque Pater, seu Maritus occidendo filiam, seu vxorem in adulterio deprehensam in simul cum Stupratore vel Adultero, multùm excusetur ob iustam iram, quandóque à pœna ordinaria, & quandóque in totum, vt *infrà* videbitur, *hac eadem Succ. p.* 14. Et illatiuè, prouocatus ab aliquo verbis, seu facto, si prouocantem offendat, mitiùs condemnabitur. Extende ad crimen Blasphemiæ, Calumniæ; ad pacem, aut cautionem de non offendendo ruptam; à qua per iram offendens, excusatur, ac si ex noua causa offendisset; dummodò ira proueniat ex iusta causa, & dummodò ira fuerit magna; secùs, si parua. Extende iterum ad crimen periurij, à quo excusat, saltèm ab incur- 2
su pœnæ ordinariæ. Et ira excusat non solùm, si prouenerit ex facto Aduersarij, quo casu intrat materia prouocationis; sed etiam, si proueniat aliunde : quia omnis actus calore iracundiæ factus, nullus, & irritus est, nulliúsque roboris & momenti, in Ciuilibus, seu in contractibus, quos calore iracundiæ celebratos, nullos esse, & inualidos, non dubitatur; nisi essent contractus ad pias Causas : & dummodò ira fuerit talis, quæ donantem seu contrahentem in totum à mente alienauerit; quo casu etiam donatio celebrata ad pias Causas valeret : imò Votum calore iracundiæ emissum non obligat: & pari modo iuramentum, seu confessio calore iracundiæ emanata, confitenti non præiudicat. Amplia ad acceptationem secundi beneficij, primo pinguiori renunciato : ad diuortium; ad exhæredationem; ad Professionem emissam; ad electionem pariter calore iracundiæ factam. Et licèt in 3
crimine iniuriarum multi dixerint, iracundiam non excusare; verius est, etiam hoc casu delinquens mitiùs puniri.

Absolutè verò non excusat à sententia Excommunicationis, quæ etiam per ira- 4
cundiam lata, valet : aliæ verò sententiæ non statim executioni mandari debent, sed eorum executio post triginta dies est differenda. Non excusatur etiam ille Delinquens, qui post iram in delicto perseuerat, illud ratificando : extendendo ad 5
omnes alios actus, & contractus, calore iracundiæ confectos, & perseuerantia confirmatos; necnon quando ira prouenit ex opera illicita, vel orta est sine causa ex vitio naturæ : & quia iracundia non præsumitur, ideo per allegantem est probanda : sed satis dicitur probata, si probetur oblatæ iræ occasio, siue ex natura, siue ex accidenti proueniens : vsque ad *num.* 43.

***

EX QVÆST. XCII.

ARGVMENTVM.

Minores qui dicantur? & qui dicantur Puberes, vel impuberes, aut pubertati proximi? qui autem infantes, aut infantiæ proximi? qui Senes? Et his præmissis, an senes, & minores delinquendo mitiùs puniantur.

AVTHOR, cùm vna causa minuendi pœnas, sit ætas; vnde & Senes, & Minores delinquendo mitiùs
1 puniri omnes consentiunt; præmittit, quot sint hominum ætates, & quo tempore incipiant. *Infans* ergo dicitur, vsque ad septimum annum inclusiuè: *proximus infantiæ*, post septennium vsque ad decem annos cum dimidio, si masculus, si verò fœmina, vsque ad
2 nouem annos cum dimidio. *Pueritia* incipit à septennio, & durat vsque ad pubertatem, videlicet in masculo vsque ad annos quatuordecim; in fœmina vsque ad duodecim: Alij dicunt,
3 pueritiam vsque ad decimum-septimum annum inclusiuè; Alij verò vsque ad annos decem & octo: sed tunc propriè dicitur plena pubertas. *Impuberes*
4 masculi dicuntur à septimo anno, vsque ad decimum-quartum; fœminæ, vsque ad duodecimum. *Proximi pubertati*,
5 qui sint? variæ fuerunt opiniones, nec communior ab *Authore* discerni potuit, licèt videatur firmare hoc Iudicis arbitrio esse remissum; sed postea periculosum dicit. Ego verò si meam sententiam in medio afferre possem, (quod inter tot, tantósque Patres non auderem) dicerem, attendendum esse naturam, & viuacitatem
6 illius, de quo agitur. *Pubertas* incipit in masculo ab anno duodecimoquarto, in fœmina ab anno duodecimo. *Pubertas plena* dicitur vsque ad annum decimum-octauum inchoatum, & decimum-septimum completum. *Minor* dicitur, qui nondum est annis vigintiquinque. *Senes*, siue *Senectus* dicitur ab annis quinquaginta perfectis, vsque ad annos septuaginta; quibus expletis,
7 exinde dicitur *Decrepitas*. In casibus à Iure non determinatis, *Senes* qui dicantur, Iudicis arbitrio remissum est: vsque ad *n.*23.

Senes delinquendo mitiùs puniuntur: Et licèt Alij contrà; non recedas. Sed eam ampliando firma, eò magis 8
procedere in pœnis corporalibus: mitiúsque puniri in arbitrariis, quamuis culpa delinquant; quia si per imprudentiam, tunc nullatenus punirentur. Declarando, dummodò Senes sint in decrepita ætate, & dummodò non versemur in Capitalibus, & sic in ho- 9
micidio, à quo seruilis ætas nullatenus excusat: quia tunc mitiùs puniuntur, quando propter senectutem, & sanguinis diminutionem, sunt etiam diminuti sensu, & intellectu, ita vt repuerascere incipiant: vsque ad *n.*41.

Minores vigintiquinque annorum, de Iure communi mitiùs puniuntur: 10
quinimò minori ad hunc effectum datur à Iudice in integrum restitutio. *Infantes* in totum excusantur, cùm doli non sint capaces, & quidquid agant, ignorent: Extendendo ad *proximos infantiæ*, quamuis infantes, & infantiæ proximi appareant doli capaces: Quidquid Alij contrà. *Impuberes*, & *pubertati proximi*, mitiùs puniuntur, sed non excusantur in totum: quinimò
Minores, etiam in delictis carnis, mi- 11
tiùs puniuntur; & in totum excusantur puberes ad coëundum impotentes. Extendendo ad crimen Sodomiæ. Quinimò multi voluerunt, quod etiam *Minores vigintiquinque annorum* quandocunque extra ordinem tantummodo puniantur. Alij contrà: & cum hac contraria opinione concordat *constit. March. lib.*4. *cap.*69. quæ loquitur in Minore excedente annos decem & octo; & sic practicatur in Statu Ecclesiæ, & in Statu Serenissimi Magni Ducis ex *lege particulari suæ Celsitudinis Serenissimæ*. Extende iterùm ad cri- 12
men Raptus, in quo Minor excusatur à pœna ordinaria. Quinimò, & ad carnaliter cognoscentem Iudæam, & ad crimen Incestus, quando adest Iuris ignorantia; vel quando coïtus est prohibitus solùm de Iure Ciuili. Ac demum in delictis carnis *Impuberes* excusantur in totum, quando essent impotentes ad coëundum: multóque magis minor ætas excusat in delictis culpâ commissis: eóque fortiùs procedit in Impuberibus, etiam doli capacibus, quamuis culpa sit lata. Procedit etiam 13
in Criminibus grauibus, & atrocibus, in quibus pœna mitigatur, non autem in totum extinguitur: quinimò, & in atrocissimis.

Alij

Alij contrà, & veriùs; provt *Author* teſtatur vidiſſe ſuſpenſum Romæ quemdam adoleſcentulum, quia vnà cum Graſſatoribus viarum tenuit habenas equi cuiuſdam Tabellionis, dum Graſſatores ipſum in via publica ſpoliabant ſeu derobabant. Verùm in hoc, ad imponendam, & exequendam pœnam mortis, Princeps eſt conſulendus.

Extende Regulam ad crimen falſæ
14 monetæ, in quo Minores annorum viginti quinque mitiùs puniuntur: Impuberes verò, non doli capaces, in totum excuſantur: ad crimen homicidij, in quo pariter infantes in totum excuſantur, quamuis ſint infantiæ proximi: Proximi autem pubertati, & doli capaces, mitiùs tantùm puniuntur. Quæ omnia præmiſſa multò magis procedunt in homicidio commiſſo per impuberes, ludentes ad ſaxa, vel in colluctatione, aut alia occaſione, non dolo, ſed culpa potiùs, aut caſu. In crimine
15 furti Minores viginti quinque annorum excuſantur à pœna ordinaria, quamuis furtum fuerit commiſſum in Eccleſia: & ſi eſſet Impubes, nullo modo punitur. Item in crimine Abortus: in pœna duplæ cautionis de non offendendo: nec talis minor comprehenditur in pace, niſi de eo facta fuerit expreſſa mentio: ſed ad propoſitum vide, quæ dicta ſunt *ſuprà, parte ſecunda Succi, q.* 15.

16 Amplia in delictis geminatis, & iteratis; ſed an Regula procedat in delictis, quæ ſunt de Iure Gentium, vel naturali, acerrimè per DD. controuertitur: & *Author* diſtinguit, quod ſi Statutum, vel Conſuetudo puniat aliquod delictum, quod etiam de Iure Communi punibile ſit, licèt
17 Minores comprehendantur, mitiùs puniuntur: ſi verò punit delictum, à Iure nec punitum, nec reputatum tale; in totum excuſantur, niſi ipſe Minor ſcienter ex dolo contra Statuta, vel Conſuetudinem deliquerit; quia tunc non in totum excuſatur. Et hinc, ſi contra banna, & prohibitiones dolosè frumentum extraxerit, mitiùs punitur: & quia dolus non præſumitur, probandus eſt: vſque ad *n.* 158.

Minori datur etiam reſtitutio in inte-
18 grum aduersùs non ſolutum vectigal, & aduerſus Commiſſum, ſi culpâ deliquerit; ſecùs, ſi dolo. Et licèt Pupillus, pubertati proximus, & ſic doli capax poſſit excommunicari, ſententia retractatur, vel per reſtitutionem in integrum, vel per appellationem: & quamuis poſſit mulctari, ſententia mulctæ, vt *ſuprà* retractatur.
19 Aduersùs dolum præſumptum de prætento, minori ſuccurritur ope reſtitutionis; ſed aduersùs dolum futurum, non ſuccurritur, quando ex eo non affertur damnum de præſenti: vſque ad *n.* 162.

Minor punitur mitiùs etiam factus maior, quia attenditur tempus delicti, non 20
ſententiæ: Et in propoſito, quando minuitur pœna propter minorem ætatem, impuberibus pubertati proximis indiſtinctè, & in quocunque delicto imponitur pœna ferulæ ipſis infligenda non publicè, ſed in carceribus ab vno ex cuſtodibus: ſi verò fuerint grandiuſculi, & magis proximi pubertati, tunc ſi delictum ab ipſis commiſſum erat tale, pro quo ſi maior fuiſſet, pœnam mortis de Iure minimè ſubijſet, ſeruatur, provt in præcedenti caſu: ſi verò delictum erat capitale, quod ſæpè contingit, quando iſti pueri Sodomiæ crimen 21
actiuè, vel paſſiuè committunt, ſeu de pluribus furtis conuicti reperiuntur: quod ſi fuerint puberes, maiores ſcilicet quatuordecim annorum, minores autem viginti-quinque, tunc ſi delicti grauitas hoc patiatur, & fuſtigantur, & etiam ad Triremes damnantur, niſi eſſent adeo inberbes, vt Iudices à tranſmiſſione ad Triremes ſe abſtinerent, propter periculum maioris ſcandali, & peccati, quod ibidem contingere poſſet: ac id totum arbitrio Iudicis remiſſum eſt, nec aduersùs hoc arbitrium datur reſtitutio, niſi ageretur pro delicto ciuiliter: vſque ad *n.* 179.

Minor ætas non excuſat ab Irregulari- 22
tate, nec à delictis ſpiritualibus; in quibus, ſi pertinaces, & impœnitentes fuerint; vt alij puniuntur: quia minor ætas excuſat, quando minor delinquit ex voluptate circa Concupiſcibilia, & Iraſcibilia, motus quodam ætatis impetu, & imprudentia; ſecùs in delictis, quæ obſtinatâ Minoris malitiâ committuntur, quia tunc etiam ordinariè condemnantur. Et tandem intellige, Regulam procedere, niſi Statutum, vel conſtitutio, etiam iſtis Minoribus pœnam ordinariam imponeret; provt eſt in Statu Eccleſiæ ex *Bulla* Sixti V. *in* 23
ordine, ſexta Bullar. p. 2. *fol.* 1376. vbi Minorem annorum quatuordecim non excuſari in delictis cauetur: & *Author* vigore *dictæ Bullæ*, dicit vidiſſe ſuſpenſum quemdam Michaëlem Cortum adoleſcẽtẽ qui in Territorio Cerueteris cum Bannitis armatus repertus fuit: verùm non obobſtantibus dictis *Bullis* ad terrorem factis, manus Iudicis non ſunt ità ligatæ, quin poſſit adhuc extra ordinem condemnare: vſque ad *n.* 191.

EX

EX QVÆST. XCIII.

ARGVMENTVM.

De Ebrio delinquente, & illius pœna.

REGVLA Iuris est, quod omne 1
delictum, quantumuis graue & atrox, durante ebrietate commissum, non ordinariâ, sed extra ordinariâ pœnâ puniatur: quæ quidem pœna non imponitur Ebrio propter delictum, sed ex culpa Ebrietatis. Hæc procedunt, non obstantibus constitutione, & Statuto, *quod nulla ei habeatur misericordia*; quamuis in Principem deliquerit; putà, ei maledicendo: quinimò Ebrius in occidendo, vel mutilando, irregularitatem non incurrit: extendendo ad pœnam ruptæ pacis, seu cautionis, ad pœnas Statutarias; & generaliter ad quascunque: præsertim, si ebrius euaserit sine sua culpa, veluti non cognoscens vini qualitatem, ad inebriandum apti; vel quando fuit deceptus à sociis, qui in vino mixturam aliquam infuderunt, puta salem: ista pœna minuitur Iudicis arbitrio. Quinimò nec valet Ebrij confessio. 2

Limita, Regulam solùm procedere in eo, qui taliter est Ebrius, vt quidquid agat ignoret: secùs in leuiter Ebrio; quamuis & iste aliquantulo mitiùs puniatur. Sed si sciens de facili se inebriari, attamen profusè bibendo, inebriatur, & delinquit, non mitiùs, sed ordinariè punitur: eóque fortiùs, si data opera inebriaretur, seu ebrietate cessante de delicto gloriaretur. Et quia Ebrius quis non præsumitur, ideo ebrietatem alleganti incumbit onus probandi, quæ tamen probatur per Testes de credulitate; vt putà, ex facie, ex loquela, ex actibus, adeo vt Testes non deponentes per rationes, & signa prædicata minimè probent. 3

EX QVÆST. XCIV.

ARGVMENTVM.

De Furioso, & Prodigo delinquentibus, & eorum pœnis: & an furor sit probandus, & per quem.

FVRIOSVS, Freneticus, Mente 1
captus, quamuis redierint ad sanam mentem, de delictis in furore commissis puniri non possunt. Idem in habente lucida interualla, nisi hunc constaret deliquisse in sana mente. Verùm si versemur in dubio, aliqui voluerunt præsumi commissa tempore furoris. Alij contrà. *Author* verò distinguit, scilicet, quod si ex circumstãtiis appareat esse in furore commissum, putà, quia occidit hominem, cui non erat inimicus, & occidit palàm, non aufugiendo, vel aliàs per expressa signa furorem demonstrando, tunc non possit puniri: secùs è contrà, putà, occidendo inimicum cautè, præcedente rixa, & aufugiendo, vel signa sanæ mentis demonstrando. Quod, si delictum esset commissum tempore sanæ mentis, adhuc furore superueniente, non posset puniri, sed expectari deberet cessatio furoris, licèt nulla esset spes quòd ad sanam mentem reuerteretur, & quamuis furor superuenerit post formatum & completum Processum, si agatur de pœna corporali; secùs, si de pecuniaria, quæ indubitanter exequi potest furore adueniente post processum informatiuum, & defensiuum, ita vt aliud non desit quàm condemnatio. Verùm si aliqua adsit spes, quod furiosus redeat ad sanam mentem non tamen per hoc debet relaxari, sed est detinendus & custodiendus, donec ad sanam mentem redierit: vsque ad *n.* 26. 2 3

Amplia Regulam, vt si furiosus aliquem in furore occiderit, nec puniatur, nec irregularitatem incurrat, etiam ex crimine Parricidij. Et ego in contingentia facti, aliàs de anno 1648. Radicofori quemdam Rusticum furiosum ex lucidis interuallis, qui filiam infantem in furore occidit, vxorem, & Patrem Lethaliter vulnerauit, fui in voto dimittendi, & absoluendi, data cautione per eius consanguineos de eum custodiendo, & ligando, quandocunque, & quotiescunque ad furorem rediisset: & ità obtinui sine difficultate ab Illustrissimo Vniuersarum Legionum Militum Generali Auditore Florentiæ. Quinimò confessio in furore emanata, nihil nocet. 4

Regula tamen limitatur in eo, qui non est verè furiosus, sed se talem simulat: & ideo Iudex debet benè aduertere, & cautè agere ad cognoscendum, an quis sit, nécne furiosus. Puniuntur Consulentes, Incitantes, & fauentes, seu Adiuuantes similes furiosos, qui non sunt liberè dimittendi, sed traduntur custodiendi à suis in carceribus: & etiam, si opus fuerit, in vinculis & compedibus. Quod si Custodes 5 6

fuerint

fuerint negligentes in custodiendo, & ex hac negligentia furiosus deliquerit; pro modo culpæ, & negligentiæ puniuntur extra ordinem: vsque ad *n.* 46.

Prodigus, licèt furioso æquiparetur,
7 non excusatur à pœna ordinaria delicti, etiam capitali, si delinquat committendo, secùs omittendo: & quia furor non præsumitur, ideo probandus est per allegantem: & satis dicitur probatus, signis, & coniecturis, instar ebrietatis. Semel furiosus, furiosus semper præsumitur, quando furor de præterito fuit continuus, & successiuus; secùs, si momentaneus: eóque
8 minùs furor de præterito non præsumeretur, quando actus esset gestus post furorem ex interuallo, vel quando non appareret post furorem quem fuisse sanæ mentis, tunc enim probato furore de præterito, præsumitur etiam furiosus tempore actus; secùs è contrà: vsque ad *n.* 55.

EX QVÆST. XCV.

ARGVMENTVM.

Consuetudo loci, an, & in quibus casibus excuset delinquentem, quamuis irrationabilis, iniusta, & reprobata.

DELINQVENS excusatur ex *Consuetudine*, quia hæc actum de sui
1 natura illicitum & punibilem, facit licitum & non punibilem: quinimò validat pacta, & contractus illicitos, dolosos, & reprobatos, excusat ab vsura, etiam de Iure Canonico, quando euidenter non constaret de ea ex facie contractus; sed tamen hoc casu non excusat à restitutione. Excusat etiam Iudicem iudicantem contra *legem*, à pœna *priuati carceris*. Notarium aliter
2 scribentem à pœna *falsi*. Sigillantes scripturas cum alieno sigillo, Domino sigilli ignorante; sed quoad excusationem falsitatis, intelligas, dummodò non afferat Tertio præiudicium. Item excusat à non obseruatione iuramenti Monachos, & Religiosos non obedientes præceptis, & Re-
3 gulis. Excusat à mala fide. Et ex Consuetudine permittente colluctationes, torneamenta, ludos cum saxis, cum pugnis, cum calcibus, cum folle, & similibus: & si fortè ex illis sequatur aliquod homicidium, homicida non punitur, etiam pœna extraordinaria, nisi interceserit dolus, quia tunc extra ordinem puniretur. Et licèt Consuetudo non præsumatur, attamen sufficit eam semiplenè probari per cursum decem annorum; quæ sic probata, licèt excuset à pœna legali, statutaria, delatione armorum, & ab illis, quæ sunt prohibita à Iure *positiuo*, nunquam excusat à prohi- 4
bitis de Iure *Diuino*, vel *naturali*; & generaliter nec excusat, quando fuerit reprobata à Principe, vel à lege.

EX QVÆST. XCVI.

ARGVMENTVM.

Delicti incertitudo, & Delinquentium multitudo, an, & quando faciat pœnam minuere? & quomodo sit procedendum in delicto, & homicidio à pluribus commisso, ad inquisitionem, torturam, & condemnationem.

MVLTITVDO Delinquentium facit minui pœnam, vbi præsertim 1
agitur de pœna mortis, ne dentur strages multorum: licèt in practica id obtinere difficile esset: & misericordia non impartitur Authoribus delicti, vel quando præcessisset tractatus, & communicatum consilium: *Author* hoc dubitatiuè firmat: & 2
in proposito, multitudinem dicit in numero quadraginta; seu potiùs hoc esse Iudici arbitrarium. Ad hanc materiam vide etiam quæ dicta sunt *suprà q.* 17.

Propter incertitudinem delinquentium minuitur pœna: ex quo, quando ambu- 3
lans per viam, fuit occisus ex proiectione lapidis ab aliqua fenestra, vel domo, vbi plures aderant homines; tunc propter incertitudinem, nullus tenetur ad pœnam ordinariam; omnes mulctantur pœna pecuniaria, & in irregularitatem incidunt, dummodo omnes conuenerint domum illam, nullo præcedente tractatu; secùs si præcedente deliberatione offendendi illum in quem lapis fuit iactus. Singulari- 4
ter, si in vna domo aliquis reperiatur occisus, & nesciatur à quo? ratione incertitudinis, habitantes arbitrio tantùm Iudicis puniuntur. Quando verò in rixa à 5
pluribus commissa, reperitur mortuus vnico tantùm vulnere affectus, & ignoratur quis ex rixantibus illud intulerit? tunc omnes resolutiuè pœna extraordinaria puniũtur. Idem, est quando quis est mortuus 6
ex plurib. vulneribus, & ignoratur quis ex

pluribus rixantibus ea intulerit: multóque magis quando quis fuisset mortuus ex pluribus vulneribus, à pluribus in rixa illatis, & constat de vulnerantibus, vulnerantes tunc ordinariè puniuntur, non vulnerantes absoluuntur, vel secundùm aliquos extraordinariè puniuntur. 7 Quando verò quis est mortuus ex pluribus vulneribus, quorum vnumquodque de per se non erat lethale, sed simul iuncta mortem attulerunt, & constat quod omnes vulnerarunt, licèt non constet cuius ictu vulneratus obierit, tunc omnes tenentur pœnâ extraordinariâ. Alij contrà, & veriùs; si ex genere armorum, & qualitate facti, aut alio modo constet, quod omnes vulnerantes habuerint animum occidendi, tunc enim omnes tenentur pœna ordinaria: vsque ad *n.* 38.

In eo autem, qui mortuus est ex 8 pluribus vulneribus, quorum præsertim vnum, vel plura lethalia erant, alia autem non lethalia, & certi sunt Percussores, sed ignoratur quis lethale vulnus intulerit, & cuius ictu vulneratus perierit? omnes: licèt Alij contrà: tenentur tantùm pœna extraordinaria. In eo qui mortuus est ex plu- 9 ribus vulneribus, quorum aliqua erāt lethalia, aliqua non lethalia, nec ignoratur quis vulnerauit lethaliter, & quis nō lethaliter, sed non liquet, quis fuerit ille qui primum vulnus intulit? tunc, licèt vulnerantes lethaliter teneantur de homicidio, non tamen sequitur, quod pœna ordinaria puniri debeant: quia quod non sic grauiter plectendi sint, excusat calor rixæ: sic resolutiuè inter Variorum opiniones firmat *Au-* 10 *thor*. Mortuus ex pluribus vulneribus, quorum primum lethale fuit, alia verò posteriora non mortalia, & constat de primo lethaliter vulnerante, & de aliis postea non lethaliter vulnerantibus; distingue, vt extraordinariè puniātur non mortaliter vulnerantes, si ipsa vulnera probentur esse nō effecta lethalia; secùs, si de sui natura effecta fuerint propter debilitatem corporis 11 iam lethaliter vulnerati. Qui mortuus est ex pluribus vulneribus, quorum aliqua erant lethalia, aliqua non lethalia, & constat, quod primi Percussores vulnerarunt non lethaliter, secundi autem lethaliter; Primi tenentur de homicidio, secundi de vulneribus, nisi constet, etiam istos habuisse animum occidēdi. Quando autem pri- 12 mus percussor mortaliter vulnerauit, alter verò secundò vulnerans in totum examinauit, ambo tenentur de homicidio, si primum vulnus erat iudicio Peritorum omnino mortale, & certum ad mortem inferendam; quia si secùs, tantùm de vulnere tenetur: vsque ad *n.* 56.

In homicidio à Pluribus commisso, si vulnerans, seu occidens sit incertus, vtrùm excludatur pœna ordinaria, & Statutaria, recurre ad Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *cas.* 363. *per tot.*

Et omni casu, quo propter incertitudi- 13 nem extraordinaria pœna imponitur, ea potest esse vel pecuniaria, vel exilij, & relegationis quoad criminalitatem, ex *leg. Cornelia de Sicariis*: secùs quoad damna, & interesse, ex *L. Aquilia*: sed vide Menoch. *citato cas.* 363. Quo verò ad pœnam Irregularitatis, est ad authorem rixæ; licèt quando constat quis lethaliter vulnerauerit, iste teneatur de occiso: Alij verò de solo vulnere: attamen Authori rixæ pœna extraordinaria aggrauatur. Quod si om- 14 ninò homicida sit incertus ob multitudinem personarum, si isti multi ex proposito interuenerint, & fuerint coadunati, & præcedens tractatus plenè probetur quoad omnes, omnes de homicidio tenentur, omnésque possunt torqueri ad sciendum quis vulnerauerit, & occiderit; vel si deliberatè interuenerint. Et sic quoque homicidio commisso domi, possunt omnes 15 de domo torqueri ad sciendum quis occiderit, dummodo præcedant indicia, & mala fama, quæ debet esse non in genere, sed in specie: provt nec aliquis potest super tractatu torqueri, nisi de eodem præcedant indicia. Sic etiam, si quis lethale vulnus intulerit, torqueri non poterit, nisi contra eum particularia adsint indicia, quod illud vulnus intulerit. Quod intellige, si vulnus fuit vnicum, vel si plura non tamen tot, quod erant Rixantes: verùm si secùs, vel si plura, quàm Rixantes, tunc sine alio indicio omnes torquentur, incipiendo à magis suspecto; & si omnes perstiterint negando se occidisse, vel vulnerasse, tunc erunt absoluendi: si verò fuerint torti super tractatu, & deliberatione præcedente, quamuis perstiterint, adhuc in pœnam extraordinariam condemnantur. Existentes verò domi, quando agitur ad 16 sciendum quis vulnerauerit, occiderit, seu lapidem proiecerit, non omnes sunt torquendi, sed tantùm illi, contra quos adsint indicia: & si omnes perstiterint negando, omnes absoluentur; licèt *Author* dubitan- 17 do, non firmando dicat, quod possint puniri criminaliter pœna pecuniaria, propter certitudinem homicidij, licèt nesciatur homicida: vsque ad *n.* 97.

EX

EX QVÆST. XCVII.

Casus I.

ARGVMENTVM.

Principis, & Superioris iussus, & mandatum, an, & quando excuset à pœna cùm præsertim, qui metu, & minis coactus deliquit.

IN proposita quæstione Regula ad-
1 ducitur negatiua; scilicet, quamuis, Principi obediendum esse, dubitandum non sit; si tamen Princeps ipse aliquid iniustum præcipiat, minimè ei obediendum esse; & obedientem non excusari, si mandatum sit ipso iure nullum, & contineat notoriam iniustitiam: & generaliter in delictis atrocioribus, & atrocissimis, in quibus obedientia non excusat. Verùm occi-
2 dens, vulnerans, seu quomodolibet delinquens de mandato Principis, aut alterius minantis mortem, nisi mandatarius mandatum exequatur; effugiet pœnam: Extendendo ad omnes, qui minis, seu aliàs metu
3 coacti delinquunt: & hinc excusatur mulier, quæ propter metum, & vim illatam, passa fuerit se carnaliter cognosci: Extende ad occidentem, seu delinquentem de mandato cuiusuis alterius personæ potentis: sed omni casu non excusatur à pœna extraordinaria, si deliquit non coactus ab-
4 solutè, & præcisè, sed conditionaliter; videlicet metu maiorum malorum: vsque ad *num.* 24.

EX QVÆST. XCVII.

Casus II. Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Principis, ac Superioris Iussus, an, & quando excuset Iudicem à pœna, si aliquid iniustè agat.

IVDEX, & Officialis, non tenetur
5 obedire Principis, ac Superioris præcepto iniusto: & non obediendo, excusatur; eóque magis Iudex, cui commissum sit, vt aliquem suspendere faciat, aut plus debito puniat: quinimò pœnam non euadit torquendo aliquem indebitè de Principis; ac Superioris mandato; quamuis forsan aliud sit in practica: sed in foro conscientiæ Deus iustus iudex, & vindex, non tolerabit. Quod si Iudex viderit Prin- 6
cipis, & Superioris præceptum iniustum, præsertim de executione pœnæ corporalis, ac mortis; non debet exequi, sed consulere, rescribere, & expectare aliam iussionem, etiam per dies triginta: ex *l. si vindicari, Cod. de pœn.* & potiùs ad suæ conscientiæ exonerationem, Officio suo renunciare, quàm Principis, & Superioris iniustum præceptum exequi; quamuis iurauerit illi obedire: & quamuis præceptum contineat præcisa verba, *strictè præcipiendo Mandamus*, vel *ex certa scientia.*

Notabiliter verò Iudex, qui ex forma 7
Statuti tenetur sententiare ex consilio Sapientis, non tenetur illud exequi, si iniustum cognouerit: quòd si secùs faciat, non excusatur, & adhuc facit litem suam.

Prædicta intellige, dummodo præce- 8
ptum Principis sit apertè, & notoriè iniustum; secùs, si dubium; præsertim si immineat periculum vitæ: vel quando Princeps mandaret ex *metu proprio, quibuscunque non obstantibus, vel certiorratus adhuc iuberet*: vsque ad *n.* 51.

EX QVÆST. XCVII.

Casus III. Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Iudici, seu Officiali asserenti se aliquid feciſſe ex mandato Principis, seu Superioris, an, & quando credatur.

IVDICI, seu Officiali asserenti,
9 se aliquid facere de mandato Principis, non creditur, nisi aliter, quàm de sua assertione doceat, vel nisi sit Illustris, & Clarissimus vir; quia tunc ei crederetur, nisi ageretur de alicuius præiudicio directè, vel Princeps esset præsens, seu Consuetudo id permitteret: vsque ad *numer.* 66.

***

EX QVÆST. XCVII.

Casus III.

ARGVMENTVM.

De Iure Excutore, exequente iniustam sententiam alterius Iudicis; quando excusetur, quandóue illam exequi teneatur.

10 EXECVTOR Iudex, quamuis videat sententiam iniustam, & quod exequendo faciat contra propriam conscientiam, non debet retardare exequutionem, cùm nullam habeat iurisdictionem. Excipe, nisi esset sententia notoriè nulla, vel notoriè in-
11 iusta. Alia ad propositum harum Executionum practicata, & potiùs virosè dicta, vide penès Authorem hoc eodém casu: vsque ad *n.* 81.

EX QVÆST. XCVII.

Casus IV.

ARGVMENTVM.

De Iudice sæculari quando teneatur exequi sententiam Iudicis Ecclesiastici, illíque suum sæculare Brachium impartiri.

12 IVDEX Ecclesiasticus pro executione suæ sententiæ potest implorare Brachium Iudicis sæcularis, qui tenetur illud impartiri, & sententiam prædictam exequi, cum possit ad id cogi sub pœna Excommunicationis: & è contra, Ecclesiasticus tenetur sæculari suum Brachium pro eadem executione accommodare, licèt cogi non possit, & possit cognoscere de iniustitia sententiæ Iudicis sæcularis, quod ipse sæcularis Iudex facere
13 nequit. Extende ad Iudicem Ecclesiasticum delegatum. Quinimò Iudex sæcularis exequi tenetur, nisi videat notoriè iniustam sententiã, & in totum nullam, & de nullitate appareret in promptu, veluti si esset lata sine iurisdictione, Iuris ordine non seruato, seù pendente appellatione; quamuis rationabilius sit, & verius, quod quandocunque fuerit requisitus, impartiri debeat; sed in Criminalibus, quando su- 14
mus in crimine sæculari, vel mixti fori, in quo sæcularis Iudex etiam Iurisdictionem habet, hoc casu non exequitur, nisi sibi exhibito processu, & nisi sententiam viderit iustam: quia cùm traditus Curiæ sæculari fiat eius subditus, illum vt subditum iudicare debet cognita scilicet validitate sententiæ; si verò crimina essent merè Ecclesiastica, tunc tenebitur exequi absque alia cognitione, & ita firma. Quidquid Alij contra: vsque ad *n.* 108.

EX QVÆST. XCVII.

Casus V.

ARGVMENTVM.

Iussus Iudicis, seù Magistratus, quando excusetur à dolo, & à pœna.

15 IVDICIS iussus, & authoritas facit de illicito licitum, ac excusat à dolo, delicto, & pœna; non solum in Criminalibus, sed etiam in Ciuilibus; dummodo iustus sit: vel etiam dubius: secùs si iniustus, & de illius iniustitia constaret; vel imperaret vti priuatus, seù Iuris ordine non seruato; aut adesset dolus, vel versaremur in atrocioribus; quamuis in atrocibus excusetur à pœna ordinaria.

EX QVÆST. XCVII.

Casus VI.

ARGVMENTVM.

Birruarij & Executores, si Iudicis, ac Præsidis iussu faciant quid iniustum, an excusentur, & quando.

16 BIRRVARII, & Executores, excusantur, exequendo iniustam Iudicis sententiam, seù præceptum in illis quæ spectant ad eorum officium, etiam quod aliquem occidant, torqueant, vel diruant domum alicuius prætensi Delinquentis; dummodo sibi imperetur à Iudicibus, vti Iudicibus; secùs, si vti priuatis: vsque ad *n.* 130.

EX

EX QVÆST. XCVII.
Casus VII.

ARGVMENTVM.

Laboratores, & Operarij, an excusentur laborando in fundo alieno, de mandato eius, qui ipsos ad laborandum conduxit.

17 EXCVSANTVR Laboratores laborando in fundo alieno, putantes esse illius, à quo conducti sunt ad laborandum, dummodo hoc faciant ignoranter: & ideo non excusantur, qui priùs laborarunt in vno Prædio nomine vnius, & postea in eodem, nomine alterius: vel quando publica fama est in loco, illum fundum non esse illius, à quo conducti sunt: vel quando habeant, & ipsi fundum vicinum, quia tunc ratione vicinitatis præsumitur scientia; præsertim si eisdem fuerit denunciatum, & protestatum vt
18 desisterent ab opere. Et notabiliter, si ab istis Operariis aliquid sine conductoris mandato illicitum commiserint, vtique non excusantur: & idcircò si colligerent fructus immaturos, amouerent terminos, vel quid simile facerent, punientur, illisque non creditur asserentibus, laborasse de mandato Conductoris: licèt quocunque casu Dominus teneatur Laboratoribus actione iniuriarum, ad damna, & interesse.

EX QVÆST. XCVII.
Casus VIII.

ARGVMENTVM.

Filius delinquendo de mandato Patris, quando excusetur.

19 FILIVS delinquendo de mandato Patris, seù Matris; Vxor de mandato Viri; Pupillus de mandato sui Tutoris, excusantur in leuioribus, secùs in grauibus, & atrocioribus; vt putà ex iniuria personali illata, ex violentia, seù turbatiua; quamuis & istis casibus mitiùs puniantur: vsque ad *n.* 161.

EX QVÆST. XCVII.
Casus IX.

ARGVMENTVM.

Seruus delinquendo de mandato Domini, an, & quando excusetur.

SERVVS delinquendo de mandato Domini, excusatur regulariter in leuioribus; secus autem in grauioribus: imò etiam in atrocioribus excusantur à pœna ordinaria: licèt Alij contra; quamuis non existat ampliùs sub Dominica potestate, dummodo intercedant minæ primi Domini, soliti eas execui: vsque ad *n.* 170. 20

EX QVÆST. XCVIII.
Casus X.

ARGVMENTVM.

De pluribus, ac diuersis causis, quibus de Iure pœna Delinquentibus minuitur: ac in primis de Mulieribus, quando, & quomodo excusentur à delictis.

MVLIERES regulariter mitiùs puniendæ sunt, quàm Masculi; 1
etiam in Crimine *falsæ monetæ* fabricatæ in earum domo. Excusantur à *L. si quis in tantam, C. vnde vi*, à præsumpta fraude *Vsurarum*, nisi contraxissent per sagacitatem, & malitiam; quod totum remissum est Iudicis arbitrio. Excusantur à pœna *falsi* propter lacerationem scripturarum. In crimine *hæresis*, nisi sint pertinaces, faciliùs excusantur quàm Masculi, & à *Periurio*, si consistat in omittendo, secùs si in committendo. Regula non procederet in casibus à Iure non expressis, neque in Ciuilibus: & tandem nec in Criminalibus, vbi delicta sint prohibita à Iure Diuino, Naturali, vel Gentium: vsque ad *n.* 19. 2

EX QVÆST. XCVIII.

Casus XI.

ARGVMENTVM.

Rusticus, an, & quando excusetur, seu mitiùs puniatur in Criminalibus.

RVSTICVS regulariter propter
3 rusticitatem excusatur in delictis necnon à pœna non solutæ gabellæ; si id processit ex simplicitate: non tamen excusatur in iis, quæ sunt de genere prohibitorum: quia, licèt excusetur à dolo præsumpto, à pœna Albi corrupti, à præsumpta fraude Vsurarum, & à delictis in omittendo; id tamen totum remissum est Iudicis arbitrio, considerandum, an Rusticus, vel per malitiam, vel per
4 simplicitatem deliquerit. Nec vnquam excusatur ab iis, quæ sunt prohibita à Iure Diuino, Naturali, vel Gentium; seu à Ciuili notorio præcipuè in delictis grauibus, & atrocibus. Et quandocumque excusatur non excusatur in totum, sed solùm à pœna ordinaria.

EX QVÆST. XCVIII.

Casus XII.

ARGVMENTVM.

Delinquens dormiendo, an puniatur, & quomodo.

REGVLA sit, quod si dormiens aliquem occidat, aut aliquo alio mo-
5 do delinquat, nec punitur, nec incurrit Irregularitatem. Sed hoc sanè intelligendum, quando dormienti non potest aliquid culpæ imputari; secùs è contrà: vt puta, si aliàs dormiendo deliquerit: quia tunc, nisi prouiderit, & fuerit diligentia vt solus clausis ianuis, ac sine armis in cubili iaceret, esset in culpa, & Irregularitatem incurreret. Et quia dormienti non
6 fit iniuria, ideò licèt aliàs violentiam faciens Clerico in vestibus, sit excommunicatus, si id faciat Clerico dormienti, excommunicationem non incurrit. Et hinc Patre, Matre, seu Nutrice infantem lactantem in lecto se voluendo suffocantibus, non puniuntur, nisi adsit aliqua culpa, quia tunc arbitraria pœna posset imposi. Verùm generaliter, si quis data 7
opera obdormiuerit ad effectum delinquendi, vel vigilando ratũ habuerit, quod in somnis malè gessit, non excusatur, & punitur; provt, si quis dormientem se offendentem offendat, & occidat ad sui defensionem; pariter excusatur.

EX QVÆST. XCVIII.

Casus XIII.

ARGVMENTVM.

Amoris causâ delinquens, an puniatur mitiùs.

CAVSA mitigandi pœnam est *Amor*: Amor enim Ebrietati, & 8
furori æquiparatur: est enim impetus, & turbatio mentis omnibus aliis vehementior: exquo etiam videtur aliquantulùm excusare, etiam in Sortilegiis, & Hæresi. Sed hæc intelligas sanè; & vt scribit *Author*, ipse Iudicio sanctæ Maioris Ecclesiæ se remittit. Extende ad osculantem Puellam in via publica. Quinimò notabiliter excusat ab infamia, & meretricio; 9
siquidem mulier ob amoris impetum & violentiam, vni tantùm sui copiam faciens, non potest dici meretrix, nec infamis in foro externo Sed generaliter non excusat causa Amoris vbi aliquid præmeditatè agitur, quamuis semper iuxta temporis qualitatem & animi turbationem miserendum, & mitiùs agendum: vsque ad *n.* 93.

EX QVÆST. XCVIII.

Casus XIV.

ARGVMENTVM.

Notabilitas quando delinquentium pœnam mitiget seu minuat.

NOBILES, Diuites, & Digniores mitiùs puniuntur, quàm ignobiles, 10
pauperes, & minùs digni. Et licet multi dicant istam Regulam esse *broccardicam*; non propterea recedas: Sed extende, quamuis Constitutio loquatur irremissibiliter:

biliter: & ideo pœnâ Infamis *berlinæ*, fustigationis, & similium non damnantur, nec furtis suspenduntur, sed decapitantur. Et sic illatiuè, quando ignobilis decapitatur, Nobilis deportatur vt
11 aliqui voluerunt. Sed *Author* dicit, pari passu pœnam imponi Nobilibus, & Ignobilibus, nisi statutum, aut Constitutio secùs disponeret: quia pro homicidio Nobiles etiam morti traduntur, licèt mortis genus ignominiosum
12 non subeant. Hæc Regula procedit quoad pœnas corporales; quia quoad pecuniarias, acriùs puniuntur. Et hoc vnum singulariter nota, quod in delictis infamiam irrogantibus, vt putà, pro lenocinio, furto, deserta militia, & similibus, grauiùs quàm Ignobiles puniuntur: præcipuè si agatur de pœnis relatiuis, vel colore, & prætextu Nobilitatis delinquant: vsque ad *numerum* 133.

EX QVÆST. XCVIII.
Casus XV.

ARGVMENTVM.

Peritia, & merita Delinquentis, aut suorum, quando ipsum excusent à pœna ordinaria.

PERITIA insignis, aut celebre
13 artificium Delinquentis, regulariter facit, vt ipsi delinquenti pœna aut in totum tollatur, aut saltem minuatur. Quod tamen est intelligen-
14 dum Consulto Principe. Et licèt Iudex possit Delinquenti pœnam minuere, vel etiam remittere ob bene merita, seu beneficia in Rempublicam collata, vel ab ipsomet Delinquente, vel à Maioribus suis; hæc tamen non procedunt, quando crimen est grauissimum, vel quando merita proueniunt ex ipso delicto: vsque ad *n.* 144.

***

EX QVÆST. XCVIII.
Casus XVI.

ARGVMENTVM.

Iudæus effectus Christianus, an, & quomodo possit puniri de delictis commissis tempore quo erat Iudæus.

IVDÆVS effectus Christianus
15 non potest puniri de delictis ante Baptismum commissis: Licèt Alij contrà. Prima opinio seruatur consulto Principe: eóque magis procedit, quando egisset specialem pœnitentiam de commissis ante Baptismum: in tantum vt nec censeatur Irregularis ex homi-
16 cidio ante Baptismum patrato. Et quod pœna sit minuenda ex delicto ante Baptismum, non est hæsitandum. Quinimò generaliter, etiam quòd se per fraudem Christianum fieret, non nisi Principe Consulto puniri potest: nec ad damna, & interesse tenetur, nec ad restitutionem Vsurarum: ex Bulla Pauli III. *Bullar. part. 1. fol.* 415. vsque ad *n.* 159.

EX QVÆST. XCVIII.
Casus XVII.

ARGVMENTVM.

Mutus & Surdus quomodo excusetur in delictis.

MVTVS & Surdus, infanti, & fu-
17 rioso æquiparatur: vnde regulariter non punitur de delicto. Verùm, quia si intellectum habeat, possitque signis, & nutu mentem suam exprimere, testari, hæreditatem adire, & alios actus facere; erit etiam delicti capax, & pro isto commisso, punietur, carcerabitur, interrogabitur per interpretes; sed eius confessio per signa emanata non inferet de per se ad condemnationem: verùm si scribere sciat, & in scriptis confiteatur, ordinariè condemnabitur.

EX QVÆST. XCVIII. Casus XVIII.

ARGVMENTVM.

De Patre repræsentante filium criminis reum in Iudicio.

18 QVIDQVID dicatur de *Iure*, quod Pater præsentans filium in carceribus, faciat illum mitiùs puniri ex delicto quocunque commisso: ídque extendatur ad Patrem etiam Hæbreum: attamen de Consuetudine contrarium seruatur, & tales præsentati pœnâ ordinariâ puniuntur: & sic indistinctè practicatur: vsque ad *n.* 173.

***

EX QVÆST. XCVIII. Casus XIX.

ARGVMENTVM, & Resolutio.

An bonus euentus, ex delicto præter delinquentis consilium secutus, illum excuset.

EVENTVS bonus in delictis excusat Delinquentem à pœna, 19
saltèm ordinaria; sed quia mala non sunt facienda, vt inde sequantur bona, animus, & non exitus in delictis attenditur, quia actum hominis non ab euentu, sed à consilio metimur. *Author* verò concludit, quod quamuis Delinquens habuerit animum delinquendi, si tamen ex delicto bonus effectus secutus fuerit, non in totum punitur, sed pœna minuitur: vsque ad *numer. fin.* 179.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS VNDECIMA.
EX
LIBRO TERTIO, TITVLO VNDECIMO,
QVÆST. XCIX. PARS I.

ARGVMENTVM.

Procurator in Criminalibus quando interuenire possit.

AVTHOR prosequendo Criminalem materiam, *Titulũ* hunc *de variis & diuersis Quæst.* subnectit, vt ex eo faciliùs suppleri possit, si quid amiserit in præcedentibus.

1 Et primo loco quæritur, vtrùm in Criminalibus admittatur Reus, ad comparendum per Procuratorem? Regulaque constituitur negatiua, quod scilicet in publicis iudiciis, pœnisque capitalibus, & corporalibus, à Relegatione suprà, Procurator non admittatur: quinimo nec Tutor, seù Curator recipitur pro Minore absente citato, si Minor sit pubes, ac talis ætatis, vt puniri possit: admittitur benè ad accusandum nomine Pupilli, vel pro Pupillo nomine proprio, dummodo se 2 subscribat pœnæ Talionis. Quæ omnia procedunt in quacunque causa criminali, quamuis agatur de pœna corporali leui, seù quando de pecuniaria effici possit corporalis, arbitrio Iudicis, vel esset arbitraria originaliter. Item non admittitur in pœnis alternatiuè impositij, pecuniariè 3 vel corporaliter, si electio est Iudicis, vel Actoris, aut Accusatoris, vel si Statutum copulatiuè imponeret pœnam corporalem, & pecuniariam: & generaliter nunquam, quandocunque agatur de quacunque pœna corporali.

Et pari ratione, nec ad allegandum exceptiones crimen tangentes, de quo agitur, nisi essent exceptiones notoriæ, quas non tanquam *Procurator*, sed tanquam simplex *Allegator* adducere posset. Quinimo, nec post sententiam ad petendum restitutionem in integrum aduersus eam, non enim vnquam admittitur, quamuis vellet pro Reo satis dare, & iudicatum soluere: vsque ad *n.* 66.

Sed in pœnis à Relegatione infrà recipitur Procurator: ac in pœna ipsius met 4 Relegationis secundum multorum opinionem; licèt multi voluerint indistinctè non admitti. Recipitur quando agitur de pœna priuationis Officij, remotionis ab Ordine, seù Dignitate; quando agitur de pœna priuationis Beneficiorum, seù Depositionis, de Iure Canonico: Et denique admittitur in pœna pecuniaria, quamuis eius defectu imponatur corporalis: in qua conclusione *Author* relatis pluribus D.D. opinionibus, & distinctionibus, tandem firmat, quod quando pœna corporalis succedit loco pecuniariæ, non ex generali dispositione Iuris communis, volentis, 5 quod non habens in ære luat in corpore, sed ex aliqua lege, Statuto, seù constitutione sic expressè in aliquo delicto statuente, tunc Procurator non admittatur, nec simpliciter, nec sub conditione: Alij

contra,

contrà, intrepidè asserentes indistinctè non posse admitti.

6 Pro simplici pœna pecuniaria, quamuis agatur de pœna confiscationis omnium bonorum, Procurator recipitur; nisi esset adiecta pœna, quod Reus impunè offendi posset, vel non audiri deberet: & quamuis pœna esset corporalis de Iure communi, sed per Statutum fuerit effecta pecuniaria, quo casu *Author* firmat intrepidè, Reum posse per Procuratorem audiri.

In delictis autem leuibus Procurator comparere potest, etiam quod de sui natura grauia reputentur, sed sine dolo commissa, leuia efficiantur. Extende quod
7 etiam recipiatur in causis mixtis, vel quando agitur ciuiliter de interesse Partis, de pœna illi applicanda, aut de crimine per viam Exceptionis.

Item in Personis Illustribus, in quibus speciale est, vt per Procuratorem audiantur, siue accusent, siue etiam accusentur: & quia inter Illustres connumerantur Episcopi, & Sacerdotes, isti audiuntur per Procuratorem, vbi agatur de crimine *Iniuriarum*, secùs in delictis grauibus, vbi requiratur persona.

Extende ad Infirmos, ad quorum fauorem Procurator admittitur, & à contumacia excusantur.

8 Et licèt in quibuscunque casibus non possit interuenire Procurator, potest tamen interuenire Aduocatus, ea ratione, quia potest Principali suo prodesse, & non obesse: vsque ad *n.* 127.

Monialis quoque admittitur per Pro-
9 curatorem, & quicunque alter absens ad effectum *bannum* cassandi, & condemnationem vigore gratiæ obtentæ à Principe, vti in Statu Ecclesiastico ex *constit. Marchiæ lib.* 4. *cap.* 15. & ex *Bulla* Pij IV. 68. *Bullar. p.* 1. *fol. mihi* 743. Et licèt quando sunt plures Accusati, vnus possit esse pro alio Procurator, id in practica non recipitur: verùm si sint omnes carcerati, audiuntur per Procuratorem, præterquam in tribus casibus. *Primò*, scilicèt, in sententia, quæ contra Dominum fertur, non contra Procuratorem. *Secundò*, ad contestationem litis, in quo Reus respondere debet. *Tertiò*, ad subeundam Torturam: vsque ad *n.* 148.

10 Vniuersitas accusata de aliquo crimine, quamuis graui, siue etiam accuset, poterit audiri per suum Syndicum. Extendendo ad Bannitum, qui de alio delicto inquiritur, & rebannitur, tunc enim cùm non habeat ad locum tutum accessum, potest per Procuratorem audiri. Sic pariter, si plures Accusati de homicidio, & interfectus reperiatur vnico vulnere confossus, 11
tunc quia non potest contra omnes ad pœnam capitalem agi, audiuntur per Procuratorem: & hoc sustinetur quando citantur ad comparendum sub pœna pecuniaria, secùs è contrà. Regula etiam non procedit in iis, qui ad eorum particulare interesse compareant pro defensione Absentis citati, vt putà Dominus pro Seruo; Pater pro filio Maritus pro vxore, Abbas pro Monacho, Episcopus pro Clerico, Vniuersitas pro suo Ciue, Dominus pro Vasallo: quinimò & Creditor pro suo Debitore paupere, & adeo paupere, vt si condemnetur, non possit habere regressum ad eius bona. Quod extende ad Patrem Iudæum, si pro filio compareat, & 12
delictum fateatur, producto ad hoc speciali mandato: & hinc si sic delicto confessato, pro excusatione adduceret defensiones: quòd *Author* practicari dicit in *Dominio Venetorum*. Multóque magis quando dicti Pater, Dominus, seu alij, interesse habentes, comparerent pro Absente citato, non tanquam *Procuratores*, sed tamquam *Defensores* ad instruendum, & informandum Iudicem de innocentia Absentium, seu ad opponendam exceptionem declinatoriam, & Iudicis incompetentiam, non obstante etiam Statuto, prohibente aliquem audiri pro *inculpato*. Et hinc infertur ad *Bullas* Iulij II. & Pij IV. 13
expressè prohibentes, vbi pœna sanguinis imponitur, Patrem pro filio audiri. Verùm non audirentur, nisi præstita satisdatione de repræsentando Reum coram Iudice, in casu condemnationis, quando de pœna pecuniaria ageretur; secùs, si de capitali; quia isto casu minimè audiri possunt, nisi essent carcerati, quia 14
tunc recipiuntur ad defendendum in quocunque actu, & post sententiam, etiam condemnato inuito; & potest vnusquisque appellare, quamuis sine mandato, pro eo tantùm scilicet, qui intra legitima tempora ad mortem ducitur; recipitur etiam ad opponendum de nullitate sententiæ, quando agitur de probando falsitatem testium examinatorum, vel de proponendo vulneratum perijsse sua culpa, vel ex malo regimine, vel homicidium esse factum ad defensam, necnon ad allegandum Bannum, & Banniti offensionem impunem; 15
ac notabiliter quando Monitorium factum absenti ad comparendum, contineret patentem errorem; posset enim tunc Iudicis officium implorari, ne vlteriùs

prose

prosequatur, cùm Iudex ex officio teneatur defendere non puniendum, hoc est Innocentem. Non autem admittitur ad discutiendum qualitates delicti, nec Iurisdictionem Iudicis: vsque ad *n.*202.

In causa Status,& famæ Procuratorem
16 admitti posse scripserunt multi. Alij contrà. Sed Author distinguit; quod si agatur principaliter ad infamiam, tunc non possit Procurator interuenire, secùs si tantùm incidenter & principaliter de pœna pecuniaria. Admittitur etiam generaliter, quando opponuntur exceptiones,quæ crimen de quo agitur non tangunt; seu opponitur de nullitate Accusationis, de calumnia Inquisitionis, quando Clericus est
17 citatus coram Iudice Laïco, seu ad allegandum delictum non fuisse commissum in iurisdictione Iudicis citantis. Licèt verò in causis capitalibus non admittatur Procurator; admittitur tamen Defensor, Instructor, seu Executor innocentiæ; quia tunc non vti Procurator, vt suo Principali possit prodesse, vel obesse, sed tantùm vt prosit informando, & instruendo per partes de innocentia: & hinc Iudex de rationabiliori opinione tenetur innocen-
18 tiam Rei in quantum potest detegere, cum dicatur Indagator veritatis; eóque fortiùs recipi debent Testes pro tali innocentia ad fauorem Rei absentis subministrati; dummodo cesset suspicio fraudis, seu collusionis; & dummodò non nominentur ad defensam Affines, vel Consanguinei Rei, seu Testes suspecti, & malè de negotio edocti; quod totum boni Iudicis arbitrio remanet dignoscendum: vsque ad *n.*142.

Generaliter verò non admittitur Pro-
19 curator in causis criminalibus, & capitalibus, quando Iudex vellet præsentiam Rei, ad effectum illum examinandi, & videndi quo vultu, quo colore, & qua trepidatione respondeat; nisi versemur in casibus, in quo Procurator de necesse recipi debet. Quo verò ad requisitionem Iudicis de præsentia Rei, subesse debet iusta causa: sed quando Procurator admittitur, non recipitur sine speciali mandato,& cautione de rato,nisi compareret ad implorandum Iudicis officium, vt veritatem inquireret.

***

EX QVÆST. XCIX.
Pars II.

ARGVMENTVM.

Absentiæ, ac alterius impedimenti causas; quando quis allegare valeat pro citato ad comparendum personaliter? & quando ad id Iudex admittere,vel repellere possit.

REGVLA constituitur Affirmatiua, quod admittatur comparens 20
pro Absente citato, quamuis causa sit capitalis ad allegandum alicuius impedimenti siue absentiæ causas, ipsúmque propterea à contumacia excusandum, etiam sine mandato, dummodò allegentur causæ absentiæ necessariæ, quæ sunt facti; & quæ omninò impediunt Reum ne compareat; provt est longa absentia, infirmitas, carceratio, & similia; secùs autem in causis absentiæ probabilibus tantùm, provt sunt suspecti itineris, loci non tuti, loci pestiferi, insidiæ inimicorum, aduersarij potentia, & similes: multóque minùs si allegaret causas absentiæ non *facti*, sed *Iuris*, nisi de istis notoriè 21
constaret, vel allegans vellet satisdare, etiam sine mandato; quia satisdat, dicitur habere mandatum à Iure. Eóque fortiùs ad dictas causas allegandum admittitur, qui habet plenum mandatum, licèt non habeat speciale ad allegandum causam impedimenti, & absentiæ: præsertim quando inquiritur aliquis Minor: & stante allegatione absentiæ, Iudex debet differre sententiam, & processum, data competenti dilatione ad certiorandum, & præsentandum Absentem: quod si aliàs ad vlteriora deuenerit, processus, aut est nullus ipso Iure, aut saltèm ope restitutionis rescindendus. Sed causæ absentiæ, & 22
impedimenti debent esse iustæ, iustásque rationes habere: & huiusmodi allegans non admittitur sine sacramento calumniæ, & necessariis probationibus, sed id totum relinquitur Iudicis arbitrio, imò non desunt volentes seruari, vt statim allegata absentia detur terminus ad certiorandum: præcipuè si fuerit adhibitum iuramentum per allegantem. Alij contrà: vsque ad *n.fin.*299.

EX

EX QVÆST. C.

Cap. I.

ARGVMENTVM.

Causa, quando dicatur Criminalis, quando Ciuilis, & quando Mixta.

1 IN propoſita quæſtione, ad faciliorem materiæ intelligentiam *Author* format Concluſiones: quarum *Prima*, de qua nullus dubitat, eſt, quod cauſa dicatur Criminalis, quando agitur de pœna corporali.

2 *Secunda*, quod quando agitur ad vindictam publicam, pariter cauſa Criminalis dicatur: licèt Alij contrà.

3 *Tertia*, quod quando agitur ad commodum priuatum, ſiue ex contractu, ſiue etiam ciuiliter ex crimine, cauſa dicatur Ciuilis, & non Criminalis: poteſt enim tam in iudiciis priuatis, quàm in publicis Ciuiliter agi, & ex illis duplicem oriri actionem, vnam ſcilicet Criminalem ad publicam vindictam, & ad pœnam; aliam verò Ciuilem in facto pro intereſſe Partis, & ad proſecutionem rei familiaris: quapropter Iudex Criminalis Appellationum non poteſt cognoſcere de ſententia lata in prima inſtantia, in qua de crimine fuit actum Ciuiliter: & ità *Romæ* in Signatura Iuſtitiæ quandocunque ſeruatur.

4 *Quarta*, quod quando de Adulterio, ſeu alio crimine agitur ad ſeparationem tori, cauſa dicatur Ciuilis, & non Criminalis.

5 *Quinta*, quod cauſa dicatur Criminalis, ſi agatur de pœna applicanda fiſco: ſi verò de applicanda Parti, dicatur Ciuilis. Et quidquid Alij contrà, ità conclude pro veriori, communiori, & receptiori opinione: vſque ad *n.* 16.

6 *Sexta*, cauſa dicitur Ciuilis quando agitur per viam Exceptionis, ſcilicet quando Crimen opponitur pro repellendo aliquem à Iudicio, non ex cauſa puniendi; ſecùs è contrà; ſi promiſcuè opponeretur, & ad repellendum, & puniendum in cauſa reconuentionis.

7 *Septima*, dicitur Criminalis, quando crimen directè deducitur in Iudicio, vt acriùs puniatur: Ciuilis verò, quando non directè vt acriùs, ſed vt mitiùs puniatur, pœna ſcilicet extraordinaria: ſed hæc diſtinctio reprobatur in vtroque capite: ideóque magis communiter vtróque caſu dicitur Criminalis.

8 *Octaua*, dicitur Ciuilis, quando agitur ad pœnam remotionis ab Officio priuato: quinimò & ab Officio publico; dummodò pœna priuationis illius non ſit ordinaria delicti: ſed ſi ageretur ad remotionem propter dolum, diceretur Criminalis ratione infamiæ; ſecùs ſi ex culpa quamuis lata.

9 *Nona*, Cauſa dicitur Ciuilis, quando agitur ad priuationem Beneficij, non principaliter vt Clericus puniatur, ſed ad correptionem; etiam quod non procedatur ciuiliter, ſed per inquiſitionem.

10 *Decima*, dicitur Criminalis, quando agitur de pœna infamiæ, cùm iſta pœna maior reputetur quacunque alia corporali, etiam mortis.

11 *Vndecima*, dicitur Criminalis, quando proceditur per viam Accuſationis in cauſis, quibus imponitur pœna ordinaria delicti: & hæc concluſio nedum procedit de *Iure Ciuili*, ſed etiam de *Iure Canonico*, in caſibus de quibus in *cap. inquiſitionis, & cap. qualiter, & quando, il 2. extra de Accuſat.*

12 *Duodecima*, dicitur Ciuilis, quando proceditur de *Iure Canonico* per viam denunciationis: quia hoc modo non agitur principaliter ad impoſitionem pœnæ, & punitur, non pœna ordinariâ, ſed leuiori, hoc eſt amotionis ab adminiſtratione.

13 *Tertia-decima*, dicitur Ciuilis, etiam quod nomine Fiſci agatur, quando intentatur actio Ciuilis, vt petitio hæreditatis ſibi prouenientis, tamquam ab indigno ablatæ: & etiam quando Fiſcus agit ad pœnam conuentionalem ex rupta pace, vel cautione de non offendendo.

14 *Decima-quarta*, dicitur Ciuilis, quando agitur ad pœnam prouenientem ex illicito contractu, quamuis Fiſco applicetur, niſi agatur ad inſtantiam Fiſci, & ad publicam vindictam.

15 *Decima-quinta*, dicitur Criminalis quando agitur vigore Statuti prohibentis alienationem in forenſes, ſub pœna Fiſco applicanda.

16 *Decima-ſexta*, dicitur Criminalis, quando agitur de damno dato in agris, vel animalibus alienis; licèt leue contineat crimen, & ex eo tortura inferri non poſſit.

17 *Decima-ſeptima*, Cauſa *Turbatiuæ*, eſt Criminalis; quia pro turbata profeſſione, quando criminaliter agitur, datur actio iniuriarum: eò magis, quando cum turbatione

turbatione interuênit vis publica, vel priuata, vel Statutum, seu Constitutio imponit pœnam vltra damna, & interesse.

18 Singulariter tamen, si Iudicium fuerit inchoatum Ciuiliter, non competit postea actio Criminalis: & *Mixta* diceretur, quando Pœna applicaretur partim Fisco, & partim interesse habenti; seu cumulatiuè ageretur Criminaliter ad pœnam, Ciuiliter ad damna & interesse.

Decima-octaua, in pœnis Statutariis,

19 an Causa dicatur Ciuilis, seu Criminalis? attendendum est in quo loco Statutum sit positum; nam si contineatur sub *Rubricis Criminalibus*, Criminalis erit; si inter *Ciuiles*, Ciuilis.

Decima-nona, quando Pars pœnæ ap-

20 plicatur Fisco, & altera Accusatori, vigore Statuti, seu Banni, dicitur merè Criminalis: & tunc tota pœna debet venire ad manus Fisci, & ab eo Accusatorem portionem consequi.

Vigesima, dicitur Mixta, quando agi-

21 tur ad commodum Partis, & ad interesse publicum si Fisco aliquid veniat applicandum; cùm in mixtis denominatio fieri debeat à Potentiori.

Pro complemento materiæ illud dici-

22 tur Iudicium Ciuile, in quo deducitur causa Ciuilis; Criminale, in quo Criminalis. Et ad cognoscendum, an Iudicium

23 sit Ciuile, vel Criminale? non attenditur finis, & effectus agendi, sed solùm causa, & origo: ad cognoscendum verò, an Causa sit Ciuilis, vel Criminalis, attenditur finis, & effectus agendi.

EX QVÆST. C.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Criminali Causa pendente, an, & quando sit supersedendum in Ciuili? & é contrà.

PROPOSITA dubitatione, an

24 quando pendente Causa Criminali sit supersedendum in Ciuili, & è contrà: quod potest duobus modis contingere; *Primò*, quando Ciuile Iudicium ab vno intentatur, & deinde contra ipsum Criminale proponitur; & sic quando, non ab eadem Persona. *Secundò*, quando ab eadem persona, & Ciuilis, & Criminalis actio contra illum intentatur, eodem, vel diuerso tempore.

Regula ergo proponitur, quod Causa Criminalis intentata post Ciuilem, facit 25
Ciuilem supersedere, ratione præiudicij, & maioritatis: & è contrà, Ciuilis intentata post Criminalem, si illi sit præiudicialis, facit in dicta Criminali Causa supersedere. Idem quando in accusatione Criminali Turbatiuæ, & Violentiæ illa- 26
tæ, contingat dubitare de possessione, vt putà, quia accusatus dicat se non turbasse, cùm ipse esset verus Possessor; tunc enim potiùs pronunciari debet super Possessione, quàm super Turbatiua. Ita pariter si vtraque Causa fuerit Criminalis, sed secunda maior, supersedetur in prima, donec discutiatur secunda. Et hinc accusa- 27
tio super falsitate Instrumenti per Actorem producti in Causa Ciuili, facit supersedere in eadem Causa Ciuili: ità & accusatio falsorum, seu subornatorum Testium: & ideò Accusatus potest Accusatorem reaccusare de falsitate, quando *falsi* Accusatio proponitur coram eodem Iudice, coram quo erat porrecta principalis Accusatio; quia aliàs non erit permittendum, ne continentiæ causarum diuidantur: & ne Reus in vno Tribunali accusatus, in alio facere suas defensiones cogatur. Et sicut accusatus criminaliter non 28
potest suum Accusatorem ciuiliter conuenire, nisi pro causa omnimodè ab Accusatione separata; ità & è contrà, Accusatus non poterit ab Accusatore conueniri. Quod intelligitur, si causa Ciuilis præiu- 29
dicet Criminali; scilicet, si sententia in vna Causa data, Rei iudicatæ exceptionem pariat in alia: seu quando respiciat personarum legitimationem, & in ea obijciatur aliquid, quod Agentem ab actione repellat: vsque ad *n.* 82.

Causa Criminalis non facit supersede- 30
re Ciuilem, quando ciuiliter Agens accusatur à Reo conuento de aliquo crimine: quia quidquid sit de *Iure*, gratia dirimendarum litium in vtraque Causa simul proceditur, simul recipiuntur probationes, & simul pronunciatur quando agitur Ciuiliter, & opponitur de falsitate Instrumenti. Causa verò Criminalis facit super- 31
sedere Ciuilem quoad illius expeditionem, & sententiam; non autem quoad processum. Et quoad exceptionem, seu accusationem falsorum Testium, procedit, si eadem accusatio proponatur aduersùs Testem, seu Instrumentum falsum, si in ipsis Testibus, & Instrumento tota vis causæ steterit; secùs si etiam data

falsitate remaneret probata intentio Accusatoris.

Non facit supersedere Causam ciui-
32 lem Possessorij, Spolij, & similium, nisi criminis exceptio inficeret possessionem, spoliatúmque Agentem inhabilem redderet, vt quia diceretur hæreticus, Excommunicatus, Simoniacus, vel Reus læsæ-Majestatis; vel quando vtraque Causa introducta esset coram eodem Ju-
33 dice, seu criminalis coram Iudice superiore, Ciuilis verò coram inferiore. Et licèt per Causam criminalem supersedeatur in Ciuili, finita tamen Criminali per Absolutionem, non prohibetur Actor suam actionem Ciuilem prosequi; quia actio Ciuilis quandocunque reuiuiscit: vsque ad *num.* 118.

EX QVÆST. C.

Cap. III.

ARGVMENTVM.

De Cumulatione Actionis Ciuilis, & Criminalis, quando à Iure permittatur? quandóve vnâ electâ, liceat aliam intentare.

IN hoc præsenti Tertio Quæstio-
34 nis capite, præmissis variis cumulationis diffinitionibus, Regula proponitur Negatiua, quod scilicet Ciuilis, & Criminalis Actionis cumulatio, & è contrà, à Iure improbetur: ideóque electâ Ciuili Actione non possit ad Criminalem confugi: & si confugiatur, silere debeat Criminale iudicium, donec absoluatur Ciuile: & ità tenet *Rota Romana.* Quidquid
35 Alij contrà. Præsertim quando vna Actio est alteri præiudicialis, ita vt sententia lata in vna pariat exceptionem in alia: & sic in successiua cumulatione proposita, non possit Actor eumdem Reum ciuiliter conuentum, criminaliter accusare: & si accusauerit, supersederi debeat in Criminali, donec absoluatur Ciuile iudicium; quando scilicet Ciuilis Actio Criminali
36 sit præiudicialis: quod dicitur pluribus modis; & præsertim quando sententia lata reuera pariat, aut parere possit exceptionem rei iudicatæ. Sic & etiam quando ex vno facto plures Actiones criminales oriuntur, vnâ intentatâ, aliam proponi posse impedit; & propterea intentans pro turbata possessione remedium Ciuile, non possit postea, nisi Ciuili iudicio perfecto, ad Criminalem Actionem confugere, quia primum secundo iudicio præiudicat.

Quando verò Ciuilis, & Criminalis 37
Actio proueniunt ex eodem fonte, & oriuntur ex eodem facto, tunc non potest Actor criminaliter accusare: sed data diuersitate factorum, adeo vt actiones sint diuersæ, factáque non contingentia, tunc permittitur; quia si haberent connexitatem, & vnum alteri præiudicaret, non permittitur; præcipuè si cumulentur ab vna & eadem Persona, secùs autem si à diuersa; quia si, putà, Fiscus procedat criminaliter, non prohibetur Pars quin instet pro suo interesse Ciuili: & hinc, quando Criminale iudicium intentatur, non ad instantiam eius, qui Ciuiliter egit, sed ex Iudicis officio, & per inquisitionem; tunc prima actio non suspendit sequentem.

Potest etiam cumulari contra diuersas 38
Personas, si enim plures sint Rei, non prohibetur Actor contra vnum Ciuiliter agere, & contra alium Criminaliter. Et præsertim cumulantur, quando proueniant ex eadem lege, vel constitutione, & tendant ad eumdem finem, si vnâ electâ, altera non censeatur sublata. Possunt etiam intentari, nisi æquè princi- 39
paliter, saltèm vna principaliter, & altera in consequentiam: & etiam æquè principaliter, quando eadem criminalis Actio oritur ex delicto, pro quo accusatus pœnam mortis meretur, vel quando delictum in secundo iudicio Criminali delictum, esset patens & notorium.

Et tandem cumulatio Actionis tam si- 40
multanea, quàm successiua, impeditur coram eodem Iudice, secùs coram diuerso. Contrarium verius, secundùm *Authorem.* Quinimò etiam coram eodem Iudice tantùm prohibetur, Parte opponente, & quandocunque completo iudicio Ciuili, ad Criminale confugitur, & è contrà, quando sit lata sententia, & transitum fecerit in iudicatum: vsque ad *num.* 158.

***

EX

EX QVÆST. CI.

Cap. I.

ARGVMENTVM.

Appellare in Criminalibus quando, & in quibus casibus liceat? appellationéque pendente, quando Iudex possit suam exequi sententiam.

REGVLA constituitur Affirmatiua quod scilicet, sicut in Ciuilibus 1
semper datur Appellatio, nisi expressè à Iure prohibeatur; ita pariter, & in Criminalibus non esse denegandam; qua pendente, Iudex nequit suam exequi sententiam: quinimò nec quidquam innouare pendente termino decem dierum ad appellandum: quod si exequatur post interpositam appellationem, sententiam capitalem contra damnatum, & ipse Iudex capitaliter punitur, necnon potest ei de facto, & impunè resisti, etiam in delictis 2
enormissimis, & atrocissimis, in quibus etiam appellare permissum est, nisi à Iure expressè prohibitum reperiatur: quinimò & in crimine læsæ-Maiestatis admittitur appellatio, nisi euidenter per euidentiam facti de eo constaret. Extende ad Duces factionum, Concitatores seditionum, & rebellionum, quos de crimine læsæ-Maiestatis teneri non est hæsitandum: & ad fauorem istorum; licèt appellatio non admittatur, si sint confessi, aut conuicti; attamen est supersedendum, & Principem certiorandum: vsque ad *n.* 16.

Amplia, Regulam procedere, & Ap- 3
pellationem permitti ab impositione mulctæ, & eius excessu, & quandocunque plures sint complices condemnati, & vnus tantùm appellet, Appellatio ab isto vno interposita, omnibus prodest. Alij contrà: & *Author* pro resolutione te remittit ad Lancellot. *in tract. de Attentat. cap.* 12. *ampliat.* 11. *n.* 1. *& seq.*

Et in tantùm est verum dari Appella- 4
tionem in Criminalibus, vt nec ei valeat renunciari: quinimò & ad appellandum, vnusquisque admittitur sine mandato, & Reo inuito, dummodò sit in *fortiis* Curiæ, & ad supplicium ducatur. E contrà con- 5
ceditur & Fisco appellatio à sententia absolutoria data ad fauorem Rei. Sed quidquid sit de *Iure*, de *Consuetudine* contrarium seruatur: & præcipuè ex *Bulla* Pij IV. 74. *Bullar. p.* 1. *fol.* 755. & *Bull.* 85. *fol.* 779. quas vide in Statu Ecclesiastico, pro Declaratione.

Regula non procedit in Causis crimi- 6
nalibus, Statuto prohibente: quod est intelligendum etiam contra Fiscum: quia, licèt de Iure communi Fiscus possit appellare à sententiis contra ipsum latis, attamen in integrum non restituitur: sed quia in hoc Opiniones sibi inuicem aduersantur, *Author* firmat sequentes Conclusiones resolutiuas: quarum

Prima est, quòd quando sententia est 7
nulla ipso iure, putà quia fuerit lata Fisco non audito, seu per sordes, præuaricationem, vel corruptionem, pecunia interueniente; tunc, siue simus in pœnalibus, siue in non pœnalibus, talis sententia quandocunque retractari potest, etiam sine ope restitutionis in integrum.

Secunda, quòd in non pœnalibus 8
quando sententia est valida, Fiscus aduersùs eam restituitur, ex capite læsionis, prætextu probationum nouiter repertarum: in pœnalibus verò nullatenus restituitur, siue quis sit absolutus in totum, siue in partem. Quidquid Alij contrà.

Tertia, quòd ex magna causa, & pro- 9
pter delicti atrocitatem, & nouis superuenientibus probationibus, potest Princeps de eius absoluta potestate (licèt secùs de ordinaria) Fiscum aduersùs sententias absolutorias restituere, & Causæ reuisionem committere.

Quarta, quòd tam in pœnalibus, 10
quàm in non pœnalibus, nunquam Fiscus restituitur quando Princeps per seipsum, non autem per Procuratores fiscales, & Administratores (quod rarò contingit) Causam agitauerit.

Quinta, quòd tam in pœnalibus, quàm 11
in non pœnalibus, Fisco non nisi infra quadriennium restitutio conceditur.

Sexta, quando sententia fuit lata con- 12
tra Fiscum ex falsis probationibus, tunc retractatur, vel ipso Iure, vel ope restitutionis in integrum, vel per viam querelæ.

Septima, quòd ex nouis probationi- 13
bus detectâ Rei innocentiâ, quomodocunque condemnatus fuerit, ope restitutionis in integrum retractatur sententia contra eum lata: vsque ad *numerum* 44.

Proposita Regula non extenditur ad 14
Reum confessum, & conuictum de crimine hæresis, in quo regulariter Appel-

latio non datur : neque ad crimen Simoniæ, Raptus, si Raptor sit Principalis & sit conuictus per plures probationes, & mulier fuerit non solùm rapta, sed etiam cognita : Ad crimen falsæ Monetæ : ad insignes Latrones, Seditionum Concitatores, & factionum Duces. Insignes Latrones sunt ij, de quibus in *l. capitalium*, §. *famosos*, *ff. de pœnis* : Seditionum autem Concitatores, de quibus in *dicta l. capitalium*, §. *solent*, & in *l.* 1. *C. de seditios.* Duces factionum videlicet Proditores, seu Caporales alicuius proditionis; vt in *l. si quis*, *in princ. Cod. ad leg. Iuliam Maiest.* Insuper non admittitur Appellatio in crimine Assassinij, Veneficij, Violentiæ : vel quando quis aliquem ex sua possessione expellere conatur: si quis homicidio causam dederit : in crimine homicidij : & pro homicidio bannitis in contumaciam, per varias constitutiones Summorum Pontificum, quas refert Bayard. *ad Clar. quæst.* 94. *num.* 22. In crimine notorio per euidentiam facti, quoad effectum suspensiuum tantùm. Imò quando in appellatione inseritur aliqua causa, per quam notorium offuscatur, seu delictum notorium aliquo modo defenditur, Appellatio admittitur, etiam quoad effectum suspensiuum : vsque ad *n.* 65.

Item non appellatur à Lege, hoc est, non licèt dicere Legem iniquè egisse imponendo aliquam pœnam. Non appellatur à sententia Excommunicationis, sed conceditur Appellatio à sententia hominis, & Iudicis declarantis, quem incidisse in Excommunicationem; sed non admittitur quoad effectum suspensiuum, quia talis sententia trahit secum executionem; nisi contineret intolerabilem & patentem errorem : ac etiam datur Appellatio à comminata Excommunicatione : vsque ad *n.* 72.

Denegatur Appellatio à sententiis latis per Papam, Imperatorem, Regem, Præfectum Prætorio, & Senatum : sed tamen datur Reclamatio & recursus ad eumdem Principem: & si pronunciet ipse Princeps de consilio alterius, Appellatio non denegatur quoad effectum deuolutiuum. Non appellatur à sententia publicæ administrationis, vel ipsius Principis debiti priuati.

In Statu Ecclesiastico ex *Bulla* Pij IV. 128. *Bullar. p.* 1. *fol.* 869. & Pij V. *Bullar. part.* 2. *Bulla* 180 *fol.* 1182. cauetur, quod detur Appellatio, dummodò condemnatus non sit confessus, facto actuali Deposito, si condemnatus diues sit; si minùs, data fideiussione in forma Depositi, pro summa in condemnatione contenta, arbitrio Iudicis *ad quem*. Item non datur, quando publicè interest, pœnas accelerari, & Delinquentes statim puniri, scilicet quando periculum est in mora. Denegatur Officiali condemnato pro delictis in officio commissis, dummodò sit conuictus, & condemnatus à suo Iudice; vt putà, si sit Nuncius, Notarius, Executor, seu alter condemnatus à suo Prætore, & Iudice pro delictis in Officio commissis, Prætores enim potestatem particularem habent condemnandi prædictos Officiales sibi subiectos. A sententia quoque Syndicatus non datur Appellatio, vbi adsint specialia Statuta, vt in Statu Ecclesiastico Constitutiones Marchiæ : quibus tamen non obstantibus defertur, si de iniustitia sententiæ manifestæ appareat, aut in ipsa Appellatione fuerit expressa legitima causa, & quandocunque non prohibetur recursus, & supplicatio : vsque ad *n.* 95.

Statutum certè prohibere potest Appellationem in Criminalibus, sed non comprehendit forenses, nec notoriam iniustitiam. In Vrbe à sententiis Gubernatoris, & eius Locum tenentium, pro pœnis pecuniariis non datur Appellatio ex *Bulla* Leonis X. 7. *Bullar. p.* 1. *fol.* 186. & in Statu Ecclesiastico pariter denegatur ex pluribus Bullis relatis à Bayard. *ad Clar. quæst.* 94. *num.* 28. *& seq.* & cùm Constitutiones prædictæ loquantur in pecuniariis Apostolicæ Cameræ applicandis, ideo denegatur, nisi facto actuali Deposito, vel cautione in forma Depositi data : & quando admittitur coram Iudice *ad quem*, Causa debet expediri infra sex menses, aliàs facit transitum in iudicatum. Quæ Constitutiones non extenduntur ad Terras Baronum, & Feudatariorum, in quibus pœnæ applicantur Fisco eorumdem Baronum : ex quo si condemnatus recurrat ad Papam, nunquam reportabit inhibitionem, nisi seruata forma dicti *Motus proprij* Pij V. Sed licèt sit prohibita Appellatio, non est prohibitus Recursus, & Supplicatio. Et quandocunque, superfedendum est in executione, præcipuè si Iudex excesserit pœnam, siue vbi de iniustitia sententiæ constet, vel de illius nullitate; sed tunc debet exprimi causa probabilis, colorata, certa, & apparens : vsque ad *n.* 113.

EX

EX QVÆST. CI.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Confessus, & Conuictus simul quando appellet? Et quid de Confesso tantùm, aut de Conuicto tantùm.

24 REGVLARITER Confessus, & Conuictus non appellat: & licèt ex *leg. 1. Cod. quor. appell.* solùm in quinque criminibus exceptis prohibeatur, scilicet homicidio, Veneficio, Maleficio, Adulterio, & manifesta Violentia; veritas tamen est, quod in quibuscunque delictis idem obseruatur etiam in delictis attentatis, & non consummatis. Sed in proposito aduerte, quod Regula strictè procedit in Confesso, & Conuicto simul; secùs autem in tantùm Conuicto, & tantùm Confesso: adeo vt requiratur spontanea Confessio, vt appellatio denegetur: 25 quinimò Confessus in tormentis adhuc appellat, quamuis post Torturam ratificauerit, & ista sit inflicta ex indubitatis indiciis. Et procedit in Reo confesso ore proprio; secùs si Confessio sit facta à Procuratore, etiam cum speciali mandato ad confitendum. Fictè confessus vigore Contumaciæ, etiam stante Statuto quod Confessus habeatur qui in contumacia 26 persistit, appellare potest: & spontè confessus dicitur ille, qui ante litem contestatam confessus est: si autem postea; Appellatio prodest: quia coram Iudice *ad quem*, & confessionem reuocare, & errorem probare poterit. Quod procedit etiam de Iure Canonico: vsque ad *numer.* 161.

Vigore *Constit. Marchiæ, lib. 6. cap. 3.* 27 & *Bullæ* Pij V. 180. *Bullar. part. 2. fol.* 1183. Quando condemnatus, & confessus, confessionem non reuocat, aut in appellatione nullam adducit causam probabilem, per quam confessio reuocetur, aut erronea dicatur, Appellatio denegatur secùs è contrà: vsque ad *numerum* 162.

***

EX QVÆST. CII.

Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Banniti, an, & quando priuentur Testamenti factione actiua, & passiua? quandóve priuati censeantur beneficiis Statutorum eorum Ciuitatis; & Iuris communis.

FIRMAT *Author*, Bannitos nostri temporis ex forma *Statutorum* volentium, eos contumaces tamquam confessos posse condemnari, & impunè offendi, non amittere ea, quæ Iuris communis sunt; eóque minùs Iuris communis beneficia. Et hinc est, quod Bannitus poterit, secundùm Ius commune, Testamentum facere, & capacem esse hæreditatis sibi delatæ; etiam intra Territorium illius Ciuitatis, à quo 2 est Bannitus, dummodo bona non fuerint confiscata vel post bannum acquisita. Sed in Statu Ecclesiastico vigore *Bullæ Clementis VII.* prohibetur: ideóque Bannitus non amittit patriam potestatem nisi 3 sit Reus læsæ-Maiestatis, vel Rebellis, aut transfuga, qui censentur mortui, ac omnia perdunt, & prorsus redduntur incapaces: vsque ad *n.* 20.

Et illatiuè procedit Regula in tantùm, vt nec perdant legitimam: & ideo possint 4 contrahere, & etiam ex contractu se obligare, nisi secùs Statutum caueat, vel Iudex aliter condemnet, tunc enim perdunt testamenti factionem actiuam, & passiuam, nec possunt succedere etiam de Iure communi: præcipuè si extra Iuris communis protectionem essent positi. Quando verò Statutum mandaret, Contumaces haberi 5 pro Confessis, & posse condemnari, tunc etiam omnia perdunt, nec vllo modo possunt testari, nec hæreditatem adire; ideóque testamentum factum à Bannito, siue ante, siue post capturam, omnino rumpitur; amittunt enim iura filiationis, Agnationis, & Cognationis; licèt non priuentur 6 iis, quæ à Statutis in eorum odium disponuntur, nec beneficia concernentia publicum interesse: vsque ad *n.* 81.

Bannitus, qui non potest impunè offendi, non priuatur Iuribus municipali- 7 bus, testari potest hæreditatem adire, &

sibi legata recipere : eóque minùs, si condemnatio versetur citra pœnam mortis. Extende, vt nec perdat etiam quâcunque pœnâ Bannitus iura sua extra Territorium Bannientis : ac similiter Bannitus per Interlocutoriam à Iudice incompetenti, vel restitutus à Principe, cuius Testamentum nulliter factum tempore banni, reconualescit per restitutionem; licèt non recuperet bona sibi delata tempore banni : quamuis fuerit restitutus cum Clausula, vt censeatur remissus ad bona confiscata. Et licèt à DD. plures dentur cautelæ pro instituendis bannitis; ea vnica verissima est, quod instituantur sub conditione, si quando peruenerint, & fuerint remissi ac restituti ad gratiam Domini; vel instituantur indirectè sub fideicommisso, siue in Testamentis, siue in Codicillis. 8 9

Et hoc vnum signanter nota, quod si bannitus sit incapax hæreditatis, ea defertur, excluso Fisco, venientibus ab intestato : & ideò legatum Bannito incapaci factum, remanet penès hæredem scriptum ea ratione, quia Banniti non efficiuntur serui Fisci seu Principis; sed serui pœnæ : vsque ad *n.* 110. 10

EX QVÆST. CII.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Damnatus ad mortem naturalem, an possit testari.

REGVLA constituitur, quod cùm per condemnationem ad mortem quis efficiatur seruus pœnæ, hoc ideo testari non possit : quinimò Testamentum antea factum, siue sit condemnatus ad mortem naturalem, siue ciuilem, rumpatur; quamuis fuerit confectum fauore animæ, vel piæ Causæ : nisi tamen iste condemnatus appellauerit; quia appellatione pendente testari potest; vel non sit condemnatus de capitali delicto: vsque ad *n.* 138. 11

***

EX QVÆST. CII.

Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Damnati ad mortem Ciuilem, an & quando censeantur priuati testamenti factione actiua, vel passiua.

REGVLARITER Damnatus ad mortem Ciuilem testari non potest : quod procedit in Deportato; in Interdicto aqua, & igne; in damnato ad bestias; ad Metallum; ad Triremes; ad perpetuos carceres; siue sit Clericus, siue Laïcus; quamuis non sint publicata bona : & quod magis est, Testamentum antea factum rumpitur, ac perdunt Testamenti factionem actiuam, & passiuam; licèt non amittant ea, quæ sunt Iuris naturalis, & Gentium, & propterea sint capaces hæreditatis delatæ, seu legati relicti in testamento militis, legati alimentorum, & sibi facti ad pias Causas : ac hodie quidquid sit de Iure antiquo, non prohibentur testari, possunt emere, contrahere, donare, & per contractum acquirere; siue sint deportati cum publicatione bonorum, siue sine publicatione : vsque ad *num.* 169. 12 13

EX QVÆST. CIII.

ARGVMENTVM.

Bannitos occidere quando quis possit impunè? quandóve illos occidentes gaudere debeant præmio, indulto, & nominatione à Statuto, *seu* Bannimento *concessis.*

NON incongruè hîc *Author* inquirendo, an, & quando Bannitos impunè offendere liceat, constituit Regulam affirmatiuam, valere scilicet huiusmodi Statuta, tamquam condita causâ publicæ vtilitatis : quinimò 1

quinimò cogi posse ex dictis Statutis hæredes ad persequendum, & occidendum istos Bannitos, omnésque teneri, pulsante campana conuertere cum armis ad eos persequendum, & in fauorem iustitiæ, præcipuè in Statu
2 Ecclesiastico ex *Bulla Sixti* V. quæ Constitutio extenditur ad personas habiles; inhabiles non includit, provt sunt Minores anno, ad decem, & octo, Senes, Doctores, Infirmi, & similes. Et non solùm ex Statuto hoc disponi potest, sed etiam id efficere valet Iudex ex Officio, & ideo censetur ciuiliter permissum Bannitum occidere, illúmque expoliare, & derubare, siuè incontinenti, siuè ex interuallo: Extendendo, quod possit etiam hoc mandari,
3 dummodò non mandetur his, qui Statuto non iuuantur, provt sunt, filius, Vxor, Frater, & Vasallus, quibus non licet Patrem, Maritum, Fratrem, & Dominum Bannitos interficere: vsque ad *numer.* 30.

Extende, vt etiam immunis sit ille, qui ignoranter Bannitum occidit:
4 ideóque non potest condemnari, iniustè, seù nulliter Bannitum occidens, nisi nullitas fuisset euidens: quinimò etiam quod antea pacem fecisset, seù cautionem dedisset de non Offendendo, iuramento intercedente, nec pax,
5 nec cautio censentur ruptæ: Et licèt Aliqui dicant hoc procedere, quando occiditur Zelo iustitiæ vel publicę vindictæ; verius est quocunque modo occidatur, licitum esse: & propterea promittens pro se, & suis consanguineis, non intelligitur promisisse pro consan-
6 guineis Bannitis, dummodo Bannum superueniat post pacem factam, seù cautionem præstitam. Extende, vt liceat etiam occidere impunè Mulieres
7 Bannitas; sed tamen similes mulieres non debent adulterio violari, nec prægnantes occidi; eò quia cadit homicidium infestum non Bannitum: sed hoc procedit, quando occidens sciuisset
8 mulierem fuisse prægnantem, vel prægnantia clarè apparebat ex ventre; nã excusaretur ignorans: vsque ad *num.* 74.

Occidere Bannitos permittitur etiam cum armis deferri prohibitis: extendendo, quod possit comburi domus,
9 vbi erat reclusus Bannitus, dummodo aliàs capi non posset. Ampliando ad Occidentem *Bannitum absolutum, & restitutum*, quando is non fuit cancellatus de libro, in quo Banniti describi solent; dummodo iste Bannitus aufugeret, & se capi non permitteret. Cancellatio verò debet esse clara, & aperta, ita vt si in pluribus libris esset descriptus, ex omnibus cancellari deberet, nisi vnicus liber respiceret omnes scripturas. Hæc non procedunt, quando ex indulto Principis generaliter Banniti restituuntur, eorúmque bannna, & damnationes cassantur; quia tunc, etiam deficiente cancellatione impunè occidi non possunt; & qui secùs fecerint, saltèm pœnâ exrraordinariâ mulctantur.

Generaliter verò, Bannitos occidere licèt etiam proditoriè, veneno, per assassinium, & quocunque alio modo: 12
quinimò ipsis Bannitis censetur prohibita defensio; adeo vt etiam Clericus puniri non possit, licèt ex tali homicidio Irregularitatem incurrat. Extendendo, quod etiam possint impunè occidi, quamuis viui potuissent capi. Et licèt Alij contra; sic *Author* decisum, & resolutum dicit in *Sacr. Consult.* de 13
Anno 1596. ipso patrocinante *in vna Assisien. homicidij*: vsque ad *n.* 172.

Et non solùm possunt occidi ipsi Banniti, sed etiam eorum socij, & opem præstantes, ne offendantur, & 14
pro dicto homicidio non requiritur pax ab hæredibus occisi, & parte offensa, vt occidentes remittantur, quamuis Banniti, licèt ex *Bulla Pij IV.* non remittantur, nisi seruato exilio, donec pacem habuerint. Præsentatio exinde Banniti viui, vel eius capitis, potest fieri, nedum per ipsum capientem, seù occidentem, verùm etiam eius nomine: & hoc indifferenter procedit, etiam stante Statuto, quod foren- 15
sis non possit acquirere immobilia, & pro præmio assignetur aliquis fundus, quia adhuc fundus acquiritur per forensem sic occidentem. Maius delictum, aut minus, vbi extat Statutum, quod sic occidens remittatur pro pari, vel minori delicto, reputatur respectu pœnæ non inductæ à Iure communi, 16
sed à Statuto: vel considerabitur respectu qualitatum aggrauantium, & exgrauantium. Vtrùm verò occidens aliquem Bannitum pro furto, possit remittere se ipsum Bannitum pro homicidio? D.D. aduersantes hinc inde *Author* fœdere distinctionis conciliat: firmando, quod si simus in simplici homicidio, siuè in rixa, siuè appẽsatè commisso, pro quo homicida nõ esset con-

demnatus, nisi in pœnam capitis, tunc sine dubio potest nominari, & remitti per eum, qui occidit famosum furem, & Latronem, condemnatum in pœnam furcarum: Bannitus autem pro homicidio facto cum armis, non potest remittere Bannitum pro homicidio per venenum commisso.

In practica seruatur, quod vbicunque occisus reperiatur Bannitus, qui occidit, possit se ipsum, & alios remittere: licèt Regula in præsenti quæstione proposita non procedat in Bannitis, & condemnatis ex non veris, & legitimis probationibus, etiam stante Statuto, quod Contumax habeatur pro confesso: sed quidquid D. D. dicant de Iure; de Consuetudine quomodocunque sint Banniti, impunè occidi, & offendi possunt. Et quamuis Bannum non egrediatur Territorium Bannientis, attamen Assassinus, seù Bannitus ex crimine Læsæ-Maiestatis, potest extra Territorium occidi: quia & si puniri possit in illo Territorio, in quo homicidium Banniti commisit, attamen in Territorio Bannientis, & præmium, & nominationem consequitur. In Statu Ecclesiastico Bannitus vigore *Bullarum*, potest occidi in vniuerso Territorio Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecto: ideóque Bannitus poterit occidi in quocunque loco fundatario Ecclesiæ: quod *Author* optimè probat, adducendo per extensum eloquentissimum responsum *Franc. Cultel.* vsque ad *num.* 260.

Regula pariter non extenditur ad Bannitos ex pœna pecuniaria: licèt ex *Constit. March. lib.* 4. *cap.* 28. permittatur, posse offendi in persona, & rebus Bannitos, & condemnatos in pœnam pecuniariam; sed citra mortem, & membri amputationem, seù debilitationem. Pater etiam filium Bannitum, & è contra filius Patrem non potest occidere. Et licèt Alij contra: hæc tamen contraria opinio tantumodo tunc procedit, quando Pater esset hostis, seu proditor Patriæ, & contra Patriam actualiter veniret. Simili modo, nec etiam fratri fratrem occidere licet. Alij contrà: & istam contrariam opinionem *Author* defendit, & in contingentia facti seruandam esse testatur. Quod idem esset in Vxore occidente maritum: & in Vasallo, & subdito, occidente Dominum suum: & hoc sine dubio in practica seruaretur eâ ratione, quia quando Dominus alicuius Castri capitaliter bannitur, condemnatur etiam in confiscationem bonorum; ex quo subditi eius, non ampliùs subditi vocantur: vsque ad *n.* 289.

Item Bannitus toleratus publicè, & palam à Superiore, seù habens *Saluum-conductum*, siuè datus à Principe, siue à Iudice, dummodo salui-conducti detur scientia impunè occidi non potest; quinimò de tali Saluo-conducto, Bannito attestanti est credendum: quod si secus fiat, pœna extraordinaria non euitatur. Non iuuantur etiam hoc Statuto occidentes captum à familia, eóque magis existentem in carceribus: nec desunt qui extendant, non posse occidi appellatione pendente, vel dum discutiatur nullitas banni, dummodo nullitas non sit euidenter friuola, & calumniosa, & de ea scientiam habeat occidens. Item Bannitus in Ecclesia occidi non potest: & Statutum concedens præmium, nominationem, seù indultum Bannitis, seù aliis occidentibus Bannitos, intelligendum est de Bannitis tempore conditi Statuti: quo stante, non extenditur tam actiuè, quàm passiuè ad Bannitos post Statutum. Hoc tamen non procedit sine difficultate; quia ratio, & mens Statuentium ea est, vt extirpentur Banniti, tàm de præterito, quàm de futuro: vsque ad *n.* 238.

Benè verum est, quod Delinquentes ante Statutum, ab illo non comprehenduntur, quamuis fuerint condemnati, Banniti, & effecti Contumaces post Statutum: vsque ad *n.* 251.

Licèt occidens Bannitum puniri non possit, attamen infamiæ notam non euitat, nisi Statutum contineat verba *impunè*, *iustè*, *& licitè*: quia per aduerbium, *licitè*, homicidium non reputatur maleficium. Birruarij verò, aliíque Ministri Iustitiæ, qui ex eorum officio Bannitos capiunt, seù occidunt, præmium non consequuntur: & in casu, quo villa, seù incola alicuius loco, audito rumore, & campana ad arma pulsante, currere debent ad persequendum, & capiendum Bannitos; si capiant, præmium eis non debetur, cùm non spontè, sed ex necessitate Statuti id agant. Si verò plures interuenerint in captura Banniti, non plura, sed vnicum tantùm præmium debetur: & tunc demùm debetur præmium, & nominatio, quando scilicet fiat præsentatio

sentatio Banniti, vel eius capiti in eo loco, vbi Statutum, seù Bannimentum mandat præsentari; secus, si in diuerso: vsque ad *n. fin.* 260.

EX QVÆST. CIV.

Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Thesaurus inuentus in fundo proprio, vel alieno; publico, religioso, vel priuato; ad quem spectet? & generaliter de materia Thesauri.

1 IN proposita materia vnusquisque in fundo suo Thesaurum inquirere potest: & inuentus siuè casu, siuè data opera, spectat ad Dominum fundi, non autem ad Principem: sed in alieno fundo, nemo inuito Domino thesaurum perquirere potest: quinimò sic inuentus, non ad Inuentorem, sed ad Dominum fundi spectat; & Iudicis
2 arbitrio extra ordinem punitur. Quod si in alieno fundo, non datâ operâ, sed fortuitò inueniatur, tunc pro medietate spectat ad Inuentorem, & pro alia medietate ad Dominum fundi. Sed si casu fortuito inueniatur in fundo Cæsaris, seù alicuius Ciuitatis; inter Cæsarem, & Ciuitatem diuiditur; tertia parte Inuentori applicata. Si verò inueniatur in loco publico, ideſt, publicè deputato; inter Inuentorem, & Fiscum diuiditur. Inuentus in bonis Ecclesiæ, aut loco sacro, pari modo diuiditur, scilicet inter fiscum Ecclesiæ, & Inuento-
3 rem. Quidquid Alij contra. Sed si reperiatur in fundo Emphyteutico, vel fundatario; ad Emphyteutam, & Feudatarium, non ad Dominum directum spectat: si verò in fundo pignorato, ad Dominum principalem, & ad Inuentorem non ad Creditorem pertinebit. Notabiliter, si inueniatur in fundo dotali per Maritum, dimidiam sibi lucratur, alteram verò dimidiam soluto matrimonio restituet: si in fundo præscripto, ad præscribentem: vsque ad *numer.* 18.

Inuentus Magica arte, spectat ad
4 Principem, & non ad Inuentorem. Et quæ generaliter de Thesauro dicuntur, intelligenda sunt de auro, argento vel pecunia, cuius Dominus sit incertus, quæ fuerit abscondita antiquis, & tanto tempore, vt memoria non extet: ideòque domo vendita, in qua, non antiquitùs fuerit abscondita aliqua pecuniarum quantitas, non censetur vendita ipsa pecunia, quapropter si reperiatur, spectat ad Venditorem, non ad emptorem: vsque ad *n.* 22.

Alleganti pecuniam inuentam, esse Thesaurum, incumbit probandi onus: 5
sed dicitur satis probatum, quando deducitur per Testes, deponentes de communi æstimatione. Et quidquid sit de Iure, hodie de generali Consuetudine totius Orbis, Thesaurus ad Reges, & ad Fiscum pertinet: vsque ad *num.* 32.

EX QVÆST. CIV.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Metallorum venæ inuentæ in fundo proprio, vel alieno, ad quem spectent? & an inuito Domino possit Priuatus, vel Princeps eas in fundo alieno effodere? & generaliter de materia Metallorum, & eorum venis.

METALLORVM species sunt se- 6
tem, nempè Aurum, Argentum, Electrum, Æs, Stamnum, Plumbum, & Ferrum, quorum venæ sic inuentæ in aliquo fundo, spectant ad Dominum fundi, non autem ad Principem. Alij contra, intrepidè firmantes, Aurum, & Argentum esse de Regalibus Principis, siue inueniatur in publico, siuè in priuato, & in aliis metallis, Principem habere Decimam. Inuentæ in fundo, cuius vnus sit Dominus directus, alter Vtilis, spectant ad Dominum Vtilem, non autem ad Di- 7
rectum: & hinc fructuarius fundi sibi legati, aut alio modo per ipsum possessi, potest in ipso fundo lapidicinas, seù cretæ, arenæ, auri, argenti, sulphuris, plumbi, & cæterorum quorumcunque fodinas instruere, dummodo sic construendo, faciat meliorem conditionem fundi, non deteriorem: sic & istæ venæ repertæ in Territorio alicuius Castri infeudati, spectant ad ipsum feudatarium: vsque ad *n.* 44.

Quisque

Quisque potest in fundo alieno effodere metalla, inuito Domino, cum licentia Principis: sed vtrùm Princeps similem licentiam impartiri valeat? D. D. variè loquuntur. *Author* verò distinguit, quòd quando Dominus fundi noluit effodere, tunc Princeps concedere possit: si verò ipse velit effodere, præferendus est omnibus, & Princeps priuato concedere nequit. Venæ saxorum, de quibus fit alumen, in fundo priuato inuentæ, spectant ad Dominum fundi, solutâ Decimâ Principi, & effodientes metalla in fundo alieno, dare debent duas Decimas, vnam scilicet Principi, seù fisco; alteram Domino fundi: sed effodientes in loco publico, vel Principis, debent pro introitu Officij; quando deputantur Metallarij, soluere Fisco tertiam partem vnciæ illius metalli; ad quod effodiendum accedunt; & de effosso quolibet Anno eidem Fisco dare nouem vncias, nisi sit Aurum: quòd si Aurum sit, soluere debent annuatim solùm scrupulos septem: & demum facta purificatione metalli, debent ipsi Fisco duas Decimas; & sic considerantur tria tempora: Primum, pro introitu: Secundum, pro fossura: Tertium, pro purificatione. At verò ad fundi Dominum, ad Principem, vel ad effodientes quæ pars spectet? attendenda est loci consuetudo, quæ tamen nunquam poterit præiudicare Domino fundi, quoad partem sibi debitam; nisi huiusmodi consuetudo sit præscripta spatio triginta annorum, & probetur per Testes deponentes de actuum frequentia: vsque ad *n.* 70.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS DVODECIMA.
EX
LIBRO TERTIO, TITVLO DVODECIMO,
QVÆST. CV. INSPECTIO I.

ARGVMENTVM.

Iniuria quid sit, & quomodo in Iure sumatur, quando, & quot modis inferatur.

HACTENVS à Criminali materiâ in genere tractatâ, descenditur modò ad Crimina, seù delicta particularia. Et primò loco de *Iniuriarum* crimine. Præmittitur ergo primò, quòd Iniuria largo modo significat omne delictum ex animo, & voluntate commissum: & dicitur omne id, quod non Iure factum est: & tribus modis infertur, re scilicet, verbis, & manibus. Quibus præmissis; *Prima Regula* est, quod Iniuria dicitur illata, quando in alterum aliquid turpe improperatur.

Secunda, quod dicitur illata, si in alterum imputetur aliquod delictum, siuè

siuè in specie, siuè in genere; licèt improperatio in genere contineat in se minorem iniuriam, nec intret pœna Statuti; est enim necesse, quod descendatur ad improbitatis speciem.

Tertia, infertur, quando ex verbis,
4 aut facto alicuius dignitas læditur, persona infamatur, seù opinio minuitur; siuè quod dicitur sit verum, siuè falsum; dummodo infamia non sit notoria.

Quarta, infertur, quando contra aliquem proferantur verba, quibus dicatur aliquid commissum contra bonos
5 mores Ciuitatis; vel quando in alterum blasphemia infertur, & maledicitur de præterito, præsenti, vel futuro.

Quinta, & vltima, quod non solùm
6 inferatur quando improperatur aliquod maleficium, seù vitium proueniens culpa iniuriati; sed etiam si proueniat sine sua culpa: & generaliter ex probando in alterum suæ naturæ vitia; vt putà dicendo quem spurium, gibbosum, leprosum, cæcum, & iis similia: vsque ad *n* 25.

EX QVÆST. CV.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Iniuriarum pœna, quæ sit? Quotuplex detur actio? Quandóue per electionem vnius actionis censeatur alteri præiudicatum? Et quomodo facienda sit iniuriarum æstimatio.

PROPOSITA Inspectio in quatuor partes diuiditur: in *Prima*,
7 respiciuntur actiones pro illata iniuria competentes: in *Secunda*, explicatur, quando per vnius actionis electionem censeatur alteri præiudicatum: in *Tertia*, agitur de pœna, quando Ciuiliter agitur: in *Quarta*, quando agitur Criminaliter.

Et redeundo ad Primam; Iniuriarum actio duplex est vna scilicet *Prætoria*, altera *Ciuilis*: Ciuilis, quando quis dicit se pulsatum, vel verberatum: Prætoria, quæ in aliis omnibus casibus datur. Item
8 alia est *Ciuilis*, alia *Criminalis*: Criminalis ad pœnam; Ciuilis ad æstimationem iniuriæ.

Sed an per electionem actionis Ciuilis censeatur sublata actio Criminalis? Author firmat tres Conclusiones; quarum *Prima*, est quod si priùs fuerit intentata actio Ciuilis ad iniuriæ æstimationem, non possit postea Criminalis actio ad pœnam Fisco applicandam intentari: imò isto casu Prætor non debet permittere, vt quis proponat primam actionem Ciuilem, nisi Criminali copulatam.

Secunda, quòd si sit priùs intentata
9 actio Ciuilis, non ad æstimationem iniuriæ, quæ dicitur ad *vindictam*; sed ad damna & interesse: tunc non censetur prohibitum intentari criminalem actionem ad pœnam; è contra.

Tertia, quòd si è cõtra fuit primo loco
10 intentata actio Criminalis ad pœnã, non impeditur quis postea proponere actionem Ciuilem ad æstimationem: Alij contrà: sed concilia, quod pendente iudicio Criminali non possit intentari actio Ciuilis; secùs è contra. Et de materia vide latiùs *suprà quæst.* 100. vsque ad *num.* 35.

Iniurians tenetur iniuriato ad iniu-
11 riæ æstimationem, quæ generaliter fieri debet secundùm tempus factæ iniuriæ: nec est necesse, quod referat sead damnum, vel lucrum; cùm satis sit absque alia relatione iniuriam æstimari: relatio tamen fieri debet ad damnum, non autem ad lucrum; quia licèt æstimatio fieri debeat à Parte, adhuc Iudex habet arbitrium moderandi: & talis æstimatio fieri debet à Parte cum iuramento; quod an præcedere debeat taxationem Iudicis, vel post eam præstari? D.D. in-
12 ter se altercantibus, *Author* firmat, taxationem subsequi debere. Quod si plures fuerint illatæ, aliquæ scilicet verbis, aliquæ factis; Actor, aut vnica æstimatione potest omnes comprehendere, aut singulas singulariter æstimare.

Quando verò pro iniuria Criminali-
13 ter agitur, pœna est arbitraria, extendibilis, etiam ad Corporalem. Quod intelligitur, cessante Statuto; eo enim disponente, eius dispositio est attendenda, Iudicis arbitrio sublato: & condemnatus actione Iniuriarum, efficitur infamis, siuè Criminaliter, siuè Ciuiliter agatur; quamuis iniuria sit leuis, & minima. Alia est pœna restitutionis famæ,
14 veniæ petendæ, & *disdictæ* seù recantationis & palinodiæ, in eisdem locis, quibus iniuriam protulit; hoc sanè intellecto, nisi iniuria fuisset vera, vel Iniurians esset Clericus, quia stringi non

potest

potest ad hanc honorabilem *emendam*: nec non vltra tenetur iniurians ad damna, & interesse.

EX QVÆST. CV.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Iniuriarum pœna quando habeat locum, & quando non.

REGVLARITER iniurians punitur, & Ciuiliter, & Criminaliter: etiam quòd iniuria facta sit Absenti: ideóque *Statutum* de iniuria disponens, habet locum in iniuria facta absenti; & etiam facta mortuo; licèt hoc casu dicatur ficta, & abusiua, ac leuior eâ, quæ infertur in Viuentem Extende ad factam *nutu*; si ex nutu appareat aliquod signum, quod designet voluntatem iniuriantis; cùm etiam percipi possit ex verbis antecedentibus, & subsequentibus: eò magis extenditur ad iniuriam factam minis, & comprehendit mandantem consulentem, seù procurantem iniuriam inferri: & eò fortiùs procedit in Concitante pueros ad vociferandum in aliquem iniuriosè: ideóque iniuriarum actione tenetur ille, qui de nocte tacitè viam alicuius mulieris honestæ frequentat, ante illius domum facit *Mattinatas*: seu Viduis *Campanatas*: & in hoc consuetudo non excusat: vsque ad *n.* 44.

Quod pro leui iniuria, seù pro leuissima, Criminaliter agi possit, multi negant; licèt communius, & verius sit, taem actionem competere: & hinc punitur qui alteri dicit aliquod bonum, sed ironicè, animo iniuriandi: & licèt non teneatur is, qui ad auriculam sui Inimici iniuriam infert, tenetur tamen ex edicto, de quo in *L. item apud Labeonem*, §. *ex iis, & ibi* Ang. *ff. de iniur.* Quinimò similis actio pœnalis, si agatur de pœna pecuniaria imponenda, cedi potest: sed vtrum æstimatio fieri debeat à Cedente, vel à Cessionario? *Author* te remittit ad Tiraqu. *de retract.* §. 16. *glos. n.* 47.

Hæc non procedunt quando quis conuicium infert sine dolo, & absque animo iniuriandi, qui præsumitur ex verbis, etiam indifferentibus, & diuersam interpretationem recipientibus: sed in istis in dubio pro exclusione iniuriæ arbitrandum est. Non tenetur etiam actione iniuriarum, qui iocosè iniuriam profert, nisi inferatur in ludis prohibitis: sed de iniuria tenebitur ille, qui de altero facit ludibrium: nec excusatur ex eo, quod ioco fecisse dicat. Singulariter verò Iudex actione iniuriarum non tenetur, animo corrigendi, verbum iniuriosum proferens: sic & Magister verberando discipulum, dummodo leuiter, & moderatè; quia secùs, si grauiter, & atrociter: & vtrùm castigatio sit moderata, nécne? Iudicis arbitrio relinquitur per coniecturas Arbitrantis; vt putà, si ferro, & non ligno percusserit; & si ligno, an acriter, & verè, & in qua parte corporis? sed quorúmque casu, pœna erit arbitraria, dummodo verberatus non decesserit; quia tunc Magister decapitatur. Astrologus, qui consultus respondet, aliquem esse furem; iniuriarum pœna non tenetur, nisi diuinare volens, contra veritatem dicat specialiter, quem fecisse furtum; quia tunc capitaliter punitur propter illicitam artem quam exercet: vsque ad *n.* 138.

Pater verberans filium, vel Anus nepotes, licèt iniuriarum actione non teneantur; attamen si modum excedant, cogi possunt ad filios emancipandos: & interdum etiam criminaliter puniri possunt extra ordinem, dummodo de dolo appareat. Idem in famulo verberato à Domino: Extendendo ad Amicum, & Coniunctum; nec non ad illos, qui lubrico linguæ ex iracundia illatam iniuriam reuocant incontinenti. Et licèt volenti iniuria non fiat; attamen hoc non procedit quoad illos, quibus ex iniuria alteri illata, actio acquiritur: & ideo pro iniuria facta filio, vel Vxori; Pater, & Maritus respectiuè agere possunt; etiam fisco, vel vxore renuentibus. Idem pro iniuria facta Clerico, Episcopus agere potest; & pro iniuria facta Officiali, Princeps. Sed similis actio non transit ad hæredes, nisi fuerit lis contestata. Et tandem plures iniuriæ vno impetu illatæ vnica tantum reputatur iniuria, & vnica pœna locum habet: vsque ad *numer.* 174.

***

EX

EX QVÆST. CV.
Inspectio IV.

ARGVMENTVM.

Iniuria quando dicatur leuis ? quando atrox, & grauis.

LEVITAS, seu grauitas iniuriæ ex
24 illius qualitatibus dignoscitur, habito respectu ad causam, & ad personas iniuriantis, & iniuriati ? remittitur arbitrio Iudicis, & attenditur vsus. Iniuria verò personalis generaliter semper dicitur atrox, siue inferatur in corpore, siue etiam in vestibus : & grauior reputatur, quando infertur in loco publico : & atrox ea, quæ in Prætoris conspectu infertur; quia tunc Iudex eodem loco, & statim, potest talem iniuriam arbitrio suo punire: vsque ad *n.* 195.

Iniuria facta Clerico, aut Sacerdoti,
25 semper dicitur atrox : sic & illata Magistratui, quæ reputatur facta Principi, quamuis inferatur finito officio, & tempore Syndicatus; adeo vt etiam solo verbo illata, acriter puniatur. Sic & pari passu, quando infertur Doctoribus, cùm ratione personæ grauis reputari debeat: Eóque etiam, si Mulieri notæ authoritate,
26 & famæ. Quod si fuerit illata alicui Sacerdoti celebranti diuina Officia, pœna vltimi supplicij irrogatur, concurrentibus tamen quatuor specialissimis requisitis, Primò, scilicet, quòd sit illata Sacerdoti. Secundò, tempore celebrationis. Tertiò, in Ecclesia. Quartò, quòd turbentur diuina Officia. Alapa dicitur grauis & atrox iniuria, siue percussus sit Nobilis, siue humilis : sic & illata fustibus, baculo, vel ad domum alterius : vsque ad *num.* 218.

EX QVÆST. CV.
Inspectio V.

ARGVMENTVM.

Veritas conuicij, an, & quando excuset à pœna iniuriarum.

VERITAS illati cõuicij an cõuiciantẽ
27 excuset à pœna ? *Author* hîc tredecim DD. opiniones inter se contrariantes refert: & tandem ipse distinguit, quod aut sumus in Iudicio, aut extra Iudicium : si in Iudicio, veritas conuicij excusat, dummodò probetur : si verò extra iudicium, tunc iniuria aut illata est per libellum famosum & in scriptis, aut sine libello & scriptura; primò casu indistinctè, tam de *Iure Ciuili*, quàm de *Canonico*, veritas conuicij non excusat, & sic practicatur in vtroque foro : secundo verò casu, aut iniuria infertur à prouocato, & excusat; aut à non prouocato, & sine causa, & tunc non excusat : vsque ad *n.* 252.

EX QVÆST. CV.
Inspectio VI.

ARGVMENTVM.

Iniuria vni facta, an alteri facta censeatur; ita quod vnus possit nomine proprio pro iniuria alteri facta agere.

RATIONE affectus iniuria vni
facta alteri illata censetur; & ideò 28
facta filio, censetur facta Patri, qui propterea in actione iniuriarum prætoria, nomine proprio agere potest : Sed in materia an scilicet, & quando iniuriarum actio competat potiùs Patri, quàm filio? vide *text.* & *ibi* Gloss. & DD. in *leg. sed si vnius*, §. *ait Prætor*, *ff. de iniur.* & *in l. eum qui nocentem*, §. *si nuptam*, *ff. eodem.* Sed è contrà filiùs non potest agere pro iniuria facta Patri, nec Pater iniuria facta filio emancipato : Sic pariter iniuria facta seruis, ipsis Dominis facta censetur, dummodò fuerit facta in contumeliam Domini: Sic & Maritus nomine proprio agere potest pro iniuria facta vxori,
Sponsæ, vel Nurui, pro qua Socer agere 29
potest; sed si in agendo concurrat Pater Vxoris, & Socer; Pater præferri debet. E contrà, Vxor agere non potest pro iniuria facta Viro, nisi macularet Vxoris honorem. Iniuria facta Procuratori, seu negotiorum Gestori, Principali & Domino præsentibus, ipsis factá censetur; & actio datur ad accusandum. Extende ad factam Discipulo, respectu Præceptoris : ad factam Socio itineris; vel coniuncto, & consanguineo; quia & Sociis, & cæteris Consanguineis, facta reputatur, vsque ad sextum Gradum, non vlteriùs : facta Clerico, censetur facta Episcopo, & Ecclesiæ:

factáque Episcopo, facta reputatur om-
30 nibus Ecclesiis sibi subiectis: quapropter, licèt Episcopus possit quoad se, talem iniuriam remittere; nequit quoad Ecclesiam: & hinc Monahi non possunt remittere iniuriam quoad actionem Monasterio competentem. Sic & facta Ciui, Ciuitati facta reputatur: facta Colono, censetur facta Domino: & facta subdito, seu Vasallo, ipsi Principi; dummodò in contumeliam eorum sit irrogata: & omni casu intentata per vnum, alterius actio non perit: vsque ad *n.* 305.

EX QVÆST. CV.

Inspectio VII.

ARGVMENTVM.

De iniuria illata, seu Mentita *data ad prouocationem alterius; & cum protestatione, non animo iniuriandi, sed saluo honore.*

INIVRIARVM pœna non in-
31 iungitur inferenti prouocato: quòd si alteri aliquid asserenti, vel neganti dicat, *Tu mentiris*, iniuriam infert, & iniuriarum actione tenetur, quamuis *Mentita* detur cum protestatione *saluo honore mentiri*; quia hæc protestatio, tamquam contraria facto, non attenditur: sed si daretur ad propulsandam iniuriam, esset impunibilis; præcipuè si iniuria sit falsa: & hinc, data falsitate iniuriæ, & mentita vera, ac iustificata, non licèt iniurianti
32 ad propulsandam mentitam, mentientem rementiri, quia tunc duplici pœna punitur, scilicet pro prima iniuria, & pro replicata mentita. Iniuria tamen non est dicere alicui, *Tu non dicis verum*, si id fiat cessante ira, & inurbano colloquio, quamuis ista verba de sui natura, & proprietate, iniuriam importent. Iniuriarum
33 actione non tenetur ille, qui dat alteri mentitam conditionaliter, quatenus scilicet de suo honore oblocutus fuerit si enim conditio non verificatur; mentita non habet locum; si verificatur, non punitur, cum fuerit data ad propulsandum iniuriam: sed data ex interuallo, adhuc esset punibilis: vsque ad *numer.* 333.

***

EX QVÆST. CV.

Inspectio VIII.

ARGVMENTVM.

Iniuriarum actio, quot modis remittatur.

INIVRIA quandóque remitti-
tur expressè, & quandóque etiam 34
tacitè. Expressè per pactum, conuentionem, seu transactionem; præsertim iuramento vallatam: tacitè per signa, & coniecturas reconciliationis, quarum ea potissima est, quæ oritur à dissimulatione, & non reuocatione ad animum: sed in dubio censetur ad animum reuocata. Oritur pariter præsumptio remissionis ex conuersatione, & collocutione familiari cum Iniuriante, ex salutatione vicissim facta, ex præstatione seruitiorum, & similibus. Verùm hæc operantur effectum suum, 35
quoad præiudicium partis remittentis, non autem Fisci; & tantùm quoad ius agendi ciuiliter ad damna, & interesse, quando fuit facta plenaria remissio: vsque ad *num.* 373.

Episcopi, seu alij Clerici, quia astringuntur ex eorum officio, rancorem, & 36
odium remittere, debent enim salutare, & alios similes actus facere cum Iniuriante, non propterea censentur iniuriam remisisse; quia post accusationem requiritur remissio expressa, non autem tacita: quia licèt ad tollendum indicium inimicitiæ sufficiat probare reconciliationem, non tamen extinguitur actio: quia solùm censetur remissus rancor propter salutem 37
animæ: & è contrà, si fuerit remissa iniuria propter mortis cogitationem, non tamen, cessante timore mortis, reuiuiscit actio; licèt per remissionem iniuriæ, vel renunciationem querelæ in articulo mortis, non censeatur remissa satisfactio, quoad interesse; ideóque non censetur remissa per verba generalia, neque per signa; nisi ista sint vera, naturalia, necessaria, & concludentia vsque ad *num.* 383.

***

EX QVÆST. CV.
Inspectio IX.
ARGVMENTVM.

De forma Libelli in crimine iniuriarum:

LIBELLVS iniuriarum continere
38 debet nomen Iniuriantis, speciem illatæ iniuriæ; debet exprimi tempus, & locus, cum aliis circumstantiis; quia aliàs esset ipso iure nullus, si agatur Criminaliter; si verò ciuiliter ad æstimationem, tunc est necessaria Partis propositio, necnon annus, mensis, & dies illatæ iniuriæ: vsque ad *n.* 389.

EX QVÆST. CV.
Inspectio X.
ARGVMENTVM.

De Maledicente Principi, Cardinali, vel Prælato.

PRINCIPI maledicens ex propo-
39 sito, & malo animo, puniendus est; licèt Princeps de maledictis non curet: extendendo ad quodcunque verbum contumeliam importans, hoc enim semper dicitur maximum delictum: multóque magis maledicens Romanæ Ecclesiæ, Cardinalibus, & Prælatis, qui de tali iniuria sunt Iudicis competentes: & Delinquentes excommunicari, & puniri possunt, si iniuria tangat Ecclesiam; secùs è con-
40 trà. Prædicatores verò, qui in eorum prædicationibus, & concionibus, Ecclesiarum Prælatis maledicunt, seu detrahunt, acerrimè puniri debent, secundùm eorum Regulas, vel Statuta pro grauibus criminibus, seu culpis pœnas imponentia; dummodò nominatim, vel per circumlocutionem, proprij nominis detrahant, cum aliàs in genere liceat vitia Prælatorum tangere. Maledicentes cuilibet Prin-
41 cipi, siue publicè, siue priuatim præsertim Papæ, non solùm infames reputantur, & ab Ecclesia extorres redduntur, verùm etiam quandóque tamquam Hæretici puniuntur, si id efficiant dolo, & malo animo, secùs si per ebrietatem, leuitatem, temeritatem, seu lubricum linguæ. Verùm nullo casu Iudex ex seipso, nec absoluere, nec condemnare potest absque Principis rescripto: vsq; ad *n.* 420.

EX QVÆST. CV.
Inspectio XI.
ARGVMENTVM.

De pœna, & materia Libelli famosi.

AVTHOR in præsenti Inspectione, relatis pluribus DD. opinionibus, 42
tandem firmat Regulam, Compositorem libelli famosi, siue Laïcum, siue Clericum, arbitrariè puniri; etiam vsque ad pœnam mortis. Extendendo ad Mandantem, & Consulentem, Scribentem, Dictantem, seu Exemplantem; præcipuè vigore *Bullæ Pij V. 165. part. 2. fol.* 1262. quæ quidem Bulla comprehendit Legentes, & Retinentes, pari pœna puniendos concurrente manifestatione. Extende insuper 43
ad affigentes in loco publico litteras, carmina, scripturas, vel picturas & ad Publicantem: ex quo, necesse est manifestare, vt pœna incurratur. Eóque fortiùs punitur componens librum in alterius infamiam, seu carmina, epigrammata, vel cantiones, aut quid simile; seu illas cantans. Item stercorans fores alicuius, cornua ibi affigens, scribens literas, seu aliam scripturam infamatoriam, obscœnas scripturas in alterius infamiam in aliquo loco ponens: Et multò magis affigens libellos famosos Palatio Principis, vel Vrbis; siue eos componens contra Magistratum, Iudices, aut Officiales. Reuelans tales li- 44
bellos famosos, præmium consequitur, si liber sit, arbitrio Iudicis, de bonis Accusati; si verò seruus, libertatem consequitur, & Fiscus soluit Domino pretium. Indicare autem dicitur is, qui iudicialiter reuelando accusat. Sed pœna libelli famosi non habet locum, nisi dolus inter- 45
ueniat, quo deficiente, si quis faciat, legat, manifestet, vel retineat libellum famosum, non punitur: provt non punitur eum componens, sed non publicans: quinimò nec pœna locum habet nisi omnibus videndus, & legendus publicè exponatur.

Pœna verò libelli famosi de Iure Ciuili est vltimi supplicij si contineat libellus ca- 46
pitalia delicta: si verò non capitalia, ea pœna imponitur, quæ pro improperato delicto esset infligenda: quod si non de-

lictum, sed iniuriam contineat, extraordinariè punitur, & quidem mitiùs, si formetur in ignominiam cuiusuis inhonestæ personæ. De Iure autem Canonico flagellatur, potest deponi, & si monitus neget delictum, sacramentis priuatur, quòd si contempserit, excommunicatur.

47 Ponens huiusmodi libellos in Ecclesia, anathematizatur; & in foro pœnitentiali, necnon in foro fori tenetur ad restitutionem famæ per contrarios libellos se disdicendo. Si verò Statutum imponat pro libello famoso aliquam pœnam, debet imponi & attendi; sed nisi sit expressa,

48 ad Ius commune est recurrendum, à quo vltra pœnas enunciatas, similis Author & Compositor efficitur infamis, & intestabilis: vsque ad *n.* 441.

EX QVÆST. CVI.

ARGVMENTVM.

Pactum de quota litis, quando à Iure Communi puniatur? & generaliter de materia.

1 REGVLA formatur, quod pactum de quota litis factum inter Aduocatum, & Clientulum in casu Victoriæ, est improbatum à Iure: huiusmodi Aduocati Aduocationis officio priuantur ipso Iure; tenentur ad duplum, vel ad quadruplum; infamiæ nota perpetua notantur; & omne lucrum, & commodum, quod exinde prouenerit, tamquam turpe & illicitum, Fisco applicatur: tantundem de suo soluit: & perdit expensas de proprio in lite factas, necnon actionem mandati: contra ipsum iuratur in litem, tenetur pœna falsi, reputatur crudelis, & deprædator; dicitur litis Redemptor, & peccat contra bonos mores; siue sit Aduocatus, siue Procurator, aut Causidicus iudicialis. Extende Regu-

2 lam etiam ad Aduocatos, & Procuratores, non descriptos in Matricula, & quamuis sint consanguinei, & pactum fuerit iuratum, & sub nomine *Salarij* velatum: vsque ad *n.* 25.

Et in tantùm est à Iure improbatum,

3 quod punitur quamuis contineat summam moderatam respectu debiti salarij: & quamuis non fiat de quota litis, sed de certa re in litem deducta, vt putà, si paciscatur, quod finita lite sibi detur à clientulo quid immobile de hæreditate: Imò nec valet pactum de sibi dando certam quantitatem pecuniarum in casu victoriæ: sed quia hoc à DD. controuertitur, attende sequentes Conclusiones per *Authorem* firmatas.

Prima sit, quòd si promittatur Aduocato, seu Procuratori certa pecuniarum 4 quantitas in casu victoriæ tantùm, talis promissio dicitur illicita, & reprobata; quamuis sit promissa certa quantitas moderata.

Secunda, quòd si promittatur certa pecuniarum quantitas vniformiter so- 5 luenda, tam in casu victoriæ, quàm secùs; talis promissio valet, dummodò sit moderata, & correspectiua laboribus.

Tertia, quòd si simpliciter promittatur in casu victoriæ, nihil dicto in casu 6 non victoriæ; huiusmodi promissio sic in pactum deducta non est illicita, nec reprobata; dummodò non sit in excessu: cùm possit Aduocatus, victoria non adepta, salarium petere.

Ampliando Regulam, inducitur pactum de quota litis, etiam per interposi- 7 tam personam, dummodò aliquid paciscatur in excessu: & isto casu, salarium dicitur moderatum, si non excedat summam centum aureorum: hoc vno notabiliter adiecto, quòd si pendente lite, & ante accusationem, Aduocatus à pacto recedat, & pœnitentia ductus vlteriùs non prosequatur, nullo modo punitur.

Sic & Regula non procedit in illo, qui 8 non est Aduocatus, neque Procurator, licèt tamquam talis constituatur: ità & non est prohibitum si fiat post litem finitam; provt idem est, si huiusmodi pactum sit nullum: nec prohibetur Aduocatus, & Procurator de suo in litem expendere, & paciscì quod quantitas expensa cum licitis vsuris restituatur. Vnica est pœna, scilicet priuationis ab officio, quæ imponitur Aduocatis, & Procuratoribus.

Clientulus verò tale pactum faciens non punitur, cum de eo Iura misericordiam habeant: vsque ad *numer.* 67.

***

EX

EX QVÆST. CVII.

Articulus I.

ARGVMENTVM.

Pax, quid, & quotuplex sit? quid Concordia, Treuga, vel Induciæ? quid Assecuratio, Cautio, vel Promissio de non offendendo? quomodo inter se omnia prædicta differant? & ad faciendam pacem quando quis cogi possit.

1 DIVIDITVR præsens quæstio in tres partes, in quarum *prima* agitur quid sit Pax, quid Concordia, quid Treuga, quid Assecuratio? quæ sit pœna frangentis pacem, seu cautionem de non offendendo? & hæc discutiuntur per duodecim articulos. In *secunda* verò parte per decem & nouem percurruntur plures, & contingentes casus, in quibus dubitari solet, tam respectu personarum, quàm subsecutarum offensionum. In *tertia*, per quatuor, an scilicet, & quando pax, seu cautio rupta dicatur. Et licèt videndum
2 esset quid sit Pax, quid Treuga, quid Concordia, vel Induciæ? attamen, quia istorum cognitio non pertinet ad decisionem iudiciariam, *Author* remissiuè loquendo, vtiliter primo loco quærit, An quis cogi possit ad faciendum parem? Et constituit Regulam negatiuam; scilicet, quod nemo compelli possit, nisi ex Ciuitatis, & Reipublicæ quiete; vel nisi Imperator, vel Princeps cogat, quod facere potest post punitionem iniuriæ, & offensionis: sed ad faciendum Treugam vnusquisque compellitur: vsque ad *n.* 10.

EX QVÆST. CVII.

Pars I. Artic. II.

ARGVMENTVM.

Ad cauendum de non offendendo, quomodo, & coram quo Iudice quis cogi possit.

3 REGVLARITER quando Iudex videt imminere periculum, ne Partes se ad inuicem offendant, potest etiam non petentes, & inuitas cogere ad cauendum: & hanc compulsionem facere per mulctam, captionem pignorum, capturam, bannum, exilium, carcerationem, aliásque pœnas suo arbitrio infligendas: Eóque magis tenetur cogere alteram partem ad cauendum ad instantiam alterius Partis, quæ timens ab aliquo offendi, implorat Iudicis officium: Quod si requisitus negauerit, dicitur iniustitiam facere, & in Syndicatu tenetur de omni damno, & scandalo secuto, dummodo præcedat iusta causa, iustúsve timor, & id faciat cum aliquali cognitione causæ. Tale præceptum debet esse 4
reciprocum, non enim potest cogi vnica tantùm Pars ad cauendum: quando Iudex causa cognita videt ex vtraque parte adesse iustum timorem; aliàs secùs: & licèt multi velint quod data ab vna Parte, donec ab altera præstetur, si offensio intercedat, Cautio non dicatur rupta; attamen firmiter concluditur, quod si vna tantùm Pars cautionem præstiterit, fuerítque contrauentum, locus est conuentionalis pœnæ exactioni, quamuis altera Pars non cauerit: Quinimò si protestetur non valere cautionem donec per alteram Partem fuerit præstita, Iudex non tenetur præcisè huiusmodi protestationem admittere, non enim necessariò requiritur quod sit reciproca Cautio, cùm in Iudicis arbitrio resideat cogere alteram Partem, si videlicet cognouerit nullam ex eius parte subesse timendi occasionem. Cæterùm Iudex incompetens cogere non potest Partes ad ca- 5
uendum: quinimò, si coactè cauerint, non opposito de incompetentia, adhuc Iurisdictio non prorogatur: vsque ad *numerum* 25.

EX QVÆST. CVII.

Pars I. Artic. III.

ARGVMENTVM.

Cogi ad præstandum cautionem an possit quis non solùm pro se, sed etiam pro suis consanguineis? & quibus? & an etiam de non offendendo Consanguineos petentis cautionem, & quos.

COGI ad cauendum potest quis, 6
non solùm de non offendendo Principalem petentem cautionem, sed

etiam eius filios, familiares, Affines, Consanguineos, Complices, adhærentes, amicos, sequaces, & similes: & in Statu Ecclesiastico quis cogitur pro se, suísque Affinibus, & Consanguineis vsque in tertium gradum, secundùm ius Canonicum computandum: sed in Statu Sereniſſimi Magni Ducis Domini mei, datur pro Consanguineis vsque ad quartum gradum inclusiuè, & pro Affinibus in primo gradu tantùm.

7 Multi verò sunt casus, in quibus quis cogi non potest ad cauendum pro Affinibus, & Consanguineis, scilicet quando isti Affines, & Consanguinei essent inimici illius, qui ad cauendum cogitur Quando essent rixosi, discoli, & nihil haberent in bonis; vel quando Consanguineus esset rixæ Author & Principalis; hoc de Iure.

8 De Consuetudine verò aliud seruatur, quia etiam Consanguinei Authoris rixæ coguntur ad cauendum in Statu Ecclesiastico, licèt alibi seruatum non viderim.

9 Promittens verò non offendere pro se, & suis Consanguineis, soluta pœna, habet regressum contra Consanguineum contrauenientem: quod si Consanguineus, pro quo fuit promissum, omnino ignoret promissionem factam, in nihilo tenetur; sed si scientiam habeat, seu ratificauerit ad releuandum obligatur. Ex quibus concluditur, quod siue quis cogatur ad cauendum pro Consanguineus, vigore iuris communis, Styli, vel Statuti; nunquam Consanguineus, pro quo promissum fuit, tenetur ad pœnam, nisi expresè promissione ratificata, vel dolo interueniente: & ità dicit *Author* resolutum, se patrocinante in A.C. Anno 1601. vsque ad *n.* 35.

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. IV.

ARGVMENTVM.

Cautio de non offendendo, an, & quando præstanda sit cum fideiussore, vel sine.

10 REGVLARITER cautio de non offendendo præstari debet cum fideiussoribus: sed si cauens adeo pauper sit, vt fideiussorem non inueniat, Iudicis arbitrio ad iuratoriam cautionem admittitur, licèt ab hoc abstinere debeat Iudex, si cautionem præstaturus esset homo malæ famæ, rixosus, & talis, quòd valde timendum esset ne offenderet. Forenses verò, vagabundi, & non soliti conuersari, fideiussionem dare non tenentur, sed tantummodo præstare iuratoriam cautionem: vsque ad *n.* 44.

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. V.

ARGVMENTVM.

Cautio de non offendendo quanto tempore duret, & per quantum tempus dari debeat.

CAVTIO de non perpetuo, sed ad tempus, Iudicis arbitrio præstatur. 11
Extendendo vsque ad decem annos, non autem vlteriùs; licèt quandóque statuere possit, eam perpetuò duraturam, quando inimicitia sit capitalis, ac talis iniuria, vt nec etiam longo tempore obliuio inducatur. Seruatur tamen in practica, vt præstetur nullo determinato tempore, & isto ca- 12
su durat in perpetuum: sed vis agendi præscribitur spatio viginti annorum; quibus elapsis Iudex Partes potest compellere ad eam renouandam: licèt vbique sit attendendus stylus, & vbi vigeat, provt in Hetruria, vbi singulis annis renouatur ex Lege Sereniſſimi Magni Ducis; quo attento de Iure completo anno cautio expirat; etiam quod Prætor qui illam exegit confirmetur: vsque ad *n.* 56.

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. VI.

ARGVMENTVM.

De pœna frangentis & violantis Pacem.

PACEM, seu Treugam frangens, si occidat, capite punitur, eiúsque 13
bona confiscantur; si vulnerauerit, manus amputatur; si verò sine sanguinis effusione percusserit, vel absque percussione inuaserit, pœna pecuniaria mulctatur: sed in Statu Ecclesiæ ex *Const. Marchiæ lib.* 4. *cap.* 66. 67. Violatoris pacis factæ inter Ciuitates, Castra, Villas, & Terras, authoritate Prætoris, Proditor, Rebellis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostis repu- 14
tatur; eius bona confiscantur, & domus diruitur.

diruitur. Qui verò pacem priuatam fregerit, vltra pœnas prædictas, capite deorsum, & pedibus sursum, si apprehendi non potuerit, depingitur cum eius nomine, cognomine, & Patria: sed quia ista Constitutio est Carpen. non extenditur vltra Picenum: sed cum istis concordant bannimenta generalia vbique attendenda in eodem Statu Ecclesiæ. Milites de Iure communi inducias frangentes, capite puniuntur: Clerici verò contumacis bona publicantur: istæque pœnæ veniunt cumulatiuè ad pœnas conuentionales: vsque ad *n.* 76.

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. VII.

ARGVMENTVM.

Pœna frangentis cautionem de non offendendo, quæ sit.

15 PŒNA frangentis cautionem de non offendendo quidquid varij varia dicant, est arbitraria: venit cumulatiuè ad pœnam conuentionalem, nec cum ea confunditur, nisi quando applicatur Offenso in totum, vel in partem, cum damnis, & interesse, & tunc talis pœna arbitraria habet locum, quando cautio fuit præstita, nullâ adiectâ pœnâ: si enim fuerit adiecta, arbitraria non habet locum; quidquid Alij contrà: cùm certissimum sit, vltra pœnam delicti, & conuentionalem, aliam adiungi non posse arbitrariam, nisi de arbitrio in stipulatione facta sit mentio; quia de cautione de non offendendo, ad pacem ruptam, non fit illatio: vsque ad *num.* 90.

EX QVÆST. CVII.
ParsI. Artic. VIII.

ARGVMENTVM.

Conuentionalis pœna fractæ pacis, seu cautionis de non offendendo, cui applicetur.

16 DE Iure communi pœna fractæ pacis, seu conuentionis de non offendendo, applicatur iuxta conuentiones factas in stipulatione: sed secundùm Bullam Pij IV. 128. *Bullar. p. 2. fol.* 169. istæ pœnæ conuentionales applicantur Cameræ Apostolicæ: & generaliter quidquid sit de Iure, fisco applicantur: vsque ad *n.* 94.

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. IX.

ARGVMENTVM.

Pœna conuentionalis semel soluta propter semel fractam pacem seu cautionem, an possit iterum exigi propter aliam fractionem, & contrauentionem.

PRO resolutione præsentis articuli, vide *infrà art.* 32. & hîc facias vnicam Conclusionem, quod scilicet pœna semel commissa per contrauentionem, vnica tantùm vice exigi possit; nisi in stipulatione adesset Clausula, *rato manente pacto*, vel, *totis quotis*, aut adesset iuramentum, quod habet vim prædictę Clausulæ: vsque ad *n.* 96. 17

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. X.

ARGVMENTVM.

An si plures fuerint Promissores de non offendendo, vnus teneatur pro alio, seu potiùs in solidum, vel pro virili.

SI plures in pace, seu cautione de non offendendo, promiserint non offendere alios plures, & promissione contrauenial vnus, alium vnum ex dictis pluribus offendendo, tunc ille solus tenetur ad pœnam conuentam: Et licèt Alij contrà non recedas: nisi quando omnes promiserint, non vt singuli, sed tamquam vnum corpus repræsentantes: vel in stipulatione exprimatur vnum pro altero teneri, & omnes in solidum. Sic, & plures promittens non offendere vnam solam personam, putà Titium, sicut Titius offendens plures, tenetur ad totam pœnam, sic Titius offensus ab vno ex dictis pluribus omnes in totum tenentur, & ab vnoquoque eorum exigi potest: ità firmat *Author* contrariis impugnatis: vsque ad *n.* 104. 18 19

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. XI.

ARGVMENTVM.

An fractio pacis, seù cautionis de non offendendo, probetur ex fuga, & Contumacia Offendentis in præiudicium fideiussoris.

REGVLA sit, quod pacis, seù cautionis ruptæ pœna conuentionalis ad hoc vt exigi possit à fideiussore, debeat de fractura constare certè, & concludenter per Testes, non autem per solam contumaciam, seù contumacialem confessionem principalis Delinquentis: vnius enim contumacia, & inde ficta confessio resultans, alteri non nocet; sententiáque contra Principalem absentem, & contumacem lata, fideiussori non præiudicat, quamuis esset fũdata super dicto vnius Testis, sed tantùm coadiuuat alias probationes. Quando verò Principalis Delinquens sit soluendo, tunc sola contumacia prædicta ipsi Principali nocet: ex Bulla Pij IV. 128. *Bullar. p.* 1. semper nocet fideiussori, nec requiritur in Contumace principali citatio personalis: vsque ad *numer.* 116,

EX QVÆST. CVII.
Pars I. Artic. XII.

ARGVMENTVM.

Pace secuta, an cautio præcedens censeatur cassa, & extincta, & an Iudex eam cassare teneatur.

QVIDQVID Alij contra, *Author* intrepidè tenet, & iudicasse profitetur, quod per solam pacem absque alio Iudicis iussu, vel Decreto, præcedens præstita cautio de non offendendo sublata non censeatur, quamuis offensio inde secuta præsumatur facta ex noua causa, & Iudex arbitrari possit cautionem esse cassandam, si ita sibi videretur: quod si negaret ex iusta causa, adhuc cassa censeretur, secluso periculo nouæ offensionis, quia tunc nec cassare posset, etiam instantibus Partibus, quibus non permittitur recedere à contractu pacis, nec præiudicare Fisco in participatione pœnæ conuentionalis. Quidquid Alij contra: vsque ad *num.* 141.

EX QVÆST. CVII.
Pars II Artic. XIII.

ARGVMENTVM.

Offensionis appellatione quid veniat, ad effectum, vt ex ea censeatur rupta pax, vel cautio.

INGREDIENDO *Author* secundam partem propositæ quæstionis, præmittit quòd offensio dicitur id omne quod ad iracundiam prouocat, dummodò ex facto competat offenso actio iniuriarũ nomine proprio, & dummodo illud factum sit iniustum, & punibile, licèt ad effectum excusandi à fractura pacis, seù cautionis, sufficiat factum esse de sui natura ad iram prouocans, quamuis non sit punibile. In proposito ergo offensio dicitur omne factum, quòd pœnam meretur: & verò dicitur in Personam quando corpus tangitur, si agatur de odio irrationabili, scilicet quando non Principalis contentus in Instrumento, sed alter, pro quo iste fideiussit, offendat; secùs quando agitur de odio rationabili, scilicet quando ipse Principalis offendit; & ad hoc dicitur in Personam quando tangitur quid cohærens corpori, vt sunt vngues, pili, & capilli: in offensione verò personali, non requiritur tactus corporis: si fuerit ergo promissum *non offendere personaliter*: aut *non offendere Personam*, rumpitur pax, etiam per offensionem quæ non tangat corpus; si verò simpliciter fuerit promissum de *non offendendo*, intrat distinctio odij rationabilis, & irrationabilis; sed si fuerit promissum non offendere per verba generalia, vt putà *directè, & indirectè quocunque modo*, tunc *offensionis* appellatione venit quæcunque offensio siuè in Personam, siué personalis; & ex quacunque offensione pax dicitur rupta: vsque ad *num.* 157.

***

EX

8

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XIV.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an dicatur rupta ex insulta seù offensione non tacto corpore, & sine illius Læsione.

PRo resolutione præsentis Articuli, & propositæ dubitationis,
27 ab *Authore* formantur plures casus: quorum primus est, in insultu cum armis, vel sine; ex quo insultu cum euaginatione armorum dicatur pax rupta, non autem Cautio de non offendendo respectu pœnæ conuentionalis: sed verius, sine percussione, & euaginatione armorum pax, seu cautio de non offendendo dicitur rupta, quando agitur de exigenda pœna ab ipso offendente, se-
28 cus, si ab eius fideiussore. Quod si in pace, seù Cautione fuerit promissum non offendere in Personam, tunc absque dubio per insultum non dicitur contrauentum, nisi realis interceserit percussio, & corpus tangatur.

Secundus, in insultu facto ad do-
29 mum, cum fractione Ostij, vel parietis, animo offendendi, licèt offensio non sequatur; quando domus spectat ad insultatum, vel ratione dominij, vel habitationis.

Tertius, in insultu facto cum *admi-*
30 *natione*, seù adtentatione ex quo pax, seù cautio pariter censetur rupta, quamuis percussio non interuenerit; si fuerit promissum non offendere personaliter: nam generaliter, ad hoc vt dicatur fracta, solus conatus, & attentatio non sufficit.

Quartus, ex proiectione lapidis, teli,
31 chirothecæ, ligni, aut similis rei, rumpitur pax, vt suprà licèt non sequatur vulnus, vel percussio, adhibita distinctione, de qua in præcedenti casu. Et consputatione autem in facie, non dicitur rupta pax, seù cautio, quando fuit promissum non offendere *in personam* secus si *personaliter*.

Quintus, ex violentia ereptione rei
32 de manu alicuius, pax, seù cautio dicitur rupta, quando fuit promissum simpliciter, & sub verbis vniuersalibus, quoad Principalem offendentem, non autem quoad fideiussorem.

Sextus, ex exoneratione archibusij, quamuis offensio inde non sequatur; 33
quinimò etiam ex exoneratione rotæ, dicitur rupta, nisi specialiter fuerit promissum non offendere in personam.

Septimus, ex insultu in vestibus: & quidquid multi dicant, *Author* firmat, 34
pacem, seù cautionem dici ruptam, si agatur de exactione pœnæ contra offendentem; secùs si contra fideiussorem.

Octauus, ex iniuria verbali, si fuit promissum simpliciter non offendere; 35
dummodo verba iniuriosa sint grauia, & talia, quo pœnam mereantur.

Nonus, ex illatione metus deducti ad aliquem actum, ex quo verisimiliter quis 36
potuerit timere; secus, si ex nullo secuto actu, quia non punitur affectus sine aliquo exteriori actu ad delictum ordinato.

Decimus, ex minis, ex quibus pariter rumpitur pax, non autem cautio. Alij 37
contra. Et Alij tenent, rumpi pacem, & cautionem, quando quis alium ad dimicandum inuitat, seù diffidat.

Vndecimus, in mandato ad offendendum dato; ex quo non rumpitur 38
pax, seu cautio, nisi offensio sequatur: extendendo ad consilium, persuasionem, & assistentiam cum armis: si autem offensio secuta fuerit, & tunc etiam non dicitur cautio rupta, quoad pœnam conuentionalem, quando simpliciter fuit promissum non offendere, non adiecta clausula *per se, vel per alios*: vsque ad *n.* 209.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XV.

ARGVMENTVM.

An pax, seù cautio de non offendendo rumpatur ex modica percussione, seù offensione.

VNA fuit opinio Negatiua in pro-
posito dubio; altera verò Affir- 39
matiua, in qua residet *Author*, volens, quod pax, seù cautio rupta dicatur per impulsum, leuem percussionem, & minimam offensam, quando fuit illata dolosè, & malo animo; etiam quod non fuerit

fuerit facta pax, & præstita cautio ex præcedenti leui offensione: & quamuis percussio fuerit facta sine dolore, tumore, aut liuore: & ita practicari, & veritatem esse dicit *Author*: vsque ad *num.*227.

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Artic. XVI.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an censeatur rupta propter Adulterium, vel Stuprum, commissum cum Vxore, vel filia illius, quem quis non offendere promisit.

40 REGVLA est negatiua, quòd scilicet per Adulterium, seù Stuprum, pax, seù Cautio non dicatur rupta, quamuis ad effectum explendæ libidinis mulieri fuerit vis illata, provt contingit in crimine Raptus. Sed si Adulterium fuisset commissum animo vindictæ, dolosè, & in odium iniuriæ; vel pax, seu cautio fuerit præstita ratione
41 præcedentis Adulterij, seù Stupri tunc diceretur rupta. Vtrùm verò quis commiserit causa luxuriæ, seù animo offendendi, & vindicandi, coniecturis probatur: & pro luxuria consideratur pulchritudo mulieris, & amor Adulterantis. Per Sodomiam dixerunt multi semper rumpi: *Author* intrepidè firmat, numquam ruptam præsumi: vsque ad *num.*238.

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Artic. XVII.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an dicatur rupta propter furtum.

42 REGVLARITER non rumpitur per furtum, nec per aliam offensionem illatam in bonis, nisi furtum fiat animo offendendi, vel fuerit inita ex causa furti, aut alterius offensionis illatæ in bonis. Et licèt Alij dicant, furtum in dubio præsumi commissum, non causa lucri, sed causa offendendi; Contrarium secundum *Authorem*, est verius: vsque ad *n.*246.

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Artic. XVIII.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an rupta censeatur per accusationem, seù testificationem in causa Criminali, vel Ciuili.

INDISTNCTE rupta dicitur per falsum testimonium emanatum, tam in causa Criminali, quàm in Ciuili: & quamuis in stipulatione fuerit dictum non rumpi, nisi ex insultu, vulnere, seù morte hominis: Declarando, non rumpi, si falsum testimonium dictum fuerit coactè: ita pariter accusatio falsa rumpit, si veram calumniam contineat: vsque ad *n.*258. 43

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Artic. XIX.

ARGVMENTVM.

Cautio de non offendendo, an dicatur rupta per offensionem factam extra Territorium.

CENSTVR rupta per offensionem illatam extra Territorium: & id firma indubitantur: quidquid Alij contra. Iudex enim loci, vbi offensio facta fuit, offensionem cognoscit, & punit: Iudex verò, coram quo fuit facta promissio de non offendendo, exiget pœnam conuentionalem: vsque ad *numer.*260. 44

***

EX

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XX.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an rupta dicatur ex eo, quod vnus ex Paciscentibus contra conditionem in pace appositam, ingrediatur in Ciuitate, in qua permanet Pars offensa.

REGVLARITER pactum, quod
45 vnus ex Paciscentibus non possit venire, stare, & habitare in sua Ciuitate, & Patria, est nullum, nec attendi debet: prout non valet conditio in pace apposita, quod quis non possit transire ante domum offensi. Alij contra sed, data validitate pacti contra Regulam propositam, adhuc talis Paciscens non prohibetur transire per illam Ciuitatem, vbi non stare se obligauit. Idem
46 est in Bannito ab aliqua Ciuitate, vel Territorio, in quo sit ei prohibitum stare, vel habitare, si enim ibidem transeundo captus fuerit, pœnam non incurrit: extendendo ad Bannitum aggratiatum, sed prohibitum accedere ad Patriam, nisi habita pace. Notabiliter Procurator, licèt cum mandato generalissimo, non præsumitur facultatem habere ad apponendum tales conditiones: vsque ad *n.* 272.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXI.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an censeatur rupta per offensionem secutam inter absentes, quorum nomine fuit facta pax seu præstita cautio, non autem ratificata.

REGVLA sit Negatiua, quod
47 pax non censeatur rupta, nisi fuerit ratificata tam ex parte offendentium, quàm ex parte offensorum, qui tempore pacis eorum nomine fa-

ctæ, erant absentes; etiam quòd offensio fuerit facta ab eo, qui pacem non ratificauit, aut alteri ex principalibus Paciscentibus, vel comprehensis: & 48
si post offensionem factam ratificetur, talis ratificatio non retrotrahitur, ad effectum, vt Offendens dicatur pacem, seù cautionem fregisse, quamuis Notarius fuerit stipulatus pro Absente; & etiam quod vnus ex Paciscentibus, seù pacem ratificantibus offendat Absentem comprehensum antequam ratificet. Alij contra; & cum hac contraria opinione transit *Author*, qui & istam tuetur, & defendit.

Non procedit Regula, quando pax fuit facta in iudicio, & coram Iudice, non includit pœnam fisco applicandam, & ad effectum, de quo agitur, non solùm sufficit expressa verbis, sed etiam tacita ratificatio, sola scientia Absentium. Et licèt pet offensionem 49
secutam inter Absentes, qui nondum pacem ratificarunt, non videatur rupta quoad pœnam, quæ debetur ipsi Absenti, non tamen sic est quoad pœnam Paciscenti debitam, eò magis quando Principalis expressè promisit de obseruantia Absentium, vel pro istis de rato; quia iste promittens tenetur absque alia interpellatione, ratificationem procurare, li- 50
cet, si fecerit diligentiam, seù sit adiecta clausula, se facturum, & curaturum, ad plus non obligetur, secus si adsit clausula cum effectu, vel ità quod faciendo possibile non excusetur: vsque ad *n.* 317.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXII.

ARGVMENTVM.

Pax; seù Cautio de non offendendo, an censeatur rupta per offensionem factam fratri, seù Consanguineo Paciscentis, aut illius quem quis non offendere promisit.

OPINIONES in præsenti Arti-
culo adeò sunt contrariæ, vt ve- 51
ritas difficillimè cognosci possit: Quare cùm *Author*, in hac contrarietate distinguendum

guendum est; quod aut offensa facta fratri, vel consanguineo pacem facientis, & quem quis non offendere promisit, fuit facta ex causa præcedentis inimicitiæ, propter quam fuit inita pax, & præstita cautio: & tunc per talem offensam dicitur paci, & cautioni contrauentum: secùs, si ex alia causa offensio secuta fuerit, nisi manifestè appareret quod quis offendisset, animo Principalem offendendi: vsque ad *num.* 321.

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Art. XXIII.

ARGVMENTVM.

Pax, seu Cautio de non offendendo pro se, & consanguineis, an comprehendat consanguineos vtrinque coniunctos.

52 REGVLA proponitur, quod Cautio sub pœna præstita pro se, & consanguineis, non comprehendat actiuè, aut passiuè consanguineos vtriusque Partis, & propterea non dicitur illi contrauentum per offensionem factam ab vno ex dictis consanguineis, vtrique Parti coniuncto, & attinenti in eodem gradu: ea ratione, quia in pœnalibus & odiosis, casus mixtus non comprehenditur sub sim-
53 plici. Et licèt Alij contrà; *Author*, id tamquam Regulam verissimam & firmissimam tuetur. Eámque ampliando extendit, quamuis coniunctus vtrique Parti, esset magis vni Parti beneuolus, quàm alteri: istud enim non consideratur: & quamuis coniuctio in pari gradu respectu vnius Partis, esset Agnationis: alterius verò, Cognationis. Declara tamen, nisi
54 inter Paciscentes, & Promittentes adessent alij Coniuncti, seu Consanguinei, præter illos ex vtraque parte coniunctos, tunc enim in tali promissione & cautione comprehenderentur, ad hoc vt verba aliquid operarentur, & ne cautio redderetur frustratoria: vsque ad *numer.* 329.

***

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Artic. XXIV.

ARGVMENTVM.

Pax, seu promissio de non offendendo, an comprehendat Consanguineos, Affines, seu adhærentes futuros, tam actiuè, quàm passiuè; ad effectum, vt propter contrauentionem locus sit pœnæ conuentionali.

CONTROVERSVS est propositus Articulus: multi enim voluerunt, quod non rumpatur pax, seu cautio per illos Coniunctos, qui tempore stipulationis non erant in rerum natura. Alij verò contrarium tenent. *Author* nihil de proprio subiungit, sed indecisum relinquit. Quare in contingentia facti, pro vtraque opinione vide, & considera consulendo alios: vsque ad *n.* 336. 55

EX QVÆST. CVII.
Pars II. Artic. XXV.

ARGVMENTVM.

Pax, seu Cautio de non offendendo, an censeatur rupta per offensionem factam filio, seu vxori Paciscentis.

CONTRARIANTIBVS DD. opinionibus in præsenti Articulo, pro resolutione *Author* distinguit: quod si quis promisit non offendere aliquem in Personam, seu personaliter tunc non censeatur Cautioni contrauentum si offendat filium, aut vxorem illius, quem sic non offendere non promisit: si verò promiserit non offendere simpliciter, & offensio fuerit facta filio, vel vxori Paciscentis ex causa præcedentis inimicitiæ, propter quam fuit inita pax, vel data Cautio, tunc censeatur rupta 56

Pax, aut promissio actiuè non comprehendit filios Paciscentis, & propterea pa- 57
ciscens non tenetur ad pœnam, si eius filius alterum Paciscentem offenderit, nisi offensionis fuerit particeps, & culpabilis, saltèm sciendo & non prohibendo: quinimò Alij volunt simpliciter, quod per offensam factam à filio Paciscentis, non rumpatur: vsque ad *n.* 346.

EX

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXVI.

ARGVMENTVM.

An pax, seù cautio de non offendendo rupta censeatur per offensionem factam à filiis spurius, vel spiritualibus, vel adoptiuis.

RESOLVTIVE in hoc articulo pax, seù promissio de non offendendo facta, seù præstita pro se, & filiis non comprehendit filios spurios, seù Bastardos 58 tàm actiuè, quàm passiuè, nisi aut fuerint legitimati, aut fuit genericè promissum pro suis. Sic pariter non comprehendit filios adoptiuos, aut spirituales, tàm actiuè, quàm passiuè: & ideò Pater non potest cogi cautionem præstare pro filio spurio, etiam quod statutum mandaret, Patrem teneri dare securitatem pro 59 filiis, nisi contrarium Iudici visum, fuerit, vsque ad *n.* 352.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXVII.

ARGVMENTVM.

Pax, seù cautio de non offendendo, an, & quando comprehendat hæredes, tàm actiuè, quàm passiuè? & an per offensam factam cadaueri, pax dicatur rupta.

FACIENS pacem cum aliquo, eúmque promittens non offende- 60 re, non censetur promisisse non offendere eius hæredem; & sic ex parte stipulatoris hæredes non veniunt passiuè, nec actiuè, nisi expresè dicatur, sed si quis simpliciter promiserit *pro se, & hæredibus*, comprehenduntur sub ista promissione non solùm hæredes sui, sed etiam extranei: si verò fuerit promissum *pro se, & hæredibus consanguineis, vel affinibus*, absque copula, seu puncto inter verbum, 61 *hæredibus*, & verbum, *consanguineis*, tunc non veniunt extranei, quia verbum *hæredibus* restringitur, & qualificatur à subsequentibus verbis, *consanguineis, vel affinibus*. Quod maximè notandum esse dicit *Author*, vsque ad *num.* 357.

Quando verò hæres ignorauit pacem 62 factam à defuncto, seù promissionem; tunc non incurrit pœnam, licèt teneatur ex contrauentione, & offensione facta per promissorem viuentem, quamquam ante mortem non fuerit de tali pœna conuentus; pœna enim conuentionalis transit in hæredes, licèt non transeat pœna legalis. Si verò fuerit facta mentio hæredum actiuè, & passiuè, & vnus ex pluribus hæredibus stipulatoris fuerit offensus à principali, pœna conuentionalis in stipulatione contenta, tota, & in solidum applicatur ipsi offenso: sed si vnus ex hæredibus offendat, & contraueniat, pœna committitur contra omnes proportione hæreditaria, & contra omnes per offensum agi potest pro rata, reseruato 63 hæredibus non offendentibus regressu contra offendentem. Quando verò offensio fuit facta per vnum ex hæredibus, in casu, quo alij cohæredes incurrerent periculum fractæ pacis, vt putà stante pacto, quod pax rupta ab vno, censeatur rupta ab omnibus, tunc etiam solus offendens debet teneri ad pœnam, non cohæredes; quia talis iniqua conditio per vnum aliis non consentientibus inferri non potest.

Non committitur, nec in solidum, nec in totum, sed tantùm proportione contrá facientis, contra hæredem offendentem, & pro rata eius, qui fuit offensus, quando pax pœnali stipulatione vallata, non ex voluntate, sed ex necessitate, compellente statuto, seù edicto, fuerit inita. Et licèt 64 hæredes quàm actiuè, quàm passiuè veniant in promissione de non offendendo, quando de illis est expressa facta mentio, hoc intelligendum est de primis hæredibus: istóque casu *hæredis* appellatione venit *bonorum Possessor*, vel alter qui loco hæredis subrogetur, vsque ad *n.* 368.

Iniuria facta cadaueri, non censetur fa- 65 cta defuncto, sed bene dicitur facta hæredibus, quibus propterea competit actio iniuriarum. Iste articulus est valde dubius, & controuersus: *Author* non decidit, & relinquit considerandum: quare ad DD. per eum citatos recurrere poteris, vsque ad *num.* 369.

***

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Art. XXVIII.

ARGVMENTVM.

Pax, seu cautio de non offendendo, an dicatur rupta per offensionem factam adhærenti principalis paciscentis, quando de adhærentibus specialis mentio facta non fuit.

VNA fuit opinio negatiua in proposito articulo; scilicet quod pœnalis
66 promissio de non offendendo facta cum Principali, non extendetur ad Adhærentes, nisi de istis expressa fiat mentio; & cum hac opinione transit *Author*, quando pax fuit concepta in personam; secus, si in rem: vel quando Paciscentibus non prodesset sine Adhærentibus, vsque ad *num.* 379.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXIX.

ARGVMENTVM.

Pax, seu cautio de non offendendo, an comprehendat fœminas tam actiuè, quàm passiuè.

FOEMINÆ non veniunt in cautione de non offendẽdo tam actiuè, quàm
67 passiuè, appellatione *consanguineorum*, vel *coniunctorum:* & propterea illi non dicitur contrauentum per offensam factã à fœmina, vel fœminæ. Alij contrà: sed retenta prima opinione, quæ secundùm *Authorem* est verior, & rationabilior.

68 Illam amplia, vt procedat, etiam in coniunctis, & consanguineis ex latere mulieris: nisi cautio esset præstita *pro se, & Affinibus*, quia verbum *Affinis* est commune, & comprehendit sub se masculinum, & fœmininum: quapropter fœminæ venirent actiuè: sic & quando de fœminis fuerit facta mentio: & isto casu, nec fœmina restituitur aduersùs hanc pœnam conuentionalem, vsque ad *num.* 387.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXX.

ARGVMENTVM.

Pax, an censeatur rupta per offensionem factam socio itineris.

REGVLARITER censetur rupta per offensionem factam socio itineris, quamuis principaliter offensus 69
principalis paciscens non esset; in tantum, vt si socius, vel principalis paciscens offendat pro defensione sui consocij, pacem rumpere non dicatur: & è contra, pax censeatur rupta, etiam per alium extraneum, qui ad rumpendum pacem associat ipsum principalem paciscentem, seù alio modo opem, & auxilium præstat: eóque magis, si offensio facta fuerit in contumeliam, & iniuriam dicti principalis: & hæc quoad pœnam Iuris communis, non autem quoad pœnam conuentionalem, vsque ad *n.* 395.

EX QVÆST. CVII.

Pars II. Artic. XXXI.

ARGVMENTVM.

Pax, seù cautio de non offendendo, an dicatur fauorabilis, vel odiosa, an latam, vel strictam recipiat interpretationem, & quomodo in dubio iudicandum sit in pœna fractæ pacis.

PAx, & pacis materia sic in genere consideratа, fauorabilis reputatur à 70
principio, hoc est antequam fiat, & præstetur; secus autem post, & ideo in dubio nec pacem esse fractam, nec cautioni contrauentum iudicandum est; illarúmque verba, quando agitur ad pœnam, interpretanda tunc propriè, & strictè: & ideo argumentum de pace ad cautionem de non offendendo, quando agitur de illius fractione & contrauentione, valet tantum negatiuè.

***

EX

EX QVÆST. CVII. Pars III. Art. XXXII.

ARGVMENTVM.

Pax, seù Cautio de non offendendo, an rupta dicatur per offensionem illatam ex noua causa.

REGVLA proponitur negatiua *in hac tertia* quæstionis *parte*; quod
71 scilicet pax, seu cautio de non offendendo non censeatur rupta per offensionem secutam ex noua causa: quinimo rumpenti pacem, & cautionem, eadem pax rumpi possit, quamuis offensio proueniat non ab ipso priùs offenso, sed ab alio comprehenso. Extendendo, quod Treuga non dicatur rupta, nisi ex offensione illata ex eadem causa, pro qua fuit facta, & pax rumpi potest ex causa superueniente, non obstante Iuramento, & Clausula, *Rato manente pacto*: & ideò primus con-
72 traueniens quoties rumpit, toties tenetur; non autem secundus offendens: sed si primus contraueniens soluat pœnam pacis ruptæ parti offensæ, illamque offensa pars sponte recipiat, tunc contractus remanet firmus, & censetur ratificatus; ita vt non possit pœnam recipiens primum offendentem reoffendere, & sic habeat electionem, aut contraueniendi, aut pœnam exigendi. Quod si primus contraueniens soluerit pœnam fisco, secundus offendens non obligatur, quia solutio vni facta, al-
73 teri prodesse non potest; licèt iste secundus offendens non euitet pœnas Iuris, vel statutarias: præcipuè si offendat ex interuallo. Et licèt multi dicant, quod secundus contraueniens teneatur ad pœnam conuentionalem, si illa fuerit applicata fisco; attamen contrarium est verius, &
74 cum ista contraria opinione residet *Author*: quando pœna non in totum est applicata fisco, & nihilominus offensus reoffendat, non poterit exigere pœnam ab offendente, cum pœnæ prædictæ mutua compensatione tollantur, vsque ad *num.* 432.

***

EX QVÆST. CVII. Pars III. Art. XXXIII.

ARGVMENTVM.

Quomodo probetur, seu præsumatur noua causa offensionis ad excludendum fracturam Pacis, seu Cautionis de non offendendo.

IN dubio noua causa præsumitur; quando constat de aliquo facto, 75
aut dicto offensi, ex quo offendens ad offendendum moueri potuerit: & ad hoc probandum sufficiunt coniecturæ, & satis est semiplena probatio per vnum testem, & probatur ex publica voce, & fama, per testes de auditu, & iuramentum ipsius offendentis, præsuppositio aliquo facto, ex quo offensio noua potuerit verisimiliter prouenire. Probatur etiam ex confessione extraiudiciali ipsius offensi, præsumitur ex diuturnitate temporis, eóque magis, si interim paciscentes amicabiliter cõuersati fuerint. Illúdque nota, quod ex duobus 76
rixantibus, & se inuicem offendentibus, si nesciatur quis fuerit primus aggressor, & fractor pacis, nemo punitur, quando agitur solummodo de pœna applicanda parti secus, si fisco; quia tunc ambo sunt condemnandi: licèt alij contra, & forsan verius, vsque ad *n.* 459.

EX QVÆST. CVII. Pars III. Artic. XXXIV.

ARGVMENTVM.

Causa noua, qualis debeat esse ad hoc vt ex ea offendens excusetur à pœna pacis, sed cautionis ruptæ.

VT quis excusetur à pœna pacis, seu cautionis ruptæ, sufficit quælibet 77
offendendi noua causa licèt leuis, & iniusta: & iusta dicitur, quæ prouenit ex facto aduersarij, etiam quod factum non sit illicitum, & punibile: ea esse potest, quæ nascitur ex rumore populi: inducitur ex relatione alicuius viri fide digni: licèt causa noua procurata, & affectata per offendentem, ipsum non excusat à pœna fractæ pacis.

Et quia ista noua causa oritur à quoli-
bet casu verisimiliter ad iracondiam pro- 78
uocante, ex Adulterio vtique primo loco

79 oriri, haud dubium est. Secundò, Contingit ex eo, quod ex agro offendentis bouem expulerat. Tertiò, Quando quis immoderatè percusserit propriam Vxorem, Cõ-
80 sanguineam offendentis. Quartò, In eo, qui suscepit curam, aut defensionem alicuius inimici Offendentis aduersarij, vel continuò cõuersantis cum inimicis. Quintò, In eo qui offendit illum, à quo fuit mentitus, quando mentita fuerit punibilis, & per eam inferatur iniuria. Sextò, In eo, cui
81 fuit dictum, *fur*; quia licèt iniuriatus tali verbo vltra mentitam dicatur excedere, non tamen excessus facit incurrere pœnã conuentionalem. Septimò, in eo qui offendit alterum, ex quo vnà cum Curia fuerit
82 ingressus domum ipsius Offendentis ad inquirendum Bannitos, vel induxerit Massarium ad perquirendum res furatas. Octauò, Generaliter in Offendentibus, à quibus offendens fuit insultatus, & maximè cum armis. Nonò, In eo qui in aliena domo contra Domini voluntatem tripudium impediuit, citharœdo comminando, vt so-
83 nare desisteret. Decimò, In eo, qui alium offenderet ex graui suspicione, non tamen ad aliquem actum perducta; Is enim excusatur à pœna cõuentionali: exemplificando in illo, qui vidit aduersarium contra se venientem, armis euaginatis, præparatum
84 ad inferendam iniuriam. Vndecimò, Generaliter in verbis altercatoriis, iniuriosis, & diffamatoriis inter offensum, & offendentem: & illis quidem probatis, etiam absente offensore. Duodecimò, In eo, qui fuit offensus, quia in publico Consilio alteri dixerit, quod erat subditus maleuolus, & inobediens suo Principi. Decimo-tertiò, In eo, qui offendit minantem: ex minis enim de occidendo iusta causa oritur of-
85 fendendi. Decimo-quartò, In offendente illum, qui cùm promisisset fundum nomine offensoris emere, proprio nomine stipulatus est: vel in eo qui promisit fideiubere, & fidem non seruauit. Decimo-quintò, In eo, qui alium offendit in bonis propriis damnum dantem, quamuis cum modica iactura. Decimo-Sextò, In eo, qui alteri di-
86 xit, *Se mi ho da arrouinare, mi rouinarò per qualche cosa*, & sic dicenti respondit, *piglia la come vuoi*. Decimo-septimò, In eo, qui corã hominũ multitudine petiit ab altero indiscretè aliquod prætensum debitũ inci-
87 uilibus & impertinentibus verbis. Decimo-octauò, In eo, qui alterum cubitali *vrtata* seu impulsu affecit, etiam in pallio, animo iniuriandi. Alios similes casus reperies penès Mascard. *de prob. conclus.* 1157. *n.* 66. *& seq.* sic *Author*: vsque ad *n.* 496.

EX QVÆST. CVII.
Pars III. Artic. XXXV.

ARGVMENTVM.

De validitate, & interpretatione Statutorum, seù Constitutionum volentium non posse allegari nouam causam in Pace, seu Cautione de non offendendo rupta.

NOVA causa per Offendentem allegari non potest ad se excusandum 88
à pœna fractæ pacis, seù cautionis, quando talis allegatio prohibetur ab aliqua Constitutione, prout in Statu Ecclesiastico ex *Bulla* Pij IV. 128. *Bullar. p.* 1. & Pij V. 10. *Bullar. p.* 2. *fol.* 933. seù quando adesset pactum de non offendendo, etiam ex noua causa; vel quod offendens non possit se excusare ex vlla causa.

Hæc tamen non procedunt, quando noua causa esset iusta, & plenè probata, 89
præcipuè vbi pœnæ conuentionales applicantur Fisco: Sed in hoc vix datur Limitationi locus, præter quam in duobus casibus. *Primò*, quando fiscus plenè probasset per Testes ad Curiæ informationes examinatos, ipsam nouam causam. *Secundò*, quando quis vellet probare nouam 90
causam dependentem à necessaria defensione. In aliis verò casibus, bonum erit habere Iudicem fauorabilem, qui in dubio non errabit, si nouæ causæ iustæ probationem admiserit. Huiusmodi tamen constitu- 91
tiones, & Statuta non habent locum, nisi in principalibus Paciscentibus, & tamquam odiosæ non extenduntur, sed penitùs restringi debent: vsque ad *numer. fin.* 518.

EX QVÆST. CVIII.

ARGVMENTVM.

De prohibitione delationis armorum, & illius pœna, quando habeat locum, & quando non.

REGVLA sit, quod armorum delatio omni iure prohibita est, & hodie 1
sunt attẽdẽda Statuta, & bãniměta locorũ. Notabiliter verò mulieres cõprehenduntur sub prohibitione generali delationis armorũ, & forenses ligantur pœna statutaria illius

illius loci, vbi cum armis reperti fuerint, dummodò pœna non sit vltimi supplicij,
2 seu Triremium; quia tunc non comprehenderentur ob verisimilem ignorantiam adeò rigorosæ pœnæ; imò nec viatores venientes ad forum, cùm requiratur certioratio facienda à custodibus Portarum, & ab Hospitibus; qui banna generalia in præmissis debent tenere affixa in eorum hospitiis vsque ad *n.* 21.

Extendendo Regulam; multò magis
3 prohibita est delatio armorum Clericis nisi in itinere, & per loca periculosa. An verò isti Clerici pro delatione armorum comprehendantur in bannimentis laicorum? *Author* remissiuè loquitur: sed hoc vnum dicit absolutum, Clericum arma portantem, à Iudice Ecclesiastico puniendum, licet ei possint Birruarij sæculares
4 arma auferre, & lucrifacere. Prohibetur quoque Nobilibus, Diuitibus, & Militibus, præterquam in expeditione, vel nisi sint veri milites, prout sunt equites. Prohibetur Rusticis, quibus tamen non est interdictum deferre arma ruralia, non principaliter ad offendendum destinata. Quinimò nec etiam licet arma fabricare, vendere, vel mercari, licèt de consuetudine non seruetur, nisi in archibusetis ex
5 *constit. Pij IV.* quæ à Pio V. extenditur etiam ad pugiones, & alia arma breuioris mensuræ tribus palmis. Est etiam prohibitum retinere arma domi: sed licèt statuta prohibeant retentionem armorũ, sunt intelligenda de retinentibus iure dominij, & scienter: multóque minùs licet deferre arma vbi ius dicitur, sui in congregatione, & hominum conuentu, ac in Palatio Principis, eóque minùs arma venenata. Et in proposito ad hoc, vt habeat
6 locum pœna delationis paruorum archibusiorum, necesse est, vt probetur per fiscum paruitas mensuræ, nec sufficiunt testes deponentes per verbum *circa*. Bulla verò Pij V. comprehendit Barones, eorum castra, & loca; & ideò iidem Barones subditis eorum licentiam deferendi nequeunt impartire, & iudex deprehensum cum armis in flagranti, potest absque processu de facto punire; non enim licet quodcunque genus armorum deferre, adeo vt si quis cum gladio ad incidendum panem, seu temperandum calamos apto quemquam vulnerauerit, pœna delationis armorum puniatur, & ità de consuetudine
7 seruatur. Permissum est tamen deferre arma ligata transeundo, siuè itinerando per Ciuitatem, *Licet etiam* deferre saxa, quæ & si veniant appellatione armorum, non tamen propriè arma sunt. Punitur verò, qui defert baculum aptum ad nocendum, præcipuè de nocte, & in Statu 8
Ecclesiæ vigore bannimentorũ generaliũ.

Officialis, & eius familia possunt arma
deferre dummodò prædictus Officialis 9
habeat merum imperium. Extende ad familiam Episcoporum, Officiales, famulos, & familiares Inquisitorum. Non sic quando Officialis syndicatur, quia tunc & ipse, & eius familiæ delatio interdicitur.
Magistratibus Ciuitatis, seu Vniuersitatis 10
habentibus aliquam iurisdictionem, sicut & familiæ eorum, delatio non prohibetur; sic & deferenti extra Ciuitatem itineris causa, vt sunt mercatores, siuè pedestre, siuè equestre iter faciant; nec attendi debet, quod huiusmodi Deferentes alibi quiescerent modico tempore, cùm non valeat Statutum prohibens delationem armorum ad sui defensionem per loca periculosa, siue iter sit longum, siuè etiam brèue: & licèt multi dicant, dicta arma debere ligari ad sellam equi, & in nauigatione super vehiculo: de Consuetudine ta- 11
men, itinerantes, & nauigantes impunè deferunt arma, etiam non ligata, & quamuis per Vrbes transeant. Item non puniuntur de Iure Communi Deferentes arma ex causa venationis: & licèt de Iure licentia delationis armorum non possit concedi nisi à Principe; ex causa tamen 12
etiam Præsides prouinciarum hanc licentiam dare posse vsu communi receptum est: sed in Statu Ecclesiastico etiam Legati de Latere licentiam deferendi archibuseta non impartiuntur. Ille autem, qui defert arma contra Statuta, & bannimenta, sed 13
cum illis non fuit apprehensus, puniri non potest, nisi facultatem concedant procedendi per inquisitionem, vel verba respiciant officium Iudicis. Simile dicitur de statuto puniente mulierem inuentam cum *perlis* seu *margaritis* contra Dragmati- 14
cam; vel inuentum de nocte sine lumine, vel in ludo: non enim puniuntur, nisi in flagranti reperiantur, & capiantur. Et licèt videatur ex dicto Birruariorum quis conuinci in proposito, præcipuè quando agitur de leui pœna, id sanè intelligitur quando Birruarij essent plures, vel essent denunciatores, præcisè deputati ad perquirendum delicta, nec non iurati. Sed si isti inueniant 15
vnum ensem, seu gladium in terra proiectum, penès plures ibidẽ existẽtes, omnésque negent proiecisse, licèt aliqui dixerint posse Iudicẽ ab omnibus pœnã exigere in solidũ, & vno soluente alios liberari quando gladius staret æqualiter propè omnes;

secùs si magis vni, quàm alteri propinquus esset, quia tunc ille vnicus puniretur; verior tamen isto casu est opinio, quod ratione incertitudinis nemo teneatur, & omnes extra ordinem vix puniantur. Et in præmissis hoc vnum nota, necesse esse, arma non distare ab homine vltra sex pedes. vsque ad *n.* 166. 16

Si quis autem vulnerauerit cum armis, non punietur duplici pœna delationis armorum, & vulneris; sed tantùm vulneris, cum qua delationis pœna confunditur, dummodò non deferantur contra prohibitionem, & pœna vulneris sit maior. Inuentus autem cum armis, & confessus pluries detulisse, vnica pœna punitur, & sub fideiussoribus relaxatur, nisi pro armis veniret imponenda pœna corporalis: vsque ad *n.* 172. 17 18

EX QVÆST. CIX.

Pars I.

ARGVMENTVM.

De ludo, & illius pœna, quando habeat locum in genere.

AVTHOR præmissa detestatione ludi, Regulam cõstituit negatiuam, scilicet quod omnis ludus in pecunia, hoc est, vbi agitur de lucrando, vel perdendo pecuniam, de iure prohibitus sit, præcipuè tàm Clericis, quàm Laicis ludus aleārum, quem fuisse inuentum à quodam Milite *Alea* nuncupato in bello Troiano testatur. Aleæ ergo ludus in iure, & à D. D. genericè sumitur pro omni ludo prohibito; præsertim si in fortuna consistat: in specie verò dicitur ille, qui vulgò nuncupatur *à tauolliero*. Hinc Aleæ ludum habere mixturam ingenij, & fortunæ; fortunæ scilicet respectu *Taxillorum*, ingenij verò respectu inductionis *Tabularum*. Ludus *Chartarum* simpliciter prohibetur, nisi detur sola industria, & non fortuna: sic, & ludus Tabularum, eóque magis Taxillorum, vel *azzardi*, qui verè est sine tabulis, & vocatur *à dadi*, quem Angel. *de malefic.* à Diabolo inuentum fuisse testatur. Non licet ludere quocunque ludo mixto ingenio, & fortuna, neque in priuatis, neque in publicis domibus, nec etiam facere ad partem, seù societatem cum Lusore: nec valet Statutum, vel Consuetudo ludi permissiua: dicitur crimen, ex quo arbitraria pœna imponitur; de Iure enim Canonico Laici lusores excommunicantur, & ab Episcopo extra ordinem puniuntur, præsertim si fraus aliqua, aut dolus interueniat, quo casu Lusor tenetur crimine furti, & falsitatis, locúmque habet siuè falsitas sit latens, vt putà, si Taxilli sint plumbati, aurati intus; siuè etiam patens, vt quia habeant maiora, siue minora puncta: datur inde repetitio pecuniarum ludo amissarum: & Statutum contrarium imponens, non esset attendendum. Extende ad compellentem aliquem, vt ludat siuè compellens fuerit lusor ipse, siue ludum tenens; & siue fiat per vim, siuè etiam blanditiis. Sed licèt ludi punitio videatur spectare ad Episcopum, verius est, crimen esse mixti fori, quinimo iurisdictio procedendi criminaliter, neque ad Laicum, neque ad Ecclesiasticum, sed tantùm spectat ad eum cui datur à Statuto: vsque ad *n.* 81. 1 2 3 4 5 6 7

Ludentes cum filio familias, Monacho, Institore, aut simili Persona, non lucrifaciunt, sed furtum committunt, & id censetur prohibitum etiam de Iure diuino. Quod si ludatur non auaritiæ, & cupiditatis, sed tantùm recreationis gratia, tàm Laicis, quàm Clericis est permissum, dummodo gratis ludatur, non interueniente pecunia: vsque ad *n.* 91. 8

EX QVÆST. CIX.

Pars II.

ARGVMENTVM.

De Clericis Lusoribus, & eorum pœnis.

REGVLARITER de Iure Canonico Clerici perseuerantes in ludo Alearum si sint Presbyteri, siuè Diaconi, deponuntur: Inferiores excommunicantur, sed verius est talem pœnam esse arbitrariam, eóque fortiùs prohibetur Religiosis, & Regularibus, ac etiam Clericis sæcularibus, præsertim publicè cum Mulieribus, Iuuenibus, & formosis, dummodò sint Lusores consueti, nec ludant recreationis gratia. Statuta verò, & bannimenta Laicorum in proposito Clericos non comprehendunt, quamuis illis essent fauorabilia: vsque ad *numerum* 105. 9 10

***

EX

EX QVÆST. CIX.

Pars III.

ARGVMENTVM.

De Ludo licito, & permisso.

REGVLARITER ludus virtutis consistens in corporis exercitatione, non prohibetur etiam interueniente pecunia: valet legatum relictum ad ludos honestos: nec isti ludi improbantur, si præter corporis exercitationem consistant in ingenio; quia licèt non valeat contractus ex ludo, valet tamen sponsio, & valet mutuum ex ludo permisso, & non prohibito, provt est ludus *pilæ* & *scauorum*, qui permittitur etiã Clericis, dummodo non distrahantur à diuinis. Quando verò luditur pro conuiuio, vel comedendi causa, tunc ludus etiam in mera fortuna consistens, non prohibetur, nisi interueniat blasphemia, & excedatur in quantitate; & dummodo conuiuia inter Clericos non transeant in dissolutionem, vel ludatur in Ecclesia, aut inter Lusores sit magna disparitas: quinimò magna quantitas amissa in ludo permisso, potest repeti, nisi vigeat consuetudo in contrarium: vsque ad *num.* 137.

EX QVÆST. CIX.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

De retinente ludum domi, quando, & quas pœnas incurrat.

RETINENS ludum domi, vltrà Domus publicationem, & quod possit ei impunè damnum, & iniuriam inferri, videtur etiam alia extraordinaria pœna puniendus: quinimò siquis verberauerit illum nulla pœna puniatur: & furtum illi factum, impunitum remanet, nec requiritur per processum criminalem. Ampliando ad retinentem ludum pilæ, in quo magna pecuniarum quantitas ludatur: & contra simili retinenti denegata actione ciuili ad restitutionem, datur tantùm rei vindicatio. Puniuntur etiam accommodantes taxillos, ementes, & vendentes Barattarias, dummodo ludus retineatur lucri, & emolumenti causa, & dummodo damnum, furtum, & iniuria inferantur tempore ludi, & Aleatori, & in rebus ipsius Aleatoris: quia fallit quando vnus ex ludentibus amiserit aliquam quantitatem pecuniæ, nam ipsi non licet perditam rem furari. Et in ludo permisso, provt est colluctatio, pilâ aut simili, si vnus ex colluforibus alterum Colluforem, siue etiam extraneum spectatorem, seù Transeuntem, casu, & sine dolo offenderit, non punitur: vsque ad *num.* 175.

EX QVÆST. CIX.

Pars V.

ARGVMENTVM.

De repetitione pecuniæ amissæ in ludo.

REGVLARITER datur victo contra Vincentem actio repetitionis pecuniæ deperditæ, quando seruus, vel filius familias illam amisit, etiam in ludo permisso, datur enim Domino, & Parentibus repetitio. Acquisita in ludo non tribuunt Acquirenti, nec titulum, nec bonam fidem: non transferunt dominium, & dicuntur acquisita ex maleficio. Filij possunt reuocare alienationem eorum, quæ Pater amisit in ludo, vsque ad Legitimam ipsis debitam; & bona Vincentis sunt tacitè hypothecata ad Fauorem eius, qui ad pecuniam amissam repetendam actionem habet. In præmissa repetitione non datur præscriptio: quamuis Alij contra. Regula tamen non procedit in ludæis inter se ipsos Ludentes, etiam in ludo prohibendo, cum sit inter ipsos attendenda lex Mosaïca: provt non datur repetitio in ludo permisso; quinimò competit actio ad consecutionem: vsque ad *numer.* 203.

***

EX QVÆST. CIX.
Pars VI.

ARGVMENTVM.

De validitate, seù nullitate contractus, & Mutui, inter Collusores, seù aliàs occasione ludi celebrati.

18 CONTRACTVS, & promissiones factæ in ludo prohibito, vel occasione ludi, non valent, extendendo ad sponsiones, vulgò *Commissas*. nec non ad fideiussionem: quinimo nec permittitur venditio, & dicitur inualida per Lusorem Collusori facta; & iste Vendens in ludo non tenetur de euictione, si venditio fuerit facta ex ludo prohibito: imò nec valet transactio, in qua aliquid detur, vel promittatur; nec
19 confirmatur iuramento. Non valet Mutuum factùm Lusori, & mutuanti denegatur actio pro illius repetitione, quando is, qui mutuauit, erat ille, qui in domo sua ludum retinebat, quamuis fuisset Nobilis, nec retineret lucri causa: non valet etiam Mutuum factum Lusori à Collusore, & isti mutuantes, vt participes ludi puniuntur. Valet sponsio de non ludendo: & circumscripta consue-
20 tudine, quæ seruanda est vbi viget, quando mutuans pecuniam sciebat, quòd illam accipiens erat lusiuus, mutuum non valet, nec parit actionem, nisi pecunia mutuata sit in esse, & per Lusorem non amissa: si verò ignorabat, datur semper repetitio: vsque ad *n.* 228.

EX QVÆST. CX.
Cap. I.

ARGVMENTVM.

Pœna Incendij quæ sit? quando habeat locum? & quando etiam ex incendio quis teneatur ad damna, & interesse, damnum passo.

1 INCENDII materiam, amplam, & profundam appellat *Author*, nodosam, & latissimam existimat: dicit Incendium crimen grauissimum, & contingere posse ex proposito, & data opera, casu, & nulla præcedente culpa, vel culpa præcedente: culpa consideratur quandóque in omittendo, quandóque in committendo. Incendium oriri potest quandóque ab intra, quandóque ab extra.

His ergo præmissis, quærendo quæ 2
sit pœna Incendij? si fuerit commissum à Laïco, de iure Ciuili, quandóque traditur bestiis, & potest comburi: quandóque decapitatur, quandóque deportatur, & quandóque etiam relegatur, secundùm qualitatem Incendij, & personarum. Sed ab hoc, vt pœna locum habeat, debet constare de dolo, 3
saltèm ex indiciis, & coniecturis. Tenetur Incendiarius ad omnia damna, & interesse, & contra eum datur actio ex edicto Prætoris, actio furti, actio legis Aquiliæ, quæ quandóque dantur ad simplum, quandóque ad duplum: venit interesse extrinsecum: datur iuramentum in litem: & ex eodem processu Iudex condemnare potest ad pœnam fisco applicandam, & ad damni emendationem. De Iure autem Canonico, Clericus pro qualitate criminis punitur, & si excessus esset magnus, ex magno 4
incendio dolo commisso, posset degradari; si verò non magnum, deponi à beneficio; si paruum, suspendi ab officio, & aliàs arbitrio Iudicis puniri: vsq; ad *n.* 16.

Quando Incendium fuerit commis- 5
sum culpa, & negligentia inhabitantium, isti aut fustibus cæduntur, aut seuera interlocutione & comminatione fustium Iudex dimittit arbitraria pœna correctos, & vltra tenentur ad damnum, & interesse: si fuerit commissum lata culpa, tenentur ad pœnam corporalem, & simul ad damna; si ex leui, pecuniariè plectuntur: quod si leuissima, non tenentur criminaliter, sed agi potest ex *Lege Aquilia* ad interesse si fuit in committendo, secus si in omittendo: & in omittendo dicitur quando nullum præcessit factum omittentis, quia si præcessisset, teneretur ad interesse: eò ma- 6
gis si res incendio consumpta retineretur ex contractu, in quo de sui natura veniat leuissima culpa præstanda, prout in Commodato, vel alio, qui fit, & celebratur in vnius tantùm gratiam. Idem in Conductore in illis casibus, in quibus contingat illum teneri de leuissima culpa: & hinc de ista tenetur ille, cui habitatio gratis à Domino concessa est: vel 7
is, qui non gratis, sed mercede data, & præmio, habet custodiam rei combustæ,

vel

vel diligentissimam promisisset custodiam ratione officij.

De Incendio proueniente ex casu
8 fortuito, absque dubio habitator, nec criminaliter, nec ciuiliter obligatur: & erit casus fortuitus, quãdo ortum habuit in loco, vbi ignis accendi non consueuerat, vel quando à fulgure causatum fuit, vel vi ventorum, seù tempestate exorta, ignis accenditur: vsque ad *n.* 40.

EX QVÆST. CX. Cap. II.

ARGVMENTVM.

Incendium quando præsumatur ortum culpâ Inhabitantium.

9 REGVLARITER Incendium in dubio præsumitur causatum culpâ Inhabitantium, & Conuersantium in domo combusta: multò magis, si vnus solus inhabitet: sed in hoc attenditur locus loci, in quo ignis accenditur: si enim ibi vnus tantùm inhabitet, illius tantùm culpæ adscribitur; quod si plu-
10 res, eisdem pluribus tribuitur. Culpa verò præsumitur in eo, qui tenet, & facit immoderatum ignem: & è contra excluditur ex igne moderato, solito, & communi. Præsumitur item ratione loci, quando scilicet ignis fit in loco incongruo, & periculoso, seù ibi ponuntur signa, & alia de facili combustibi-
11 lia: sed ad hoc, vt locus periculosus dicatur, constare debet de periculo ante euentum. Præsumitur etiam ratione temporis, vt putà, quando quis flante vento ignẽ accendit in loco aperto; ex
12 quo tenetur ad omne damnum. Item in eo, qui non tenet ignem de nocte coopertum non solùm cinere, sed & testa, & tugurio; vel in eo, qui retinuerit fœnum domi sine consensu, vel præter conuentionem factam cum locatore, vel re locata vsus fuerit alio modo
13 quàm solito, & destinato. Idem si combusta fuerit domus ab inimicis Conductoris, quo casu tenetur etiam ad damna Vicini in subsidium, cùm vicinus priùs agere debeat contra Incendentes. Quodsi domus, vel ager combustus fuerit à Vicinis, Conductor Locatori non tenetur. Generaliter incendium fortuitò non præsumitur ortum: ideóque cuius culpa causatum sit, probatur coniecturis, & præsumptionibus arbitrio Iudicis. Quod si Incendium fuerit 14
immissum in aliquam domum, seù agrum, à cane, vel mustella, ad cuius caudam fuerit ignis accensus, & ioco appensus, appendens, & accendens, tamquam existens in culpa, tenetur de incendio, nisi esset Infans, furiosus, aut similis. In proposito verò, præsumptiones culpæ per contrarias præsumptiones tolluntur: & ideò inhabitans non tenetur, si eius diligentia probetur, etiam per proprios familiares, & domesticos, filios, fratres, & Vxorem, quæ tamen diligentia specificè circa custodiam ignis, & tempus orti incendij probanda est. Similiter, & specialiter, quan- 15
do Conductor in conducta domo dimiserit duas puellas duodecim annorum, & puerum annorum viginti, qui minùs diligenter ignem custodientes, de nocte incendium ortum habuit, non tenetur Conductor, nec etiam de culpa leui: sed absque dubio teneretur, si ibidem reliquisset filios infantes qui facilè possent ignem accendere: vsque ad *n.* 111.

Et hoc vnum nota, quod quando ali- 16
qui habitant partem superiorem domus, alij autem partem inferiorem, si oriatur incendium, & ignoretur in qua parte domus ortum habuerit, ratione incertitudinis omnes sunt absoluendi.

EX QVÆST. CX. Cap. III.

ARGVMENTVM.

Variæ quæstiones in materia Incendij.

REGVLARITER Dominus, 17
seù Pater familias, si Clarè constet adhibuisse debitam custodiam, & diligentiam, non tenetur pro incendio orto culpâ suorum seruorum: & pari modo, non tenetur Socer pro Nuru, nec Maritus pro Vxore. Conductor, & habitator domus combustæ non tene- 18
tur resarcire Domino damna ex incendio illata, nisi saltèm in leuissima culpa: quod si incendium in aliquo hospitio causatum fuerit culpâ alicuius amici, aduenæ, vel hospitis, Conductor non tenetur ad resarciendum damnum, dummodo clarè appareat de Incendia-

tio:

rio: quod si non constet cuius culpâ incendium sit ortum, adhuc sententia ferri non potest contra ipsum Officij Exercitorem: vsque ad *n.* 135.

19 Si ignis transeat de vna domo in aliam, debet damnum emendari à Domino domus, ex qua ignis profluxit, si ipse Dominus in aliqua culpâ existat: sed si incendium propter negligentiam vicini, quando commodè, & sine periculo extingui poterat, in domos alterius Vicini transiuit, conceditur isti

20 actio ad damna, & interesse. Quando autem ex aliqua domo, euolante scintilla ignis in domum, vel fenile vicinum, non tenetur, quia casus fortuitus reputatur: sic & ille, qui in proprio agro ignem accendit, vt stipulas, vel spinas comburat ad faciliùs serendum, & vberiorem terram faciendam, dummodo sit adhibita diligentia circa tempus, locum, & cæteras circumstantias, ne

21 ignis longius euolaret. Generalis enim, & solida est conclusio, quod Incendium ortum propter vim ventorum, non existentium in principio ignis accensi, dicatur casus fortuitus.

Quærendo autem, si propter ignis timorem deuastetur domus, vel quæ comburitur, vel illi contigua, quis teneatur ad damnum? & respondetur quod quando id fiat iusto metu immi-

22 nentis periculi, iussúque Magistratus, nemo tenetur; quod si secus, & Incendiarius sit certus, ipse obligatur: si verò non constet de certo Incendiario, tunc, si aliqua domus vicina & intermedia deuastetur, omnes vicini, ad quorum domus verisimiliter ignis profluxisset, sine illa deuastatione, & diruptione, tenentur pro rata contribuere in refectione damnorum domus dirutæ.

Tandem in hoc crimine punitur af-

23 fectus effectu non secuto, solæque minæ arbitraria pœna puniantur? Respondè quod sic: sed in paruo incendio non habet locum pœna Statutaria capitalis, sed alia mitior: vsque ad *numerum fin.* 160.

***

EX QVÆST. CXI.

Articulus I.

ARGVMENTVM.

De grauitate, & detestatione criminis Repetundarum, & Barattariæ.

PVLCHRAM sibi proponit *Author* materiam examinandam in 1
hac quæstione, & incipiendo ab huius criminis detestatione, & atrocitate, dicit grauissimum esse, crimini Læsæ-Maiestatis, & Simoniæ æquiparari; inter maximas & capitales causas connumerari, nec non esse simillimum Assassinio, furto, proditioni & Sacrilegio.

EX QVÆST. CXI.

Artic. II.

ARGVMENTVM.

De pluribus, ac diuersis pœnis à Iure impositis in crimine Barattariæ, & Repetundarum.

REGVLARITER Iudex pecunia corruptus tenetur, *lege Iulia Repe-* 2
tundar. quæ hodie est arbitraria vsque ad deportationem inclusiuè: tenetur Edicto de Calumniatoribus: *Cod. de pœn. Iudic. qui malè iudic.* tenetur de falso, & falsi pœna: nec non *lege Iulia, de vi public.* præcipuè si pecuniam accipiat pro necando homine: Dignitate, & 3
cingulo priuatur, redditur inhabilis ad vlteriùs iudicandum, infamis efficitur: contra ex *Auth. nouo iure, C. de pœn. Iudic. qui malè iudic.* si causa ciuilis sit, & pecuniaria, dati triplum, promissi duplum restituit: si autem sit criminalis, omnia confiscantur bona, & in exilium mittitur: quod procedit quando innocentem condemnat, vel nocentem absoluit: tenetur insuper ad expensas, & damna passa, facit litem suam, & ad æstimationem litis obligatur: vsque ad *numer.* 38.

EX

EX QVÆST. CXI. Artic. III.

ARGVMENTVM.

De concussione, & eius pœna, quando locum habeat, & quando non.

IVDEX, per Concussionem pecuniam extorquens, tenetur ad 4
restitutionem pecuniæ, & extra ordinem punitur: cuius Concussionis crimen non committitur, quando à sponte Dante, nulla præcedente metus illatione, pecunia recipitur: Concussio enim nil aliud est, quàm aliquos premere occasione dignitatis, vel officij. Hoc crimen committitur, ne dum à Præside, Iudice, & altero Officiali, sed etiam ab inferiori, qui iussu Præsidis, seù Officialis timorem incutit, & pecuniam extorquet, nec non quando indebitè aliquis vexatur. Huius criminis actio perpetua est, sed non potest intentari nisi à concusso; & quia non præsumitur, probari debet: vsque ad *n.* 59.

EX QVÆST. CXI. Artic. IV.

ARGVMENTVM.

Iudex pecunia corruptus, iniustitiam faciens, quando teneatur ad quadruplum? & vtrùm applicetur Fisco, vel Parti.

IVDEX pecunia corruptus iniustitiam faciens, tenetur ad 5
quadruplum eius, quod accepit: ex *L.* 1. *C. ad leg. Iud. repetundar.* & ad duo quadrupla quando ab vtraque Parte recepit, quod totum applicatur Fisco, si ex Parte Dantis adsit turpitudo, qua cessante, pro medietate applicantur ipsi Parti Læsæ. Hæc actio competit infra annum, quo alapso, non tenetur nisi ad simplum: sed hodie, hac
6 pœna sublata ex *Auth. nouo iure, C. de pœn. Iudic. qui malè iudic.* si causa Ciuilis & pecuniaria sit, dati triplum, promissi duplum refundit; si Criminalis, omnia bona amittit: aduertendo, quod dispositio *Auth. nouo iure*, habet locum in Iudice iudicante per sortes: dispositio autem *L.* 1. procedit in eo Prouinciæ Administratore, qui habitatores concussit, spoliauit, & nudauit: & ideò non confunduntur; nec vna tollit aliam: vsque ad *num.* 70.

EX QVÆST. CXI. Artic. V.

ARGVMENTVM.

De Iure Canonico quæ pœna sit Iudicis, qui pecunia corruptus iniustitiam facit.

IVDEX Ecclesiasticus, qui pretio, 7
aut aliàs per sortes iniustam tulit sententiam, suspenditur ab executione officij per annum: qua suspensione pendente, si diuina exercuerit, Irregularis efficitur. Ista pœna ab Episcopo non potest remitti: vlteriùs extra ordinem punitur, suspenditur tantùm ab Ordinibus, non autem à beneficio: & ad hoc vt puniri possit, sex requiruntur, de quibus *Author* loquitur remissiuè ad Dominic. in *cap.* 1. *de lent. & re iudic. in* 6. vsque ad *num.* 80.

EX QVÆST. CXI. Artic. VI.

ARGVMENTVM.

An pœnæ à Legibus impositæ Barattariam Committenti, in simul confundantur? an verò omnes imponi possint, vel earum aliqua, Iudicis arbitrio.

REGVLARITER in præmissis 8
ex origine, non autem executione, vna pœna non tollit aliam, sed non omnes imponi possunt, vnica tantùm infligitur, arbitrio, & electione Iudicantis: Et licèt pœna, quæ venit ex *Edict. de Calumniat.* non tollatur per alias, nec pœna Quadrupli confundatur cum corporali attamen istæ pœnæ, tam legales, quàm Canonicæ, quoad originem, non quoad executionem intelliguntur: Venit cumulatiuè refectio expensarum, damnorum, & æstimatio litis: & pœna Statutaria tollit omnes alias Iuris communis.

EX

EX QVÆST. CXI. Artic. VII.

ARGVMENTVM.

De pœnis corrumpentis Iudicem.

REGVLARITER Iudicem corrumpens tenetur eadem pœna, 9
qua Iudex corruptus : punitur insuper pœna falsi,& relegationis, siue causa sit publica, siuè priuata, aut fiscalis. Arbitrium corrumpens, tenetur de dolo: quod si Iudicem, non pecunia,sed prece corrumpat, siue corrumpere tentauerit, pœna centum aureorum plectitur: pecuniam datam non repetit : & actione de dolo pro expensis conuenitur. Quod intellige ; dummodo adsit 10
turpitudo; permittitur enim dari pecuniam ad iustitiam consequendam, vel pro conseruatione sui iuris, & pro se redimendo à vexationibus ; quo casu pecuniam datam repetit. Quod si à Iudice allegetur turpitudo ex Parte Dantis; 11
excipi potest de turpitudine Recipientis, & sic Exceptio cum Replicatione confunditur,remanente prima actione, ex qua Iudex condemnatur : vsque ad *numer.* 124.

EX QVÆST. CXI. Artic. VIII.

ARGVMENTVM.

Iudicem corrumpens, an causam amittat.

REGVLARITER corrumpens Iudicem, causam & actionem perdit: sed si sit Reus,perdit ius 12
defendendi, & in Criminalibus ius suæ innocentiæ probandæ. Idem est in corrumpente Notarium,sed requiritur declaratio, non enim perdit ipso Iure. Quod si prece corrumpat, licèt sententia sit nulla,causam non perdit; multóque minùs si det, vt citò iudicetur, & causa expediatur : secus quando Pars pecuniam dedit diffidens de iure suo, & voluit per corruptionem iustitiam consequi: vsque ad *numer.* 137.

EX QVÆST. CXI. Artic. IX.

ARGVMENTVM.

Iudex pecunia corruptus, iniustitiam faciens, quando, & in quibus casibus puniatur.

IVDEX pecunia corruptus iniustitiam faciens,punitur pœna Repetundarum,aliisque pluribus pœnis,de quibus fuit dictum *suprà, artic.* 1. ad quas tenentur omnes alij extranei corruptionis Participes, complices, & consocij: ipséque Iudex tenetur pro suo Ministro ad pœnam Quadrupli,eúmque exhibere, per quam exhibitionem liberatur, nisi in principio Officij expressè se pro eo obligasset, vel delicto,illicitóque lucro participasset. 13

Regula procedit,non solùm si Iudex facienda non faciat,verum etiam si non facienda facit : quinimo etsi munera recipiat vt iustitiam faciat, cum debeat semper manus mundas habere : imò nec ei licitum est accipere, vt citò expediat, siuè in causa Criminali, siuè Ciuili : nec permittitur recipere etiam sub titulo venditionis, donationis, aut alterius cuiuscumque contractus. Quod si re integra,& pœnitentia ductus pecuniam restituat, in nihilo tenetur.

Et licèt Ciuilis Iudex non possit de causa Criminali cognoscere, singulariter in crimine barattariæ, concussionis, & extorsionis criminaliter punire valet ex nouo processu, nec non conueniri potest, officio durante : & vnusquisque admittitur ad accusandum : & intra annum à die mortis eius, qui de tali crimine arguebatur, datur actio contra hæredes : admittitur etiam ad accusandum ipse corrumpens, dummodò corruptionem probauerit, quæ probatio fieri potest post sententiam, & per decem menses post absolutionem. Sententia verò data à Iudice corrupto, quamuis iusta, vnà cum omnibus Actis, est ipso iure nulla, nec super ea iterum ab eodem Iudice pronunciari permittitur. Quod si essent duo Iudices, quorum vnus Corruptus; vel si tres, & duo corrupti, adhuc sententia infirmatur: sed si pecunia recipiatur post sententiam, pactione præcedenti non probata, sustinetur. 14 15

sustinetur. Sententia verò Arbitri, doli exceptione rescinditur. Et generaliter, si sententia lata fuerit per inimicitiam, aut latam culpam, ope restitutionis ad excipiendum condemnatus admittitur.

16 Non iterum Regula procedit in eo,qui fouens bonam causam, Iudicem indemnem conseruat: nec pariter quando Iudici dantur dari solita ex consuetudine. Arbiter verò, licèt euitet pœnas Iuris Canonici, facit litem suam, & tenetur de iure Ciuili.

Tandem hæc Repetundarum pœna præscribitur per lapsum anni à tempore depositi Officij, quando agitur contra ipsum Officialem: à tempore autem mor-
17 tis quando contra hæredes: imò quod talis causa terminari debeat intra quinquaginta dies, aliqui voluerunt per text. in *l.1. C. vt omn. Iudic. tam Ciuil. quàm milit. post administr. depos.* vsque ad *numerum* 234.

EX QVÆST. CXI.

Artic. X.

ARGVMENTVM.

De munerum receptione Iudicibus prohibita.

18 REGVLARITER Iudicibus, & Officialibus munera recipere prohibitum est: & in Vrbe ex Chirographo Clementis VIII. de anno 1595. Iudicibus Criminalibus pœna mortis, & confiscationis bonorum imponitur. Iudices verò non habentes salarium, non prohibentur recipere munera à spontè Dantibus: sic & licitum est recipere ab Amicis, dummodò in toto anno non re-
19 cipiatur citra valorem centum aureorum: sed hodie prohibentur recipere, nisi esculenta, & poculenta, quando dantur ex mera liberalitate, eáque moderata, vt infrà duos vel tres dies ab ipso Iudice, eiúsque familia consumi possint: vsque ad *numerum* 260.

***

EX QVÆST. CXI.

Artic. XI.

ARGVMENTVM.

De probatione Barattariæ.

BARATTARIA non præsumitur, ideóque est probanda per te- 20
stes legitimè examinatos, & omni exceptione maiores; inter quos non connumerantur illi, qui fuerunt à Iudice carcerati, qui in Syndicatu porrexerunt querelam, vel petitionem dederunt: quinimò nec mediatarij, seu pecuniam exbursantes. Benè sufficiunt Testes do- 21
mestici, & familiares; & ex indiciis, coniecturis,& præsumptionibus tortura potest inferri: vsque ad *n.*278.

EX QVÆST. CXI.

Artic. XII.

ARGVMENTVM.

Promittens bonum litis euentum apud Iudices, an, quando, & quomodo puniatur.

PROMITTENS bonum litis euentum, seu sententiam fauora- 22
bilem, & ob id pecuniam recipiens, punitur eadem pœna, qua corrumpens: & vltra datur actio iniuriarum, & ad litis æstimationem: eadem pœna plectitur Aduocatus, vel Procurator, qui faciens se amicum Iudici, promittit Clientulo bonum litis euentum. Idem in Notario reuelante sententiam ferendam, & eóque fortiùs in illo, qui vtrique Parti promittit: vsque ad *numer.* 291.

***

EX QVÆST. CXI.

Artic. XIII.

ARGVMENTVM.

De Dantibus, & Recipientibus pro obtinenda gratia, vel iustitia, apud Sedem Apostolicam, an, quando, & qua pœna puniantur.

23 DANTES, & Recipientes pro obtinenda gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam, sunt excommunicati Excommunicatione maiori, anathematizati, & absolui non possunt nisi à Pontifice, seu ab eo specialiter Delegato, præterquam in articulo mortis: & absolutio non conceditur, nisi priùs quantum datum fuit, integraliter Pauperibus largiatur: non sufficit Partis remissio, seu donatio; licèt excusset impotentia restituendi, &
24 ex *constitution. Gregorij XIII.* expressè omnium beneficiorum priuatio imponitur, necnon officij sæcularis, & temporalis. Huiusmodi pœnæ incurruntur ipso iure, & vltra infamiam redduntur inhabiles in posterum ad alia consequenda. Vltra prædicta, potest Iudex ex arbitrio alias pœnas irrogare, post quas omnes incursas, si diuina exercuerit, Irregularitatem incurrit. Constitutio prædicta com-
25 prehendit omnes cuiuscunque gradus, etiam Cardinales, & Episcopos, Proxenetas, Mediatores, Præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, Mandantes, Ratificantes, Monentes, Persuadentes, Precantes, Instruentes, aut vtilitatem Proponentes; sed in his non punitur affectus, effectu non secuto, vel nisi quando secuta fuerit pactio, promissio, datio, vel receptio, quamuis nihil operentur, licèt se facere, & operari iactitent.

Eisdem pœnis innodantur, qui scien-
26 ter vtuntur gratia, seu iustitia, sic propter datum, vel receptum obtenta. Quinimò nuda promissio satis est, dummodò sit in quantitate, apta ad inducendum mortiferum. Extendendo quamuis non obtinea-
27 tur gratia, seu iustitia, etiamsi simpliciter detur, non facta aliqua expressione verborum, comprehendendo omnes vbicunque existentes: etiam quod id, quod datur, aut recipiatur, sit quid paruum, & siue promissio, vel datio sit occulta, siue etiam manifesta: & quamuis promittatur alia res, seu vtilitas præter pecuniam; & siue pro consequenda iustitia in spiritualibus; secùs in temporalibus, data animi sinceritate. Scientes verò culpabiles, & non reuelantes intra tres dies, incurrunt pœnas *Extrauag. 1. de sentent. Excommunic.* Sed ad hanc reuelationem non tenentur, 28
nisi soli Existentes in Curia, reuelans gaudet impunitate, & immunis efficitur à pœnis. Non licèt insuper recipere aliquid sub nomine doni, seu muneris, exceptis tamen esculentis, & poculentis paucis diebus consumendis ex mera liberalitate datis. Gratia autem sic obtenta, est ipso Iure nulla: prædictæ pœnæ ligant, & obligant in foro conscientiæ. Quæ omnia stric-
tè procedunt in gratia, seu iustitia obti- 29
nenda apud Sedem Apostolicam; secùs apud alium Principem, Magistratus, seu Personas: verius tamen est, vt comprehendant in Statu Ecclesiæ omnes habentes iurisdictionem Ciuilem, & Criminalem.

Non habent locum, si quid detur, aut
recipiatur post latam sententiam, obten- 30
tam gratiam, seu impetratam iustitiam. Item non incurruntur ob dationem pecuniæ ad redimendam vexationem super Iure iam quæsito, vel quando quis paciscitur cum Iudice, vt citiùs causam expediat, dummodò non ad malum effectum, vel ad eum corrumpendum exbursetur; provt nec etiam incurritur excommunicatio ex sola cogitatione de aliquid dando, vel recipiendo, etiam cum firma voluntate exequendi: & tandem nec etiam quando aliquid datur sine dolo; & malo animo: vsque ad *num.* 359.

EX QVÆST. CXI.

Artic. XIV.

ARGVMENTVM.

Iudex, qui non pecunia corruptus, sed aliàs dolo, & per sordes iniustitiam faciens ad quid teneatur, tam criminaliter, quàm ciuiliter? Ex quibus, & quando in Iudice præsumatur potiùs dolus, quàm imperitia.

REGVLARITER Iudex malè
iudicans, non ex imperitia, sed 31
dolosè, tenetur ad interesse, facit litem suam, & obligatur ad totius litis, & illati damni æstimationem. Quod tamen

non

non procedit in Beneficialibus, in quibus non cadit vera litis æstimatio. Insuper potest criminaliter, & arbitrariè pu-
32 niri, si causa Criminalis erat; si verò Ciuilis, infamiam tantùm incurrit, obligatur ex pœna falsi, & nisi habeat in bonis, luet in corpore; iuratur contra eum in litem, & si aliquem ad mortem condemnauit, & tradidit, pœna *legis Corneliæ de, Sicar.* tenetur. Si autem per imperitiam iudicet, arbitrariè tantùm punitur. In Iudice dolus non præsumitur, ideò probari debet: nec sufficiunt præsumptiones, nisi sint euidentes, & concludentes: quinimò potiùs imperitia non præsumitur sed dolus. *Primò*, quando Iudex communiter pro Perito habetur. *Secundò*, quando enormiter partem
33 læserit. *Tertiò*, quando iniustitia esset notoria. *Quartò*, quando constat à quo pecuniam receperit. *Quintò*, quando esset capitalis inimicus illius, contra quem iniustam protulit sententiam. *Sextò*, quando processit sine causæ cognitione, & de facto. *Septimò*, ex qualitate illius Personæ. *Octauò*, ex qualitate facti. *Nonò*, ex eo, quod id non fecit, ad quod tenebatur ratione Officij. *Decimò*, si dixisset, se velle ferre sententiam, odio, inimicitia, vel amicitia, dictis enim casibus, excluſa imperitia, dolus includitur: vsque ad *n.* 395.

EX QVÆST. CXI. Artic. XV.

ARGVMENTVM.

Iudex, seù Officialis negligens in faciendo iustitiam, quando, & quomodo puniatur, seù teneatur, tàm ciuiliter, quàm criminaliter.

IVDICES, & Officiales regula-
34 riter syndicantur; etiam de eorum negligentiis, tenentur actione in factum; faciunt litem suam, ac in solidum obligantur ad verum, & totale interesse; nec non puniuntur, si negligentia esset specialiter, & determinatè à Iure punibilis: quod si secus, tantummodo facit litem suam, non in solidum, sed quanti Iudici visum fuerit ex maleficio: sed si negligentia fuit dissoluta, dolo proxima, vel dolo commissa, tenetur in solidum, & ad totale interesse. Quare firmat Conclusionem, quod si negligentia Iudicis absorbeat totum ius Partis, faciat ipsum teneri ad totale interesse: sed si in aliquo particulari læderet, tunc non teneatur nisi ex illo particulari, in quo lædit: vsque ad *n.* 407.

Ista autem actio datur contra Iudicis hæredes perpetuò: punitur criminaliter talis negligentia: & inuidenter po- 35
test peti restitutio: quod si Iudex non habeat in bonis, condemnatur corporaliter: sed si negligentia sit pura, non tenetur ad aliquam pœnam, verùm tantum ad interesse, & arbitrium non extenditur ad pœnam criminalem Fisco applicandam, sed tantùm ad interesse Partis. De Iure Canonico, iste Iudex ne- 36
gligens facere iustitiam excommunicatur, priuatur omni emolumento, & lucro; ac de Iure ciuili priuatur officio, & deponitur: quod tamen non procedit in officiali perpetuo, ac generaliter de consuetudine. Ex scrupulosa negligentia, inquisitio non seruatur, nec ex ea iuratur in litem: non autem potest redargui de negligentia, nisi prima præcesserit interpellatio, & requisitio: ac singulariter excusatur, quando multitudine causarum fuit impeditus, aut aliquo alio modo sibi interdictum: vsque ad *n.* 434.

EX QVÆST. CXI. Artic. XVI.

ARGVMENTVM.

Iudex per imperitiam, seù aliàs malè iudicans, ad quid teneatur, & quando.

IVDEX per imperitiam, seù im-
prudentiam malè agens, & iudi- 37
cans, facit litem suam; sed non tenetur in solidum ad omne interesse: litem enim suam facere, idem est, ac damnum alterius in se transferre; ex quo arbitrariè punitur in quantum religioni Iudicantis videbitur. Regula locum habet tàm in Iudice ordinario, quàm Delegato, & in Arbitro, si Compromissum fuit factum cum iuramento, & sine additione pœnæ: quinimò, & in Arbitratore, si immodicè læserit, & ei non fuerit data latissima potestas. Idem in Assessore, cuius con- 38
silium Iudex sequi debet; quoniam si malum & iniustum dederit, ad veram litis æstimationem tenetur. Extende ad Authorem Præsidis, & ad consultorem,

si fuerit electus à Partibus; secùs si à Iudice, cui certè non tenetur, sed ipse Iudex obligatur.

Licèt hoc non procedat. *Primò*, quando Statutum mandaret secundùm consilium Sapientis iudicari. 39 *Secundò*, quando Iudex fuerit deceptus à suo Consultore. *Tertiò*, quando Consultor non fuit electus à Iudice sed à Parte, vel à Principe. *Quartò*, quando Cõsultor erat Doctor, approbatus, & doctoratus in studiis generalibus. *Quintò*, quãdo erat publicè exercitatus in Officio. Verùm si Iudex erat Peritus, quia non obligabatur sequi Consultoris iudicium iniustum, propterea non excusatur: vsque ad *n.* 479.

Ità & Iudex tenetur, si ex lata culpa 40 iniustitiam fecerit: si ex latissima, punitur criminaliter: si verò ex leuissima, impunis euadit in totum. Quod si contra æquitatem iudicet, seù cõtra Iura, quamuis bene iudicasse crediderit, vel si tandem contra communem D. D. opinionem iudicauerit, videtur facere litem 41 suam: eóque magis, si errauerit in Iure certo, & notorio, & iudicauerit per supinam imperitiam, vel nõ seruauerit consuetudinem, seu pronunciauerit contra Statuta, & reformationes: sed sic malè pronunciando, soluendo interesse, habet regressum contra Deditorem; secùs, si negligendo fecerit litem suam ex dolo: quia tunc nõ potest petere cessionem Iurium & actionũ abeo, cui soluit.

Et hoc casu quamuis à sententia non fuerit appellatum, vel semel, aut bis appellatum appellatione non prosecuta, vel etiã talis sentẽtia fuerit bis, seu semel cõfirmata, adhuc obligatur: & licèt Alij contra, hanc conclusionẽ *Author* firmat 42 intrepidè. Ac iterum licèt Alij contra; proceditur semper contra primum Iudicem, non autem contra Confirmantes. Tenetur etiam: secundùm aliquos appellatione pendente: Alij contra. Quinimò etiam si appellationi fuerit renunciatum, nisi pars expressè approbasset sententiam contra se latam.

Multóque magis obligatur, si per imperitiam aliquem ad mortem condemnauerit, & tradiderit, excedendo pœnam Statutariam, quia tunc contra eum retorquetur vigore Edicti, 43 *Quod quisque Iuris*. Sic & etiam, si minorem, vel maiorem pœnam imponat, vel recuset punire, & inquirere delictum notorium, aut sibi denunciatum; si noluit recipere accusationem; si aliquem iniustè banniuit; si iniustè posuit in tortura; si probationes, & Testes non recepit; ex quo tenetur ad interesse totale, si ex dictis probationibus Pars liquidasset suam intentionem, facit litem suam, nisi efficiat quòd restituatur furtum, vel damna, damnum passo. Imò admittens probationes non 44 admittendas tenetur ad interesse Partis; prout & Arbiter admittens exceptiones non admittendas. Extende, quod Iudex etiam teneatur, si admiserit fori declinatoriam iniustam, si non admiserit appellationem admittibilem, si relaxauerit carceratum, de Iure non relaxandum, si requisitus non dederit Tutorem Pupillo, si receperit fideius- 45 sorem non idoneum, si noluerit deferre iuramentum in casu, quo illud de Iure deferre debebat, si fecerit causam desertam, non pronunciando intra instantiam Statutariam, vel Legalem, requisitus; si non condemnauerit in expensis iustè condemnandum, si non interposuerit decretum super contractibus Minorum, seù interposuerit quando interponere non debebat in ipsorum præiudicium: vsque ad *n.* 561.

Limita modò propositam Regulam in principio huius præsentis Articuli, 46 quod Iudex sic per imperitiam malè iudicans, cùm teneatur solùm ex quasi maleficio, ideò non obligetur ad damna, & interesse in solidum: imò si imperitè iudicauerit in aliqua lege, seù materia difficili, secundùm Aliquos in totum liberetur; licèt ex mente *Authoris* veritas sit puniri, sed mitiùs. Huiusmodi actio non transit ad hæredes: tantùm tenetur ad interesse damni emergentis, non autem lucri cessantis: & hodie quidquid sit de Iure, de Consuetudine Iudices non syndicantur de sententiis per imperitiam malè datis, sed tantùm de furtis malè ablatis, de dolo, & barattaria. Et tandem quando Iudex per imperitiam, *nullam* profert sententiam, tunc non facit litem suam, nisi 47 mandet executioni, & executio fuerit irretractabilis. Tenetur quippe, si protulerit dolosè, vel quando lapsa sint tempora ad dicendum de nullitate, seù quando ex ea Pars præiudicium reportauerit; quia hoc casu, tenetur ad sumptus, & expensas factas in Iudicio; licèt nõ faciat litem suam: vsque ad *n. fin.* 582.

LAVS DEO.

SVCCVS

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII PARS DECIMA-TERTIA.

EX

LIBRO QVARTO, TITVLO DECIMO-TERTIO, QVÆST. CVII. INSPECTIO I.

ARGVMENTVM.

Crimen Læsæ-Maiestatis quid sit? Quando dicatur commissum in primo, vel secundo gradu? Alia de eius atrocitate, & contra quos committatur.

PERGRAVEM dicit *Author* materiam huius tituli, tamquam in grauissimo delicto consistentem: ex quo enim crimen Læsæ-Maiestatis horrendum, sceleſtissimum, & de exceptis est, Sacrilegio proximum, grauius Parricidio, Hæresi, & Simoniæ æquiparandum illud est, quod aduersùs Populum Romanum, vel eius securitatem committitur, ad duo capita reducitur. Primum, versatur contra Principem, eius lateri Assistentes, & Consiliarios. Secundum, in aliis casibus exceptis. Quibus præmissis: vsque ad *num.* 18.

1

Committitur tale delictum. Primò, contra Papam. Secundò, contra Imperatorem, eiúsque Statum. Tertiò, contra Populum, & Rempublicam Romanam: & hinc infertur ad Rempublicam Venetiarum. Quartò, contra Regem. Non tamen committitur contra Tyrannum, quem licet occidere ad publicam vtilitatem, non autem ad propriam. Tyrannus autem propriè dicitur is, qui in communi Republica, non iure, sed per vim sibi assumit & vsurpat principatum, & violenta dominatione Populum premit. Item committitur in Vicario, seù Legato Papæ, & Imperatoris, nisi offenderetur ex priuata inimicitia; & nisi Vicarius, seù Legatus esset perpetuus: eóque fortiùs, committitur in Vxore Imperatoris, Regis, vel Principis. Idem in Confœderato Principi, nisi confœderatio esset cum aliquo Infideli, & nisi vnus Confœderatus offenderet alium Confœderatum. Extende etiam ad omnes, & quoscunque alios Principis Ministros, quorum ope ipse Princeps vtitur in sua Prouincia, si occidantur, vel offendantur, vt eorum operibus Princeps careat: secùs, si ex particulari odio & inimicitia. Extende iterum, quod committatur in Episcopo habente temporalem Iurisdictionem, in Consiliariis Principis, in Proceribus sacri Palatij, in Electoribus Imperij, Consiliariis Papæ, & Senatore Vrbis Romæ: declarando, dummodò interueniat coniuratio, & quod Consiliarij lateri assistant, vt incurrantur pœnæ contentæ in *L. quisquis*, videlicet damnationis memoriæ Defuncti, & aliæ filiorum præiudicium tangentes: secus autem quoad pœnam mortis, & confiscationis bonorum: vsque ad *n.* 72.

2

3

EX QVÆST. CXII. Inſpectio II.

ARGVMENTVM.

Crimen Læſæ-Maieſtatis quando committatur in perſonam Cardinalis ? ad interpetrationem c. felicis., de pœn. in 6.

4 OFFENDENS Cardinalem regulariter committit crimen Læſæ-Maieſtatis : quinimò incurritur ex ſimplici percuſſione abſque vulnere: & eò magis ſi occidatur, ſeù cauſa proxima eius morti detur, inſequendo, machinando, eijciendo à ſua Diœceſi, Territorio, ſeù Dominio Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Sedis Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios; taliáque mandans, rata habens, auxilium, conſilium, vel fauorem præſtans, eſt excommunicatus in Bulla *Cœnæ Domini*: verùm ſi fuerit nudum conſilium, quo ceſſante adhuc Delinquens erat facturus, mitior pœna imponitur. Extende
5 Regulam ad Receptantem eum, qui Cardinalem offendit, dummodo non fuerit Conſanguineus, Affinis, ſeù ignoranter receptauerit. Amplia in Defendente, & defenſionem ratam Habente; quoniam dicitur etiam Reus Læſæ-Maieſtatis, ſocius offendentis Cardinalem: quinimò Reus eſt & ipſe Imperator, & quæcunque Ciuitas, Vrbe excepta. Committitur etiam ex particulari inimicitia, in familiaribus Papæ, & Cardinalis, dummodò ſint Clerici, ſecùs ſi Laïci: vſque ad *n.* 107.

Iterùm offendens Cardinalem com-
6 mittit etiam ſacrilegium: tantíque mali Participes ipſo facto excommunicantur: perpetuò ſunt Infames: amittunt factionem teſtamenti actiuam, & paſſiuam: puniuntur confiſcatione bonorum: priuantur omnibus beneficiis, & officiis, temporalibus, & ſpiritualibus, locationibus, & feudis, quæ regrediuntur ad Dominos directos: domus eo-
7 rum deſtruitur. Quæ quidem pœnæ incurruntur ipſo Iure, filij, nepotes per rectam lineam Deſcendentes priuantur omnibus beneficiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, ad illáque, quamuis Pontificalia, in poſterum obtinenda, inhabiles efficiuntur: imò & Deſcendentes ex linea Tranſuerſali, ſi facti qualitas, & circumſtantię ſuadeant. Iudices verò negligentes in puniendo huius criminis Reos infra menſem, poſtquam illud ad eorum notitiam deuenerit, incurrunt pœnam Excommunicationis: ita 8
pariter, & non Denunciantes, qui omni caſu puniuntur, non ſolùm à Iudice Eccleſiaſtico Canonicis pœnis, ſed etiam à Iudice ſæculari pœnis legalibus: vſque ad *n.* 127.

Regula non procedit, quando Cardinalis, non vt talis offenditur, putà, 9
quia non ſit indutus veſtibus Cardinalitiis, ſed ſit armatus, & enormibus incumbat; ſiue ſit Rebellis Pontifici; vel offendatur ad defenſam; ſeu claudatur in aliqua domo, animo ei verecundiam inferendi. Epiſcopus non comprehenditur *in dicto c. felicis*, licèt comprehendatur in Bulla *Cœnæ Domini*: vſque ad *num.* 135.

EX QVÆST. CXII. Inſpectio III.

ARGVMENTVM.

Offendentes Magiſtratum, & Curiæ Officiales, quando dicantur committere crimen Læſæ-maieſtatis ? & de eius pœna.

REGVLARITER Magiſtratum occidens, & Parricida reputatur, 10
& crimen Læſæ-maieſtatis committit. Extendendo ad offendentes Rectores Prouinciarum, Imperatoris, & Papæ, Officiales Principis: & ſic non ſolùm ex inobedientia Principis, ſed etiam Officialium. In propoſito ſolus tractatus punitur, etiam offenſione non ſecuta; ſi Magiſtratus habeat merum imperium, & non offendatur ad defenſam, vel occidatur, non ex priuata inimicitia, ſed in odium Principis: in quo dignoſcendo, coniecturæ ſumuntur ex perſonis, & cauſis, ex ſeruitiis, ex induſtria, ex pecuniis, ex conſanguinitate, inimicitia, ſocietate, & conuerſatione: ſed in dubio offenſio præſumitur facta in odium Principis, & ratione Officij. Non etiam committitur ex offenſione facta Præſidi ob eius malos mores, ſeù aliquid iniuſtè facienti, licèt ſit Mini- 11
ſter Papę. Sic & Officiali non obediens,

non

non propter Principem, sed propter ipsum Officialem, tale crimen non committit. Non etiam est crimen Læsæ-Maiestatis concitare Plebem ad effectum expellendi
12 Officialem, vel Rebellandi ipsis Officialibus, eísque non obediendi in iis, quæ non dependent ab Imperio; & Imperij honorē, ac Statū non respiciūt: vsq; ad *n.* 160.

EX QVÆST. CXII. Inspectio IV.

ARGVMENTVM.

Offendentes Nuncios, & Oratores Principis, an, & quando dicantur committere crimen Læsæ-maiestatis? & de materia.

OFFENDENDO Nuncios, seù
13 Ambasciatores, & Oratores Principum, crimen Læsæ-Maiestatis regulariter committitur. De Iure Canonico tales offendentes excommunicantur, & committunt Sacrilegium, quamuis offensio sequatur ex priuata inimicitia. Quinimò etiam impediendo Nuncios per Legatum Apostolicum ad Romanum Pontificem missos, seù eos literis spoliando, quamuis essent Banniti, & Contumaces. Regula limitatur, nec habet locum in Of-
14 fendente Vice-Oratorem, vel post completam Legationem in regressu: vel in offendente Nuncium, seù Oratorem pessimè se gerentem, aut perfidè ministrantem; vel si ignoranter, nesciendo Oratorem illum esse, offendatur: vsque ad *n.* 176.

EX QVÆST. CXII. Inspectio V.

ARGVMENTVM.

Crimen Læsæ-maiestatis, an, & quando committatur contra Principes Inferiores.

CRIMEN Læsæ-Maiestatis com-
15 mittitur contra Principes, & Dominos Inferiores, licèt Alij contra; etiam à Subdito, & Vasallo ante præstitum iuramentum fidelitatis; scilicet contra Duces, Marchiones, & Comites, habentes plena Regalia. Non autem committitur contra Ciuitates recognoscentes Superiorem: ex quo cùm non consideretur crimen Rebellionis, filij Offendentium non incurrunt pœnam *Legis, quisquis*, quam patiuntur filij propter crimen læsæ-maiestatis commissum à Patre contra Ciuitates Superiorem non recognoscentes, Duces, Marchiones, & alios habentes plena Regalia ab Imperatore, vel Papa. Pœna verò 16
confiscationis bonorum, & de Iure communi, & præsertim de Consuetudine Italiæ, imponitur pro crimine læsæ-maiestatis commisso contra Principes Inferiores, licèt crimen Rebellionis non incurratur, nisi ex offensa personæ Principis, hoc est Imperatoris, & Papæ: vsque ad *n.* 208.

EX QVÆST. CXII. Inspectio VI.

ARGVMENTVM.

Crimen Læsæ-maiestatis, an, & quando committatur contra propriam Patriam.

PER proditionem, seù oppugnatio-
nem propriæ Patriæ, ac etiam ex 17
reuelatione secretorum Populi sui, crimen Læsæ-maiestatis committitur; & punitur affectus, etiam effectu non secuto. Declara Regulam procedere, quando Patria oppugnatur, vt Principi, vel Populo Romano auferatur; & sic non solùm requiritur, vt oppugnatio tendat in præiudicium Principis, sed etiam Principis supremi: ac generaliter, quia non committitur crimen Rebellionis, non incurritur pœna *L. quisquis C. ad L. Iul. maiest.* quoad præiudicium filiorum, & confiscatione mbonorum: ac demum non consideratur in proditione Patriæ recognoscentis Superiorem: vsque ad *num.* 220. 18

EX QVÆST. CXII. Inspectio VII.

ARGVMENTVM.

Crimen Læsæ-maiestatis, an, & quando committatur ab Vniuersitate, vel Custro, à fœminis, ab Imperatore, à Prælatis temporalibus, ab Episcopis, Sacerdotibus, & Clericis.

HOC crimen potest etiam committi
à Ciuitate, Communitate, & Vni- 19

19 uersitate contra suum Principem: Extendendo ad Ciuitates liberas, & libertatem recognoscentes ab Imperatore ex priuilegio, longa patientia, vel ex titulo venditionis. Restringendo quoad pœnam Statutariam, quia Statutum puniens Personas, non extenditur ad Vniuersitatem. Fœmina etiam hoc crimen committit, sed mi-
20 tiùs quàm masculus punitur. Quinimò, & Imperator Offendens Papam, hoc crimen committit: provt & Prælati Ecclesiastici temporalia habentes. Episcopi verò, Sacerdotes, & Clerici non dicuntur secundùm aliquos committere hoc crimen in
21 eorum Principem sæcularem; Alij contra. Hoc vnum tamen certissimum est, quod nunquam Clericus propter huiusmodi crimen punitur ab alio, quàm ab Ecclesiastico Iudice, nisi ex speciali priuilegio à Sanctissimo concesso: priuatur tamen beneficiis, & feudis à sæculari Principe offenso impetratis. Quod si hoc crimen Episcopi, Sacerdotes, & Clerici committant contra Papam, absque dubio Curiæ sæculari traduntur: vsque ad *n.* 239.

EX QVÆST. CXII.

Inspectio VIII.

ARGVMENTVM.

Crimen Læsæ-maiestatis, an & quando committatur à non subdito.

22 PEGVLA proponitur, quod crimen Læsæ-maiestatis propriè non committitur à non subdito, nec quis dicitur subditus ex eo solum quod habeat bona in Territorio Principis offensi. Et hinc subditus Papæ offendendo Imperatorem, non dicitur committere hoc crimen, quia licèt amittat feudum, & iurisdictionem quam habet ab Imperatore, non potest tamen Imperator absoluere Vasallos à iuramento fidelitatis, cùm hoc solùm spectet ad Papam. Sed si Imperator offendatur à quocunque alio subdito cuiusuis
23 Principis, Pontifice excepto, crimen læsæ-maiestatis committitur ratione confœderationis, extendendo ad Feudatarium offendentem Infeudantem. Extendendo etiam ad offendentem Nuncium, vel Principis Oratorem: nec non ad non subditum sollicitantem subditum vt offendat suum Principem: licèt Alij contra. Quinimo iste non subditus, nec etiam ad pœnas commissi delicti puniri potest à Principe, cui non est subditus, nisi in illius territorio fuerit inuentus; sed bene punitur extra crimen læsæ-maiestatis: vsque ad *n.* 257.

Limita Regulam propositam vt sufficiat quem esse subditum ratione originis, 24
vel domicilij, siuè mediatè, præcipuè, & singulariter in crimine proditionis, & perduellionis, quod committitur etiam à non subdito: vsque ad *n.* 262.

EX QVÆST. CXIII.

Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Crimen Læsæ-maiestatis, quibus modis committatur.

VLTRA casus generales, de quibus per leges *in ff. & C. de crimin. læs. maiest.* & *ibi* D.D. *Author* deueniendo ad specialia, plures singulares casus enunciat, scilicet quod hoc crimen committat Proditor Principiis, etiam quod non sit illi subditus; Proditor suæ Patriæ in damnum Principis; Desertores militiæ, nisi ex iusta causa, vrgente necessitate, & post finitum tempus discesserit; Transfuga, qui fuit visus permanere cum Hostibus, armando, & pugnando contra Principem, malo animo & prodendi consilio: Item Auxi- 2
lium, seu consilium Hostibus Principis Præstantes, ipsis Hostibus dolosè & scienter pecuniam Mutuantes; Accommodantes arma; signum Dantes; Principis literas & Nuncios, Hostium literas receptas non Reuelantes, si quid contra Principem contineant. Confœderationem, seù 3
ligam cum Hostibus facientes; cum eis Nubentes; ipsis amicabiliter loquentes. Extendendo ad confœderationes, & ligationes Ciuitatum inter se, & ad Feudatarium contrahentem amicitiam cum Hostibus sui Domini, nisi ista confœderatio fiat super re licita, & absque Principis pernicie. Ad occupantes castra, Ciuitatis, Templa, & alia loca dolosè, & animo turbandi Statutum Principis. Ad Machi- 4
nantem, & Operantem in damnum Principis. Ad Officialem non renunciantem suo successori officium. Ad eum, qui exercitum sibi commissum suo successori non resignauerit. Ad illum, qui ad iussum Principis non renunciat Castrum, seù

Arcem

Arcem suæ custodiæ traditam. Et generaliter Rebellis dicitur is, qui retinet locum, vbi subditi stabant sub Principis
5 obedientia. Ad illos, qui offendunt Statuas Imperatori dicatas. Ad Conuenientes, seu tractantes de faciendo Papam, Papa viuente, seu Regem, Rege viuo. Ad Denegantes tributa, seu excubias, quas *Guardias* vulgus appellat; nisi tributa essent noua, & iniusta; aut Negans, se præ-
6 sumeret exemptum. Ad eum, qui facit obsides aufugere, dolo interueniente: vel qui falsum in publicis scripturis conscripserit. Et tandem ad Barones prohibentes suos subditos ad superiorem recurrere in illis, quæ ad illum spectant: vsque ad *num.* 65.

EX QVÆST. CXIII. Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Rebellionis crimen quando committi dicatur? An Principi non obediens dicatur Rebellis? & de materia.

REBELLIONIS crimen com-
7 mittitur contra Imperatoris honorem, & ei debitam fidelitatem: vel quando in eius Imperium aliquid machinatur, seu Principi resistendo, inobediendo, & ab Imperio, & eius authoritate, & iurisdictione se subtrahendo; hostis animum assumendo, & se aduersarium illi parando. Non tamen Rebellis dicitur, qui Principi aduersatur, & ab eo recedit, nisi etiam contra ipsum insurgat; sic nec ille, qui subtrahit se ab vno Domino, à quo in imminentibus necessitatibus non fuit defen-
8 sus. Rebellis incurrit pœnas à iure inflictas ipso iure, & ipso iure amittit ea, quæ sunt de iure Ciuili, sed ad hoc necessaria est declaratoria, nisi rebellio fiat contra Papam, vel Imperatorem, vel nisi esset notoria: quia non dicitur Rebellis Bannitus à Iudice sub pœna rebellionis pro aliquo delicto, nisi talis Bannitus contra
9 Dominum insurgat. Sic & inobedientiæ pœnam non incurrit citatus à Principe, & non comparens, nec pariter ex inobedientia Principi iniusto, non consideratur crimen læsæ Maiestatis; quod tantummodo habet locum, si contra Principis perso-
10 nam, vel eius Statum quis machinatur, vel quando agitur, vt illius Imperij forma & regimen mutetur. vsque ad *n.* 103.

EX QVÆST. CXIII. Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Crimen læsæ-Maiestatis an, & quando committatur ex conspiratione, coniuratione, machinatione, secta, seu factione contra Principem.

CONSPIRATIONE, & coniu-
11 ratione in Principem crimen læsæ-Maiestatis committitur. Conspiratio autem est machinatio, seu conuentio plurium simul in iniuriam Personæ, Status, seu Dignitatis alicuius. Conspiratio enim est facinorosa spirituum conceptio. Ex quo per machinationem committitur crimen læsæ-Maiestatis per eum, qui contrafacit factis, seu inobediet firmatis, & tendentibus in exitium Reipublicæ, seu fa-
12 actionem facientes de nece Principis, Factio enim idem est, quod Conspiratio, & ideò committitur quouis modo fiat contra Principem, quamuis in ea non interueniat Conspirantium iuramentum: vsque ad *num.* 117.

EX QVÆST. CXIII. Inspectio IV.

ARGVMENTVM.

Crimen læsæ-maiestatis an & quando Armatorum præsertim hominum congregatione, & conuenticula committatur.

CONVENTICVLA, & congre-
13 gatio differunt inter se, quia Conuenticula sonat in malam, Congregatio autem in bonam partem: sed quia congregatio est genus generalissimum, infertur Regula, quod ex congregatione, & conuenticula contra Principem committatur crimen læsæ Maiestatis, & incurratur pœna destructionis domorum, præcipuè ex *Bullis Clementis VII.* in ordine *sexta*, & *Sixti V.* in ordine *octaua*. Committitur ex cœtu, & conuentu in Ciuitate
14 contra Principem, & ex *dictis Bullis* quoquo modo fiat, etiam generaliter, effectu

non

non secuto,& facta ad alium finem:quinimò etiam fœminæ faciunt numerum stante Statuto, quod tot homines ad eam formandam requirantur. Idem in accommodante alicui homines armatos ad eorum congregationem faciendam. Delictum tamen læsæ-Maiestatis ex conuenticula inducitur, quando fuerit facta in perniciem Principis, nisi contrarium aliquo Statuto, vt ex *dictis Bullis*, prohibeantur. Quot verò homines requirantur ad conuenticulam formandam, remittitur arbitrio Iudicis: sed non inducitur sine Duce, & Authore; vt putà quando vnus post alium concurrunt, & conueniunt armati sub vno coadunati, seu ad vnum coadiuuandum: ex quo pœna Conuenticulæ ordinaria habet locum in Authore, & Consultore, & alij mitiori pœna plectuntur. Et in proposito non intelliguntur armati gerentes zappas, fustes, lapides, pugnettos,secures, aut alia ruralia Instrumenta: quia licèt veniant appellatione armorum,*l.armorum appellatione, ff.de verbor. signif.* hoc intelligitur largè, & impropriè. Non etiam puniuntur conuenticulæ factæ sine dolo, & malo animo: & ideò non prohibetur coadunatio armatorum ad propriam defensionem, & ad propulsandam iniuriam inimicorum, si defensio fuerit iusta: sed hoc non habet locum ex *Bulla Sixti V.* id prohibente ex quacunque causa. Non dicitur etiam conuenticula quando vno Occiso, seu vulnerato, eius attinentes concurrunt incontinenti, & ex improuiso audito nuncio, ad faciendam vindictam; secùs tamen si ex interuallo: quinimò conuenticula videtur facta ad bonum finem, & licita, quando conuocatis omnibus de Parentela, eis suadetur vnio pro defensione familiæ, licèt ex vigore *Bullæ Sixti V.* congregationes, & conuentus hominum armatorum sint prohibitæ ex quacunque vrgentissima causa: vsque ad *n.*175.

EX QVÆST. CXIII.

Inspectio V.

ARGVMENTVM.

Crimen læsæ-maiestatis an & quando ex seditione committatur.

SEDITIOSVS dicitur ille, qui seditionem,seu proditionem tractat de aliqua Ciuitate, vel Castro habendo, causâ faciendi bellum contra publicam vtilitatem, vel nouitatem inducit molitúrque in Ciuitate causa mutandi publicum statum; Seditio enim dicitur quasi *seorsum itio*, quia per eam homines diuersas eunt in partes, & alios trahunt; ex quo crimen grauissimum est. Illius Author delicto læsæ-Maiestatis tenetur, & extenditur ad tumultus concitantes in Ciuitate,in damnum Principis, animóque eum offendendi. Ad acclamantes, & conuocantes, populum ad seditionem, seu tumultum, dicendo, *Arme, Arme. Viuat talis, Moriatur talis*: licèt non sint prohibitæ acclamationes in vituperium Iudicis, dummodò sint veræ, & non per libidinem à Litigantibus effusæ: ac demum acclamationis verba, quæ possunt potiùs interpretari per duplicem sensum in bonam, quàm in malam partem, non puniuntur: ex seditione enim committitur crimen læsæ-Maiestatis, quando illa suboritur, & procuratur contra Principem, aut Rempublicam; secùs si contra alios, & ad alium finem. Generaliter pœna seditionis, non semper est pœna mortis, sed tantùm quando ex ea sequeretur homicidium, vel fieret contra Principem, & Rempublicam: & ideò accurentes ad rumorem sine dolo, & per lasciuiam, nihil vltra peccantes,vel Author sine dolo, & studio, seditionem concitans, vna cum assecliis mitiori pœna plectuntur.

EX QVÆST. CXIII.

Inspectio VI.

ARGVMENTVM.

Crimen læsæ-maiestatis an, & quando committatur ex reuelatione secretorum Principis.

REVELANS secreta Principis hostibus, capite punitur. Quod maximè procedit,si reuelans sit Secretarius,seu Consiliarius,Senator,aut Decurio. Extendendo ad Consiliarios Ciuitatis, qui eiusdem Ciuitatis secreta reuelantes,ab officio remouentur,& vti Præuaricatores, & hostes Patriæ puniuntur. Reuelans autem secreta Principis,dicitur Proditor, & feudum amittit, si reuelet hostibus ipsius Principis malo animo, & intentione inferendi damnum; sed non ob id crimen rebellionis incurrit: vsque ad *n.*224.

EX

EX QVÆST. CXIII.

Inspectio VII.

ARGVMENTVM.

Crimen læsæ-maiestatis, an & quando committatur ab erigentibus Collegium illicitum.

COLLEGIA dicuntur societates Collegarum, id est simul electorum. Collegij substantialia sunt tria. Primò, quod homines de Collegio vtantur vno sigillo. Secundò, quod vtantur arca cõmuni. Tertiò, quòd cõmuniter omnia gerantur. Tres homines faciunt collegium Laïcorum, duo autem Clericorum; Quibus præmissis, licèt facientes collegia illicita videantur puniendi pœna criminis læsæ-Maiestatis; verius tamen est, quod arbitrariè mulctentur. 24 Collegium illicitum dicitur illud, quod erigitur sine Principis licentia, & tale in dubio præsumitur. Probatur per socios criminis, hoc est per eos qui sunt de Collegio, isti erigentes priuantur testamenti factione passiua, licèt hoc non dicatur delictum publicum, nec censeatur prohibita conuenticula, tacitè à Principe approbata; licèt non possit fieri coadunatio sine licentia Superioris. Extendendo ad publica consilia Ciuitatum, quæ non possunt conuocari sine Rectoris, loci præsentia, & licentia, sub pœna nullitatis gestorum, & resolutorum in illo consilio. Non sunt 25 iterum prohibita Collegia causa Religionis, & pietatis introducta. Et quandocunque in collegio illicito pœnitentia locum habeat, cum ex illo exiens, pœnam euitet. Singulariter enim, quamuis collegia illicita dissolui debeant, pecuniæ eiusdem inter Homines collegas diuiduntur: vsq; ad *n.*246.

EX QVÆST. CXIII.

Inspectio VIII.

ARGVMENTVM.

Perduellionis crimen quomodo, & quot modis committatur.

PERDVELLIONIS crimen, & delictum læsæ-Maiestatis æquiparantur. Perduelles enim sic dicti sunt, quia in tali crimine per duellum probatio recipitur: sed perduellionis Reus ille propriè nominatur, qui regnum Principis affectat: sed non committitur, nisi contra Imperatorem, & Rempublicam: vsque ad *n.*257.

EX QVÆST. CXIII.

Inspectio IX.

ARGVMENTVM.

Consulens, Auxilians, & opem Præstans Reo læsæ-maiestatis, an, & quando eamdem pœnam incurrat? Et quid de eumdem Reum receptante.

CONSILIVM, & auxilium præstans, aut quoquo modo Particeps in crimine læsæ-Maiestatis, punitur eadem pœna, qua Reus Principalis: ideóque hunc Delinquentem Receptans, capite plectitur. Non extenditur ad Patrem receptantem filium: quinimò nec valet Statutum prohibens, Patri alere filium Bannitum: sed tamen istis casibus pœnam extraordinariã incurreret: provt & filius ordinariè puniretur, receptando in odium Principis patrem Bannitum. Simili modo receptans consanguineum Bannitum, non ex crimine læsæ-Maiestatis, non punitur pœna ordinaria, sed vigore *Bullæ Sixti V.* Nec etiam Consanguinitas, & Affinitas in primo gradu attenditur; quamuis *Author* dicat, rigorem *Bullæ* non practicari, sed ad compositionem pecuniarum admitti. Vxor verò Receptans Virum Bannitum, quamuis ex crimine læsæ-Maiestatis, nulla pœna punitur, imò eum sequi debet; & de fructibus suæ dotis, & bonis paraphernalibus alere. Ac demum receptans Reum, non punitur, si ignoranter reciperet, aut si ex vi, & metu recepiet: vsque ad *numer.*287.

28 29 30

***

EX QVÆST. CXIV.

Inſpectio I.

ARGVMENTVM.

Vſurpatæ iuriſdictionis crimen, quando committatur? & quomodo puniatur.

IVRISDICTIONEM Principis vſurpans, in crimen læſæ-Maieſtatis incidit, & illius pœnam incurrit. Idem, facientes ſe Iudices, cùm non ſint: & in Vrbe ſunt excommunicati in *Bulla Cœnæ Domini.* Ita & ſunt Rei læſæ-Maieſtatis Barones exercentes in eorum Terris imperium, quod non habent; vel tales ſe facientes, cùm non ſint. Similiter Statuta, ſeù leges condentes, edicta promulgantes, ſine authoritate furcas erigentes, carceres priuatos exercentes, ſeù vſurpantes iuriſdictionem cum falſis literis, qui cumulatiuè etiam de falſo puniuntur. In propoſita concluſione affectus punitur, non ſecuto effectu Complices, Participes, Auxiliatores, & ſocij pari pœna plectuntur: licèt gerens ſe pro Magiſtratu in leuioribus, extra ordinem arbitraria pœna condemnetur. Sed vſurpans iuriſdictionem, tunc tenetur, & crimine læſæ-maieſtatis ligatur, quando ſcilicet id faciat dolosè, & iſte dolus plenè probetur: ideóque ingrediens domum alicuius ſub nomine Curiæ, non tenetur pœna læſæ-Maieſtatis: vſque ad *numer.* 21.

EX QVÆST. CXIV.

Inſpectio II.

ARGVMENTVM.

Turbare iuriſdictionem, quando quis dicatur, & de illius pœna, & materia.

IVRISDICTIONEM Iudicis turbans, criminaliter punitur: datur ad hoc, actio iniuriarum: & Iudex Eccleſiaſticus cumulatiuè imponit ad pœnam pecuniariam, Excommunicationem: non tamen generaliter irrogatur pœna confiſcationis bonorum. Tenentur inſuper iſti Turbantes iuriſdictionem Iudicis, impedientéſque iuſtitiam, partibus ad damna, & intereſſe, iuramento liquida, iuxta text. in *L. ſi per alium, ff. ne quis eum, qui in Iuſ.* Quod ſi Actor trahat Reum coram Iudice incompetente, cadit à Iure ſuo, & perdit cauſam: ſi verò Reus, habetur pro condemnato. At ſi quis Potentium opera vtatur, adeo vt Actor minis, & terroribus perterritus à litis proſecutione deſiſtat, iſte Minans, & amittit cauſam, & punitur criminaliter. Iudex verò ſciens, ſe non eſſe competentem, coram ſe Comparenti audientiam præſtans, & executioni intendens, deportatur. Iuriſdictio autem turbatur non ſolùm facto, ſed etiam verbis, minis, & terrore incuſſo; quinimò etiam per metum non cadentem in conſtantem virum. Turbatur dolo, & violentia, ac per Contumaciam vocati in ius, ſiuè illa conſiſtat in non veniendo, ſiuè in non reſtituendo; ſi reſtituere iuſſus ſit: & eò magis per calumniam illius comparentis, & calumniantis. Propriè verò iuriſdictio Iudicis turbatur ab aliis ingredientibus, & inuadentibus eius territorium. Turbatur etiam à Verberantibus Aduocatos, Procuratores, & Teſtes, qui in Vrbe per *Bullam Alexandrinam*, ſe tueri poſſunt. Et generaliter pœna turbatæ iuriſdictionis tenetur mandans turbari, fautor, & Auxiliator, ac Iudex poteſt Turbantes huiuſmodi punire, quamuis non ſint illi ſubiecti, ſiuè ſit delegatus, ſiue ſubdelegatus. Extende, quod ſiquis vocatum in ius carcerauit, verberauerit, occiderit, aut aliter læſerit, non animo turbandi iuriſdictionem Iudicis vocantis, ſed ex priuato odio, & particulari inimicitia, adhuc extraordinariè puniri poteſt, ſi offenſio ſecuta fuit in loco ſibi ſubiecto.

Amplia propoſitam Regulam, vt iuriſdictio Iudicis turbetur, etiam eximendo eum de manu familiæ, ſiue exemptio fiat cum vi, & raptu; ſed etiam ſine. Quod ſi plures fuerint Turbatores, in ſolidum tenentur ad pœnam; & vnus ſoluens, non liberat alios. Quinimò, ſi eximens Debitorem in ius vocatum, ſoluerit Creditori vocanti intereſſe, iuxta iuramentum in litem eidem Creditori delatum, non ex hoc liberatur Debitor, quia eximens Præſumitur

sumitur soluisse loco pœnæ. Eximens vocatum in iudicium, nõ tenetur pœnâ Edicti Prætoris, *Nequis eum*, &c. nisi intercesserit vis. Non etiam tenetur ille, qui exemit vocatum coram Arbitro, vel quando fuerit factus aliquis actus turbationis sine dolo, qui in dubio non præsumitur, & ad illum excludendum quælibet credulitas satis est. Non dicitur etiam turbare, aliquẽ actum gerens pro conseruando iure suo, si præcedat protestatio: & licèt ideo ponere Custodes ad custodiendũ proprium agrũ, cùm nemo puniatur, nisi cum effectu fuerit impeditum iurisdictionis exercitium: quapropter non datur turbatio extra iudicium ex facto, quo quis suum Aduersarium trahit coram diuersis Iudicibus: vel si re integra, pœnitentia ductus turbare desistat: vsque ad *n.* 138.

EX QVÆST. CXV.

Inspectio I.

ARGVMENTVM.

Moneta quot modis falsificari dicatur? fabricantis falsam monetã quæ sit pœna? & de pluribus specialibus in materia.

1 CRIMEN læsę-Maiestatis cõmittitur etiam cudendo falsam monetã. Et quærendo primò quot modis moneta dicatur falsa? in hac dubitatione DD. tã Legistæ, quàm Canonistæ sibi aduersantur. Aliqui enim dixerunt, falsitatẽ consistere in materia, forma, & pondere. Alij ex triplici causa deduxerũt, nẽpè materiali, formali, & efficiẽti. Multi voluerunt ad bonitatem monetæ, quinq; requiri, Primò, scil. authoritatem Cudẽtis. Secundò, quòd cudatur in loco publico. Tertiò, quòd sit probæ speciei. Quartò, quòd sit legitimi põderis. Quintò, quòd sit percussa in publica forma: & deniq; non desunt Asserentes tribus modis falsari. Primò, quãdo in ea misceatur metallũ minoris valoris. Secundò,
2 quando non sit iusti ponderis. Tertiò, quãdo tingatur. Alij verò hoc crimen dixerũt committi quinq; modis, 1. illam cudendo absq; authoritate Principis: 2. cudendo falsam in pondere, & materia: 3. adulterando, aut falsificando imaginem, seu superscriptionem: 4. tondendo, vel minuendo: 5. illam expendendo. His præmissis.

3 Regula sit, quòd Cudens, & fabricans falsam monetam, pœna læsæ Maiestatis, scil. mortis puniatur. Alij cõtrà. Et ampliùs Monetarij comburantur, eorum bona cõfiscentur, domus in qua fabricatur, publicetur, siue Dominus fuerit sciẽs, siue ignorans fabricationis. Pœna autẽ falsæ monetæ procedit etiam in fabricante eam bonæ ligæ, & iusti ponderis: quinimò nec Ciuitates, nec Principes inferiores hoc facere possunt, nisi habeãt iura imperij. Extẽdendo Regulã ad mãdantẽ, seu auxiliũ dantẽ ad fabricandum; quod si talis sit Clericus, de iure Canonico degradatur, & Curiæ sæculari traditur. Alij contrà: vsq; ad *n.* 35.

Miscẽs in auro aliquid vitij, tenetur pœna falsi: sicut & Monetarij publici, cudentes monetam defectuosam in liga, vel in pondere, necnon cõburentes, seu liquefacientes monetã, animo eã occultãdi. Punitur etiã non prohibens conflationẽ adulterinorũ nũmorum: sic & non reuelãs Monetarios fabricantes; non autẽ tondentes: quod si reuelans sit socius & particeps, impunitate gaudet: si non sit particeps, præmiũ consequitur. Non datur appellatio à sententia condẽnatoria huius criminis interrogatur Reus de consociis, & cõplicib. Accusator non punitur vt præsũptus calũniator, licèt non excusetur à vera calũnia. In huius criminis probatione, præsũptiones, & suspiciones sufficere videntur: hodie omnibus Iudicibus Ordinariis data est facultas procedendi, licèt regulariter ad solùm Principem, seu eius Delegatum spectet cognitio: vsque ad *n.* 54.

Tingens monetam, vt putà æneam, auro, vel argento; vel etiam argenteam auro, 6
tenetur pœna falsi; licèt aliqui voluerint, pœnam ignis imponi: Princeps verò in moneta aliquid fraudis committens, animam suam damnat, nisi damnum reficiat: & fraudare dicitur primò, quando eam à principio cudi facit non iusti ponderis; iustum autem pondus dicitur, vt tantùm valeat cusa, quanti valet rudis, & in massa deductis expensis. Secundò, quando monetã antiquam iusti ponderis mãdat minui, nisi id fiat de consensu Populi. Tertiò, quando monetam minoris valoris facit, & cogit eam recipi, ac expendi in concursu monetæ maioris ponderis. Quartò, quando bonam reprobat, & aliam approbat. Quintò, quãdo monetas magnas & grossas imminutas, cõflari, & percuti facit: vsq; ad *n.* 69.

Pœna combustionis, confiscationis, & capitis habet locum in falsificante monetas Imperatoris, aut Papæ, & sic supremi 7
Principis: non autem Ciuitatis, & Principis inferioris, quia tunc tantùm intrat pœna mortis naturalis: & licèt cudenti sub nomine alterius Principis, pœna mortis non videatur imponenda; Contrarium est ve-

rius,& in practica seruatum. Quando verò moneta esset expendibilis vbi per non subditum,& forensem cuditur, tondetur, seu 8 expenditur, intrat pœna ordinaria, siue moneta sit aurea, siue sit argentea; quidquid Alij contrà. Imò etiam si sit moneta minimi valoris, vt sunt *bagattini*: quidquid Alij contrà.

Hoc vnum verò singulariter nota,quòd in hoc crimine affectus non punitur, nisi effectu secuto,si duo concurrant. *Primum*, 9 vt moneta nõ sit perfecta. *Secundum*,quòd pœnitentia fuerit ante percussionẽ,& formationem. Sic & non est prohibita Alchimia,& non est punibilis, vbi non interueniat falsitas, & expendatur argentum, seu aurum alchimicum tãti,quãti valeat. Minores verò,non perdũt suas domos,in quibus falsa moneta fabricatur: vsq; ad *n.*98.

EX QVÆST. CXV. Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Tondens,seu minuens monetam, quando, & qua pœna puniatur.

10 REGVLA sit,quod Tondens,seu Radens monetã,si seruus est, supremo supplicio afficitur: si verò liber, ad bestias datur,quod est pœna mortis naturalis: nec de hoc ambigitur in Statu Ecclesiæ ex *Const.Pij V.* Eóque fortiùs procedit in tendente monetã imagine Principis impressam, quia is puniẽdus videtur pœnâ ignis, ex *l.*3.*C.de vet.numism. lib.*11. verius tamen est, tantùm capitaliter puniri. Tondens autem monetam excessiuam, eámq; 11 reducens ad iustum pondus, licèt non videatur puniendus; alij voluerunt, & forsan veriùs,saltèm extra ordinem illum puniri, & in Statu Ecclesiastico ordinariè plectuntur ex bannimentis generalibus.

EX QVÆST. CXV. Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Expendens, vel retinens falsam monetam,quando, & qua pœna puniatur.

12 EXPENDENS falsam monetam, de lure communi pœna falsi punitur: cuius loco hodie successit bannum perpetuum; in Statu verò Ecclesiæ pœna mortis, & confiscationis bonorum, si Expendens fuerit particeps fabricationis. Retinens autem scienter,pœna extraordinaria: sed ista retentio, participationis inducit indicium: eóq; magis, si fuissent reperta instrumenta apta ad cudendum,quãuis plures domum, vbi fuerunt reperta,inhabitarẽt; præcipuè si nescirent reddere rationem, quomodo ad eius manus peruenissent. Sic & pariter 14 indicium oritur ex eo,quod quis fuerit visus emere talia instrumenta, iuncta mala fama. Et in proposito,maximè per Iudicẽ considerandum est, an is, in cuius domo reperta fuerint,verisimiliter potuerit ignorare eorum existentiam,& vtrùm sint apta ad aliud aliquod opus faciendũ. At si quis 15 sciens monetæ falsæ fabricatores, ab illis monetas receperit, vt eas expendat,& sic auxilium expendendo præstiterit,tunc regulariter tenetur eadem pœna, qua fabricatores ipsi,eóque fortiùs si pluries expenderit: extendendo ad Mercatores,& Cãpsores permutãtes monetas vilioris pretij, & minoris cursus cũ moneta meliori; sed istis casibus semper pœna erit extraordinaria,& arbitria citra mortem. Et licèt ali- 16 qui dixerint contra expẽdens tonsam monetam non dari actionem criminalem,attamen certum est posse inquiri; quamuis si paruam quantitatem expenderint, non puniantur: & quæ sit parua quantitas,multũ Iudicis arbitrio defertur, inspecta qualitate personarum, & negotij. Expendens monetam veterem,reprobatam, & ex bãnitam, non quidem pœna falsi, sed extra 17 ordinem de Stellionatu absque infamia mulctatur: & singulariter retinens falsam monetam animo expendendi pro tanto, quanti valet,nullo modo punitur; præsertim si retineat incisam, vel expendat cum protestatione.

Non itidẽ tenetur quando docet, à quo habuit: quinimò videtur sufficere sola no- 18 minatio, etiã non data probatione per testes: quod intellige, dũmodo sit homo bonæ famę: at si velit probare per testes,satis est istos deponere,expendentẽ,seu retinẽtẽ,ab aliquo habuisse, licèt ignorẽt à quo, & id probatur per dictum vnius testis,data bona fama retinentis, & expendentis.

Non pariter procedit Regula in Reti- 19 nente,seu Expendente ignoranter, & sine dolo: nec ab ista conclusione est recedendum in iudicando, quamuis Alij contrà, & ista ignorantia probatur iuramento; nisi in contrarium adsit scientiæ præsumptio quoniam à dolo excusat quælibet causa, etiam iniusta,& bestialis; nisi tamen ignorantia esset crassa, vel affectata; quæ talis dicitur, quando ex inspectione monetæ

quis

quis per seipsum, vel per Peritos falsitatem cognoscere valet: & hinc est, quod si is, qui falsam monetam retinet, aut expendit, fuerit talis, quod facilè cognoscere possit falsitatem pecuniæ, vt quia Campsor, tunc
20 nisi doceat vnde habuerit, punitur arbitrio Iudicis: sic & eam vendens, quoniam tunc dolus præsumitur: vsque ad *n. fin.* 166.

EX QVÆST. CXVI. §. I.

ARGVMENTVM.

De pluribus, ac diuersis pœnis, quas Rei criminis læsæ-maiestatis incurrunt.

QVIDQVID esset antiquitus; hodie
1 in crimine læsæ-Maiestatis *Prima* est pœna mortis. *Secunda*, infamiæ: sed ad hoc, vt infamia incurratur, requiritur aut Rei confessio, aut sententia. *Tertia*, vt arma, seu insignia eius deleantur, ac destruãtur. *Quarta*, vt depingatur in tabella cum capite deorsum, nec possit hæc imago corrumpi sub pœna quingentorum aureorũ; imò si quis corruperit contemptu Principis, dicatur etiam Rebellis. *Quinta*, vt eius memoria damnetur. *Sexta*, de Iure Canonico Laïcus anathematizatur. *Septima*, pœna confiscationis bonorum, quæ incurritur ipso iure: & Declaratoria requiritur tantùm, ad effectum executionis sententiæ latæ à Iure, & sic quoad adeptionem bo-
2 norum; istóque casu sentẽtia retrotrahitur ad tempus commissi delicti: sed nõ habet locum nisi quando hoc crimen cõmittitur vel contra Principem, vel contra Rempublicam. Aliqui tamen voluerunt quandocumque habere locum. *Octaua*, vt huiusmodi Reus possit impunè occidi *Nona*, vt
3 eius domus deuastetur, ita vt vestigia non remaneant, & sic destructa, non possit amplius reædificari sine licẽtia Principis: quæ tamen pœna deuastationis non habet locum, quando ipsa domus esset communis cum alio delinquente: nec etiam quando vxor habuerit illam sibi pignoratam, vel hypothecatam pro sua Dote. *Author* verius esse dicit, quod si delinquens non habeat alia bona, quàm domum deuastandã, tunc Fiscus de suo satisfacit vxori, seu aliis ius in ea habentibus: & hæc pœna dirutionis tantùm imponitur in expositis in *leg. quisquis, C. ad l. Iul. Maiest.* Quod si agatur ad memoriam damnandam, tantùm imponitur pœna confiscationis bonorum.

EX QVÆST. CXVI. §. II.

ARGVMENTVM.

Rei læsæ-maiestatis quid amittant vltrà pœnas propositas.

REGVLARITER iste Reus amittit beneficia Iuris Ciuilis; iura etiam § Municipalia; omnia priuilegia à Consuetudine introducta; sibi ius non redditur; perdit patriam potestatem; eius filij priuãtur quocunque iuris beneficio, & perdunt iura sepulchrorũ, & insignia domus. Amittit insuper testamenti factionem actiuam, & passiuam; administrationem bonorum suorum, & aliorum extraneorum, si quam habeat: ac eo ipso quod tale crimen committere cogitauerit, non potest amplius alienare, donare, ac dotes constituere, quãuis de crimine constet post obitum: & ante condemnationem, si alienatio fiat ex titulo lucratiuo, reuocatur; si ex oneroso, debitor sciens, ei soluendo non liberatur: priuatur 6
ipso iure dominio bonorũ suorum: filius f. hoc delictum committens, etiam præteritus, testamentum paternum non rumpit, & potest expressè à Patre exhæredari. Non tamen amittunt Maiestatis Rei ipso iure ea quæ sunt Iuris Canonici naturalis, & Gentium.

EX QVÆST. CXVI. §. III.

ARGVMENTVM.

Filij quando, & qua pœna puniantur propter crimen læsæ-maiestatis à Patre commissum.

REGVLARE est in hoc crimine, vt filij pro Patre teneantur: priuentur 7
omni successione, tam ab intestato, quàm ex testamento ipsis obueniente, ex, quibuscumque bonis paternis, maternis, auitis, aliorúmque proximiorum, & extraneorũ quorumcumque: quinimò & etiam Legitima, ac successione feudi, siue sit paternum antiquum ex pacto, & prouidentia, siue etiam sit hæreditarium: efficiuntur infames, quãuis sint emancipati, vel naturales, ex illegitimo Matrimonio procreati: quinimò & cõprehendũtur spurij nepotes, & filij nati ante delictũ Patris. Alij contrà

8 Filiæ fœminæ non nisi Legitimam in bonis paternis consequi debent, non tamen priuantur successione Extraneorum, nec incurrunt pœnam infamiæ. Et licèt Aliqui voluerint per delictum læsæ-Maiestatis commissum à matre, filios easdem
9 pœnas incurrere; Contrarium tamen est verius: quia licèt priuentur successione omnium bonorum, non tamen priuantur sibi donatis inter viuos à Matre, & peculio Castrensi. Filij autem adoptiui non includuntur, nec filij Clerici priuantur beneficio Ecclesiastico, nisi hoc crimen esset commissum aduersus Papam, vel Car-
10 dinales. E contrà Pater non tenetur pro filio, nec Vxor pro Viro. Non extenditur ad alios Agnatos præter filios, qui non priuantur vnquam alimentis: & tunc demum tenentur, quando de delicto constet per veras & legitimas probationes: secùs, si per sententiam contumacialem: ac quando sic priuantur, hæreditas defertur substitutis, siue venientibus ab intestato, excluso Fisco. Istos filios Papa, seu Imperator, necnon Princeps potest restituere, imò eo ipso, quòd vocantur, & tractantur vti fideles Vasalli, tenentur remissi, & restituti ad bonam famam; & si ab Imperatore, etiam quoad Ordines Ecclesiasticos suscipiendos: ac tandem hodie de Consuetudine, *l. quisquis*, non extenditur ad filias, nec ab ista consuetudine in iudicando recedendum est. vsque ad *num.* 147.

EX QVÆST. CXVI.

§. IV.

ARGVMENTVM.

In crimine læsæ-Maiestatis quando puniatur affectus non secuto effectu.

11 REGVLARITER in crimine læsæ-Maiestatis punitur conatus, effectu non secuto: solus tractatus, solúmve consilium, & sola machinatio, seu ordinatio eadem pœna punitur, ac si effectus fuisset secutus: imò & sola cogitatio, nisi steterit in puris terminis voluntatis. Et licèt in hoc crimine, nec etiam habeat
12 locum pœnitentia secundùm Canonistas, hoc sanè intelligendum, quando delictum est consummatum; quia quando non est deuentum ad aliquem actum, tantùm aliqua pœna imponitur, quia solus tractatus, & sola machinatio est punibilis; non tamen tenetur pœna læsæ-Maiestatis, qui tractauit vt adueniēte Principe ei nō præstaretur obediētia, si adueniēti obedientia, & fidelitas præstita fuerit: veriùs tamen est, vt in contingenti casu spectanda sit qualitas personæ, locus & tempus prolatorum verborum: vsque ad *n. fin.* 171.

EX QVÆST. CXVII.

ARGVMENTVM.

De excusationibus, quas Reus læsæ-maiestatis ad sui defensionem adducere potest,

PRIMA erit excusatio in proposita quæstione, quòd illud crimen contra 1
Principem commissum, non principaliter & directè, sed incidenter, secundariò, & indirectè commissum fuerit; præsertim in materia turbatæ iurisdictionis: quia statuta punientia huiusmodi delictum interpretanda sunt, quando committitur principaliter, & directè: & ideò occupans Castra sui Principis, non principaliter animo ipsum offendendi, sed alia de causa, non punitur pœna læsæ-Maiestatis: sic & seditio non principaliter, sed incidenter facta, pœnam ordinariam non meretur.

Secunda erit ignorantia, offendens enim Principem suum, credēs offendere alium, 2
Reus læsæ-Maiestatis non efficitur: nec tale delictum committitur ab eo, qui aliquid facit contra Principem iusto metu perductus: & hinc ciuitates occupatæ ab aliquo Tyranno, non dicuntur suo Principi Rebelles.

Tertia, quia hoc crimen non committitur absque animo damnificandi suum 3
Principem: ideò ex defensione necessaria quis excusatur; dolus enim vbi non est, ibi nec etiam consideratur delictum: & hinc Principem offendens cum lapide proiecto per lasciuiam, hoc crimen non dicitur committere.

Quarta, quando quis offendit ex odio priuato, & non est contemptu Principis, 4
ideóque faciens tumultum, seu seditionem ex priuata inimicitia, non dicatur Reus læsæ-Maiestatis: Verius tamen est, quod Princeps quoquo modo offendatur etiam ex odio particulari, crimen læsæ-Maiestatis patratur, licèt semper in dubio facienda sit interpretatio, vt præsumatur minus graue delictum: vsque ad *n. fin.* 54.

EX

EX QVÆST. CXVIII.

ARGVMENTVM.

De pluribus specialibus in crimine læsæ-Maiestatis.

CAVSA læsæ-Maiestatis summariè, simpliciter, de plano, sine strepitu, & figura iudicij tractatur: defensiones tamen Inquisito non denegantur: nec procedi potest de facto, & præcipitanter, non seruatis substantialibus à Iure naturali, vel gentium introductis. Formatur processus per inquisitionem, & denunciationem: non requiritur citatio, si crimen sit notorium: imò, si procedatur contra Retinentem terras Ecclesiæ, vel Imperij, indistinctè citatio non requiritur: ipséque Princeps quandocunque in hoc crimine potest esse Iudex, quamuis sit feudatarius: & quia solus Princeps est Iudex competens, & ad ipsum solùm, vel ab eo delegatum spectat cognitio, & punitio, cùm hoc sit de sibi reseruatis; hinc est, quod in generali delegatione non censetur delegata cognitio, huius causæ, si directè committatur contra concedentem. In probatione huius delicti sufficiunt præsumptiones, & coniecturæ nisi de crimine Rebellionis agatur, quod publicè committitur. Ab accusatione desisti non potest: prohibitum est aduocare: supplicantes pro Reo sunt infames, & tanquam auxiliatores puniuntur; licèt hodie id non attendatur in practica. Extende specialiter vt in hoc crimine, Accusatore non probante, adhuc Reus non absoluatur, sed teneatur probare suam innocentiam, si vrgeant indicia: memoria defuncti damnatur: ad accusandum admittuntur inhabiles: & etiam fama non præcedente, formatur inquisitio. Nullo tempore hoc delictum præscribitur: confugiens ad Ecclesiam non gaudet illius immunitate: generalis Indulgentia non trahitur ad istos Reos: torquentur etiam minores: socius facit indicium ad torturam, quæ sine etiam indiciis infligitur: Testes singulares, & inhabiles probant: huius criminis Deus, siue publicus, siue occultus, potest impunè occidi: receditur à Regulis Iuris, & licitum est iura transgredi: vsque ad *num. final.* 39.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS DECIMA-QVARTA.
EX
LIBRO QVARTO, TITVLO DECIMO-QVARTO, QVÆST. CXIX. DE HOMICIDIO IN GENERE.

ARGVMENTVM.

De homicidij atrocitate, diffinitione, etymologia, & distinctione: quot modis committatur? de illius pœna; & quando locum habeat.

HOMICIDII crimen grauissimum, & atrocissimum
1 est: inter horrenda & terribilia reputatur: est enim occisio hominis ab homine facta. Duo homicidij sunt genera, vnum scilicet spirituale, aliud verò corporale. Spirituale committitur. Primò, detrahendo famæ alterius. Secundò, persuadendo alicui malum. Tertiò, odio prosequendo. Quartò, quouis modo proximo nocendo. Quintò, denegando fratri suo indigenti alimenta. Corporale verò aliud est simplex, aliud qualificatum simplex quando occiditur homo nullo gradu consanguinitatis, cognationis, seu affinitatis coniunctus. Qualificatum, è contrà. Sed melius,
2 quatuor sunt homicidiorum species, quatuórque modis homicidium consideratur. *Primò*, tanquam casuale, & non formale. *Secundò*, casuale & formale simul. *Tertiò*, formale, & non casuale. *Quartò*, neque casuale, neque formale. Casuale, & non formale, quando manibus non occiditur,
3 sed occidi mandatur: Formale & casuale, quando occiditur ex proprio motu, & propriis manibus: Formale & non casuale, quando occiditur de mandato alterius: Non casuale, neque formale, quando quis furiosus, seu infans, alterum occidit: vsque ad *num.* 4.

Homicidij pœna intrat, quoquo modo homo vita priuetur: & est vltimi sup- 4
plicij, etiam de Iure Diuino: ab hac pœna nulla dignitas excusat: imponitur tam masculo, quàm fœminæ: non datur distinctio personarum in parte occisi, quamuis homicidium committatur in duello, quod hodie penitus est prohibitum ex *Bullis* Iulij II. 5. *fol.* 156. Leonis X. 20. *fol.* 233. Clementis VII. 11. *fol.* 298. Pij IV. 25. *fol.* 686. *p.* 1. Gregorij XIII. *fol.* 1319. *Bullar. p.* 2. & Clementis VIII. Sed ad hoc vt pœna Duelli locum habeat, necesse est vt præcedat tractatus, & deliberatio: si enim incontinenti orta rixa, vnus alterum ad duellum inuitat, incontinentíque ad aliquem locum accedentes dimicant, tunc vtique pœna duelli ex prædictis constitutionibus locum non habet: vsque ad *numerum* 25.

Pœna item homicidij locum habet in 5
Parricidio, Veneficio, occidente seipsum, faciente abortum, in Assassinio; non tamen in Patre occidente filiam, seu in Marito

Marito occidente Vxorem in adulterio deprehensam. In homicidio ad necessariam defensionem commisso, in
6 culposo, & casuali, in commisso præter intentionem; in occidente vnum putante occidere alium; in vulnerato, mortuo ex Medicorum negligentia, seu malo regimine.

EX QVÆST. CXIX.

Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Statuto, seu Consuetudine, an, & quando fieri possit, vt pro homicidio pœna mortis non imponatur.

REGVLARITER non valet Statutum, nec Consuetudo, ex quibus pro homicidio pœna pecuniaria
7 imponitur, parua & contemptibilis: valeret tamen, si imponeretur cum causa, vt est Senis, & in illius Statu, vbi pro homicidio commisso in rixa imponitur pœna trium millium librarum denariorum, quod Statutum ego pluries seruaui in iudicando. Stantibus ergo huiusmodi Statutis, receditur à pœna Iuris communis: imò si ex
8 istis disponatur, quòd homicida condemnetur in centum, quæ nisi soluerit infra mensem, decapitetur, adhuc; nisi soluat, decapitari non potest. Et stante Statuto, provt est Perusij, quod qui occidit vnum, possit se redimere soluendo libras sexcentas, si verò occidat duos, debeat decapitari: quando ex
9 duobus occisis vnus erat Bannitus, Statuti pœna non intrat, quia bannitus non connumeratur inter occisos, cùm iam fuerit mortuus, & eius occisio permissa, erit benè locus, quando quis duo homicidia commiserit ex interuallo, quamuis pro primo iuxta formam Statuti, pœnam pecuniariam soluerit: vsque ad *numer.* 45.

***

EX QVÆST. CXIX.

Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Homicidij pœna de Iure Canonico quæ sit tam in laïco, quam in Clerico? An Clericus pro homicidio ipso iure beneficio priuetur? & an ante condemnationem ipsius beneficij faciat fructus suos, & an illud possit renunciare.

CLERICVS propter homicidium non degradatur, sed deponitur, 10
siue illud propriis manibus committat, siue fieri mandet, consulat, vel suadeat. Hodie verò pro homicidio voluntario Clerici condemnãtur, & transmittuntur ad triremes, aut ad tempus, aut in perpetuum, secundùm quod eadem homicidis qualitas exposcit: efficiuntur Irregulares; beneficiis, si quæ habent, priuantur; & redduntur inhabiles ad alia consequenda: sed Episcopus dispensare potest, præterquàm in præiudicium illius, qui tale beneficium impetrauit, & præter beneficium cum cura Animarum; hoc de Iure commu- 11
ni, quia per Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. sancitur, homicidas nullo tempore ad sacros Ordines posse promoueri, nec illis aliquod Ecclesiasticum beneficium conferri: quod si homicidium fuerit casuale, vel vim repellendo perpetratum, casu quo dispensatio sit concedenda, causa committitur Ordinario, qui verificatis precibus dispensat. Beneficiis tamen ipso iure non 12
priuantur, nisi ex Assassinio, vel nisi Beneficiatus in aliqua Ecclesia occidat Conbeneficiatum, seu suum Prælatum: requiritur enim in aliis casibus sententia priuationis; quæ donec promulgetur, facit fructus suos, nec illos post priuationem restituit: ideóque non prohibetur post homicidium, ante condemnationem, beneficium renunciare, etiam ad fauorem certæ personæ: licèt
inquiratur de Parricidio, & quocum- 13
que alio grauissimo crimine; dummodo in resignatione, & renunciatione fiat mentio accusationis, & inquisitionis. Et quamuis Alij contra; non recedas. Extendendo, quod id facere possit post sententiam, si ab ea fuerit appellatum, vel appellari potuerit, quamuis bene-

ficium iam fuerit impetratum à Tertio, data ignorantia impetrantis : vsque ad *num.* 94.

EX QVÆST. CXIX. Inspectio IV.

ARGVMENTVM.

Homicida, vltra pœnam mortis, tenetur hæredibus occisi ad damna, & interesse, quando hoc verum sit, & de materia.

14 REGVLARITER Homicida Hæredibus occisi tenetur ad damna, & interesse, siue damna sint extrinseca, putà ad æstimationem operarum; siue non : & hæc æstimatio fieri debet habito respectu ad tempus, quo verisimiliter viuere potuisset secundùm formam, & computationem; de qua in *L. hæreditatem, ff. ad leg. falcid.* Insuper tenetur ad expensas Medicorum, medicinarum, aliarúmque rerum, pro curatione occisi, tempore eius infirmitatis, adhibitarum, & ad interesse animæ
15 ipsius : qua propter hoc interesse etiam taxari debet, vt pro Anima fiat perpetua fundatio, vel eleemosyna, secundùm facultates occidentis, eóque magis tenetur ad æstimationem operarum Hæredibus occisi, quando illi viuente occiso sustentabantur ab eo cum suis operibus, & lucris. Quod etiam procedit in socio occisi qui petere potest damnum emergens ex morte socij occisi ab occisore. Et hæc æstimatio damnorum, expensarum, & operarum, habet locum etiam quod vulneratus non iacuerit in lecto, & homicidium fuerit culpâ commissum in rixa, quo casu solùm tenebitur qui occiderit, non qui vulnerauerit:
16 & hæc tota restitutio debetur de Iure diuino, vt *Exod. cap.* 21. Datur in præmissis iuramentum in litem ipsi vulnerato, & hæredibus, licèt iuramentum huiusmodi præstari non debeat, nisi præuia taxatione Iudicis. Et hæc procedunt, quando vulnus fuit illatum, aut homicidium patratum dolo; secùs, si culpâ; quia tunc damna & interesse non probantur per iuramentum in litem, sed ex officio Iudicis : vsque ad *n.* 115.

17 Vulnerans, & ipse tenetur ad damna, & interesse, ad æstimationem operarum amissarum, & lucri cessantis; quamuis ab inquisitione fuerit absolutus: eóque magis, si ex vulnere secuta sit debilitatio corporis; quia tunc obligatur pro amissis operibus, & lucro in futurum cessante. Ex vulnere verò deformitatem inducente ratio habetur in muliere nuptui tradenda, cui propter deformitatem ex cicatrice prouenientem longè maiorem dotem constituere oportet; ideóque hoc damnum resarciri debet à vulnerante : vsque ad *n.* 120.

Regula tamen firmata non procedit in homicidio casu commisso: nec in eo, 18 qui aliquem vulnerauerit, aut occiderit ad sui necessariam defensionem : sed singulariter si volens offendere aggressorem, alium fortè transeuntem vel adstantem, vel mediatorem occiderit, seu offenderit; ipsi tenetur. Quo verò ad alimenta hæredibus præstanda, non debentur, nisi ipsi sint filij, aut tales, quos occisus alere tenebatur : & in præmissis vide omnino text. in *L. si verò plures*, §. *hæc autem actio*, & §. *seq.* & ibi scribentes, *ff. de iis, qui deiecer. vel effud.* vsque ad *n fin.* 128.

EX QVÆST. CXX. Sect. I.

ARGVMENTVM.

De Parricidij pœna, & atrocitate : & an Statutum de homicidio loquens locum habeat etiam in Parricidio.

PARRICIDII crimen horren- 1
dissimum, detestabile, & grauissimum est, ac inter delicta quæ in hominem committuntur, nullum horribilius censetur : an verò dicatur comprehensum in Statuto disponente de homicidio? varia variis dicentibus, *Author* conciliando opiniones distinguit; quod si Statutum disponat in fauorem hominis vltra ius commune, Parricidium non comprehendatur; si autem Iuri communi addat in odium huius delicti, tunc includatur. Parricidij verò pœna, 2
Omissis illis quæ antiquitùs imponebantur, & de quibus ab Authore fit mentio, hodie est vltimi supplicij, cum aliquo alio genere mortis, arbitrio Iudicis, secundùm qualitatem, & consuetudinem regionis, vbi fuerit commissum. Singulariter verò in hoc crimine

mine non habet locum pœna confiscationis bonorum, sed ista deferuntur venientibus ab intestato. De hac materia vide pleniùs *suprà*, *Succip.1.q.8.*

EX QVÆST. CXX. Sect. II.

ARGVMENTVM.

Parricidium, vel homicidium committens, quando Occisi hæreditate & successione priuetur.

3 HÆREDITAS Occisi, ex testamento, vel ab intestato delata Parricidæ, ab eo aufertur, & Fisco applicatur, etiam in præiudicium filiorum ipsius Occisoris, qui etiam feudo paterno priuantur: Extendendo ad occidentes filios, Vxorem, aut fratres Testatoris; non solùm si dolosè occidat, sed etiam culpâ, & negligentiâ, in infirmitate non ministrando necessaria, & Medicum non quærendo, aut malum Medicum adhibendo. Attamen in con-
4 tingentia facti *Author* dicit, quod causa fuit composita, cùm aduersentur opiniones, an Fisco in præiudicium agnatorum applicetur hæreditas, an verò cedat in pari gradu occidenti coniunctis. Et licèt Fiscus quandóque auferat hæreditatem ab occidente tanquam ab indigno, hoc tamen intelligitur, si filij, & descendentes venirent ad successionem occisi, non ex propria eorum persona, & suo Iure, sed ex persona occidentis.
5 Licèt Statuto fieri possit, quòd occisi hæreditas non ad Fiscum, sed ad alios proximiores, vel succedentes ab intestato pertineat: imò eo ipso, quod Statutum mandat, occisorem non succedere; censetur etiam voluisse, quod hæreditas, non Fisco, sed aliis proximioribus deferatur: nec à conclusione recedas, quidquid Alij contra: vsque ad *n.56.*

EX QVÆST. CXX. Sect. III.

ARGVMENTVM.

Maritus occidendo Vxorem, quando perdat lucrum dotis.

6 COMMITTITVR à Marito Parricidium, occidendo vxorem: & ideo priuatur lucro dotis, sibi ex pacto proueniente post mortem. Vxor verò occidendo virum, priuatur donatione propter nuptias, & perdit dotem. Quòd si Maritus occidat Vxorem in adulterio deprehensam, consequitur tantùm lucrum legale, non autem conuentionale. Extende vt priuetur lucro dotis in cæteris casibus, etiam in præiudicium filiorum communium, sed applicatur hæredibus vxoris, excluso fisco: vsque ad *n.74.*

EX QVÆST. CXX. Sect. IV.

ARGVMENTVM.

Maritus non adhibendo Medicum, & non subministrando Vxori suæ infirmæ medicinas, & alia necessaria; an, & quando priuetur lucro dotis.

MARITVS non adhibendo Medicum in infirmitate suæ vxoris, 7
si ea obierit ob talem negligentiam, omni lucro & commodo, tam ex pacto, quàm ex lege, Consuetudine, & Statuto sibi proueniente, priuatur. Ac par est, Medicum non adhibere, & imperitum adhibere. Idem est, vxori alimenta denegare. Quinimò nisi adsint Medici, vbi vxor infirma reperitur, Maritus obligatur aliunde quærere, quãdo locus, inquo Medici commorantur, sit vicinus; & eius facultates hanc expensam suadeant: sed in infirmitate longa, si Maritus sit pauper, nec habeat tot facultates, quibus possit vxorem alere, & curare, ad id non obligatur nisi iuxta facultates dotis, & illius fructus. Idem non priuatur lucro dotis in infirmitate incurabili, non prouidendo Medicum, & alia necessaria, nec etiam si alibi infirmetur, & ab alio necessaria prouideantur. Et quia Medicum semper præ- 8
sumitur adhibitum esse, contrarium asserens, probare tenetur: & ad fundandam eius intentionem, necesse est quod probetur adhiberi potuisse, & non fuisse adhibitum, nisi essemus in Ciuitatibus & locis insignibus, vbi adesset Medicorum multitudo. Quòd si 9
à principio non curauerit, sed postea fecerit curari, non priuatur. E contrà,

Vxor

Vxor hæc & similia non gerens, in infirmitate Viri, culpa lata intercedente, ac talis vt omnino morti causam dederit, legato, & donatione propter nuptias priuatur: vsque ad *n.*103.

EX QVÆST. CXX.

Sect. V.

ARGVMENTVM.

Parricidium quando, & quot modis committatur? quandóue eius pœna locum habeat, nec ne.

10 LICET olim homicidium vocaretur Parricidium, quasi sit paris hominis occisio, attamen hodie Parricidium propriè dicitur quando filij occidunt Parentes, Auum, Auiam, omnésque Ascendentes in infinitum: & è contrà, dicti Parentes occidunt filios, nepotes, ac descendentes in infinitum.

11 Committitur etiam à filio naturali occidente patrem, à Priuigno, seu priuigna occidentibus vitricum, seu nouercam, à Liberto occidente Patronum, vel Patronam. Insuper Parricida dicitur qui occidit patrem spiritualem, scilicet Baptizantem: socer, seu Socrus

12 occidentes Generum, vel Nurum: Frater occidens fratrem, vel sororem, siue patrueles tantùm, siue matrueles tantùm; quinimò & fratrem seu sororem, sobrinum vel sobrinam, ac generaliter omnes Transuersales vsque ad quartum gradum. Frater autem procurans carcerationem sui fratris, & Maritus occidens Vxorem, siue sponsam, parricidium committunt. In crimine Parricidij iracundia non excusat, sed singulariter consanguineus venenans carceratum consanguineum ne publicè decapitetur, & ad effugiendam publicæ mortis ignominiam, de parricidio tenetur, & vti Parricida puniendus est: licèt

13 secundùm *Authorem* Iudex non erraret, si in contingentia facti pœnam extraordinariam citra mortem imponeret. In hoc crimine extranei quoque tenentur, si de eorum mandato fuerit commissum: vsque ad *n.*138.

In huiusmodi delicto nulla excusatio

14 habet locum: eius accusatio perpetua est: vnusquisque opem aliquam, consilium, aut auxilium præstans, etiam post Parricidium sepeliendo cadauer, ne detegatur: quinimò & Medicus, qui filio venenum dedit vt patrem occideret, vltimo supplicio afficiendus est. Extende ad subministrantem pecuniam filio, ad parricidium committendum; ad nuncios euntes ante, & retro portantes litteras, aut quid simile facientes ad præparationem patrandi parricidij, si mors inde sequatur: quinimò Parricidij pœna locum habet, etiam effectu non secuto, quando veneno perpetratum fuit. Alij contra. Amplia, quod sola scientia filij, siue etiam extranei, absque vlla prorsus Parricidij participatione faciat istos incurrere Parricidij pœnam. Alij contra, & veriùs, secundùm *Authorem*, optimis rationibus hanc contrariam opinionem defendentem: vsque ad *n.*159.

Limita modò propositam Regulam, 15
vt genitus ex damnato coitu, scilicet ex incestu, non dicatur committere Parricidium: ac pari passu filius adoptiuus: nec filius expositus in Hispitali: imò nec Pater, qui occiderit filium ex ingratitudine in se commissa: & hinc est quod Pater occidens filium adulterantem eius nouercam, extraordinariè tantummodò punitur. Sic & filia, si procurauerit mortem Patris, qui eam carnaliter cognoscere voluisset; vel filius occidens Patrem venientem contra fidem Christi, nullo modo puniuntur. Sic & Parentes, quorum culpa, & iniuria in eorum lecto filij suffocantur, quamuis grauiter delinquere dicantur; non tamen pœnâ mortis puniuntur, quamuis culpa fuerit grauis; licèt, si de dolo constaret apertè, qui tamen non præsumitur, de parricidio tenerentur. Fu- 16
riosus verò occidens Patrem, vel parricidium committens sine dolo, & sic occidens per ignorantiam, parricidij pœna non tenentur; provt nec occidens ad sui defensionem necessariam. Ita & Pater filium corrigendo occidens præter intentionem: quod si secus, puniretur, saltèm extra ordinem; cùm ei liceat atrociter verberare, & percutere. Similiter occidentes filium mon- 17
struosum, nulla pœna vinciuntur. Monstruosus autem partus erit, si habuerit caput, corpus, aut aliud notabile membrum animalis bruti. Quòd si maritus in domo vxoris fuerit repertus occisus, Vxor poterit torqueri ad indicandam mortem, si taceat, & Curiæ non denunciet: vsque ad *n. fin.*169.

EX

EX QVÆST. CXXI.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Patri an, & quando liceat filiam in adulterio deprehensam vnà cum Adultero occidere.

PATRI impunè permittitur fi-
1 liam in adulterio repertam vnà cum Adultero occidere, quamuis sit pater naturalis, vel adoptiuus: quæ tamen opinio à Canonicis Doctoribus communiter damnatur. Ampliando, quod iuxta prædictam opinionem permittatur occidere etiam Clericum adulterum repertum cum filia in actis venereis, siue adulter sit nobilis, siue
2 quacumque dignitate præfulgens; imò & homicidium committere alteri, quo casu mandatarius esset immunis ab omni pœna, si tamen Pater hoc mandaret ratione impotentiæ, putà, quia senex, vel infirmus, & post mandatum mandatarius incontinenti occiderit. Alij contra asserentes, id mandari non
3 posse, nisi filio. Declara, vt patri filiam adulteram tunc occidere permittatur vnico scilicet impetu, non autem ex interuallo, licèt aliquæ horæ hoc interuallum non constituãt, & aliqui voluerint, etiam post sex menses non considerari. Sed ad hoc vt licitè occidere valeat, reperire debet adulterantem vel in domo propriæ habitationis, vel viri sui, scilicet Generi: nec ab homi-
4 cidio esset immunis, si Adulterum tantùm occideret, filiam autem liberè dimitteret: sufficeret tamen omnem conatum facere de occidendo, quia tunc perinde esset ac si occidisset; putà, lethaliter vulnerando. Singulariter ipsi prohibetur occidere filiam emancipatam, viduam, vel si ipse esset leno, aut
5 aliqua ignominia notatus. Nec licet occidere filiam ignominiosam contra leges matrimonium contrahentem. Et quandocumque sibi liceat occidere, semper intelligitur, dummodo deprehendatur in ipsa turpitudine, & rebus venereis, scilicet si fuisset in præludiis adulterij, vt putà in lecto, in conuiuiis,
6 in osculis, in tactu, & similibus. Hæc impunitas non extenditur ad Auum, cui prohibetur occidere Neptem, sic & filio adulteram matrem, patri sororem, & Matri filiam; ea ratione, quia in odiosis non fit extentio de Persona ad personam. Possent tamen isti Con- 7
iuncti occidere Raptores impunè inuentos in flagranti si aliter Raptum impedire non possent: & quocumque casu, tam pater, quàm Maritus occidendo filiam, & Vxorem, vt suprà in adulterio deprehendas, semper mortaliter peccant; ideóque ab huiusmodi homicidiis abstinendum est: vsque ad *num.* 56.

EX QVÆST. CXXI.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Marito, an, & quando liceat Vxorem in adulterio deprehensam, ac ipsum Adulterum occidere.

MARITO non licet impunè occi- 8
dere Vxorem in adulterio deprehensam: quidquid Alij contra. Sed bene verum est, quod punitur mitius. Et si Adulter esset vilis, scilicet turpis, & ignominiosus, omnimodè esset absoluendus Maritus. Ex quo firmatur Regula, vt maritus occidendo Vxorem in adulterio deprehensam mitiùs puniatur: sic & pariter si eandem inueniat prægnantem ex adulterio. Ita pariter licet Domino occidere seruum Adulterantem cum sua Vxore: non tamen è contrà licet seruo occidere Dominum. Secundùm autem legem Longobardorum licèt Marito absque vlla pœna occidere Vxorem adulteram vna cum Adultero, nisi tamen sit vilis, & ignominiosus, ipséque Adulter sit, vel Con- 9
cubinas retineat: sed verius est, vt quandocumque non ordinariè puniatur, siue sit fornicator, siue non; & siue Adulter sit nobilis, siue Vilis, dummodo reperiat in turpitudine, & in rebus venereis, seu in præludiis adulterij. Et quando præcesserint tres denunciationes, de quibus *Auth. si quis ei, C. ad L. Iul. de adulter.* sufficit reperire loquentem Adulterum cum Vxore. Ac demum concludas quod liceat tantùm occidere incontinenti, secus ex interuallo: quia licèt aliqui velint ex interuallo licere, attamen, quia res est valde dubia,

&

& hinc inde militant rationes vrgentes, in contingentia facti, ſerua *text. in l. non puto, ff. de iure fiſci:* ſed Principe con-
10 ſulto, & non aliàs. Filio autem indiſtinctè non licèt Patrem adulterantem cum vxore ſua occidere, provt nec vxori Maritum in adulterio deprehenſum; quamuis hoc caſu etiam vxori pœna minueretur ob cauſam iuſti doloris: vſque ad *n.* 127.

EX QVÆST. CXXII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

De grauitate, & pœna homicidij veneno commiſſi, tam in Laïco, quàm in Clerico. Quid de venenante fontem, ſeu puteum? Et an Statutum de homicidio habeat locum in veneficio.

VENENO aliquem occidens pœna
1 mortis naturalis plectendus eſt, non minùs, ac ſi propriis manibus occidiſſet: imò plus eſt extinguere veneno, quàm occidere gladio: dicitur enim homicidium ſic patratum, proditoriè commiſſum: ideóque filij huius delinquentis infamiam incurrunt, & Clericus quem veneno occidens; pluſquàm homicida, vltra depoſitionem, grauiori detruſione, & longiori carceratione puniendus eſt: quod ſi in ſacratiſſima Euchariſtia venenum immittere auſerit, & aliquem interemerit, Curiæ ſæculari tradendus eſt ex Summi Pontificis declaratione. Si verò aliquis carceratum venenauerit, etiam ad euitandam infamiam, morti traditur. Statutum autem de homicidio loquens non extenditur ad homicidium veneno commiſſum, niſi in iis, quæ reſpiciunt illius
2 odium. De homicidio pariter tenetur venenans fontem, ſeu puteum, ſi aliquis ex illa aqua bibens interierit; ſed morte non ſecuta tantummodo extraordinariè arbitrio Iudicis punitur: vſque ad *numer.* 14.

***

EX QVÆST. CXXII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Affectus non ſecuto effectu, an, & qua pœna puniatur in crimine veneni.

AFFECTVS effectu non ſecuto in crimine Veneni, ſicut in homicidio, 3
eadem pœna de Iure communi punitur. Alij contrà; affirmantes, quod Statutum mandans capitaliter puniri venenare volentem, non extendatur ad præparantem venenum: licèt ſpecialiter filius venenum emens ad effectum patrem venenandi, quamuis mors inde non ſequatur, pœnam mortis incurrit. Concluſiuè loquendo affectus in crimine veneni, effectu non 4
ſecuto punitur pœna mortis, ſi deuentum fuit ad actum proximum: quod ſi ratione qualitatis, aut quantitatis non erat efficax ad occidendum, etiam quod fuerit propinatum, non imponitur pœna mortis: ſed attamen non ſecuto effectu, & actu proximo non intercedente, adhuc aliqua pœna eſt imponenda. Sed de materia vide latiùs *infrà, q.* 124.

In Statu Eccleſiæ vigore bannimentorum generalium ex ſola præparatione ve- 5
neni, animo hominem necandi, adhuc effectu non ſecuto, nec ad actum proximum deuento, pœna mortis incurritur: vſque ad *num.* 31.

EX QVÆST. CXXII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Vendens, emens, conficiens, aut retinens venenum, qua pœna puniatur.

VENDENS, conficiens, habens,
ſeu retinens venenum necandi ho- 6
mines cauſa, tenetur *lege Cornelia de Sicar.* Licèt Alij contrà; & quoad vendentem, extende ſiue publicè, ſiue in priuato loco vendat: ſic pariter & emens, dummodo venenum emptum propinauerit, & dummodo ſcienter, & dolosè emerit animo necandi aliquem: quod in ſpecie, & indiuiduè eſt probandum, præcipuè ſi

emerit

emerit publicè, & palàm: quia tunc venena vendentes, conficientes, & retinentes, puniuntur pœna *legis Corneliæ*, si animo
7 necandi homines hoc faciant: sed vendens venena discolis, incognitis, fatuis, meretricibus, aut aliis similibus, arbitrariè punitur, nisi esset particeps futuræ venenationis, quoniam tunc eadem pœna mortis plecteretur: vsque ad *n.* 52.

EX QVÆST. CXXII.
Pars IV.

ARGVMENTVM.

In crimine veneni an præsumptiua probatio sufficiat, & an etiam ad torquendum indicia leuiora sint satis.

CVM veneni crimen occultum, &
8 difficilis probationis reputetur ideò præsumptiones, & indicia sufficiunt ad condemnandum extraordinariè, si militent contra hominem malæ famæ, & fulciantur aliquo Iuris adminiculo. Et licèt Iudex in hoc crimine debeat esse facilior ad torquendum, id tamen efficere nequit, nisi præcedant legitima indicia, quæ quidem plura sunt, videlicet minæ, consuetudo delinquendi, mendacium, fuga, mala fama, conuersatio in domo venenati, variationes, inimicitia, tractatus de capiendo aliam in vxorem, vxore viuente, quando inquiritur maritus de vxoris venenatione; si verò vxor de venenatione mariti, si probetur adulterium. Item oritur contra inquisitum indicium, si venenato sit successurus, dummodò aliquid aliud concurrat, aliter secùs, quia hoc tollitur ex beneuolentia præcedenti. Item oritur præsum-
9 ptio contra eum, qui visus fuit emere venenum, præsertim si se emisse neget. Item contra retinentem venenum: & contra illum, qui fuit visus occultè cibum, & potum præparare, seu in mortario venenum triturare; Contra eum qui venenatum mortuum, occultè, & sine solitis funeralibus sepeliri curauit, seu cadauer statim post mortem calidum sepelire fecit. Indicium
10 pariter oritur ex eo quòd infirmi vomitus seruare, illósque Medico ostendere noluit. Contra eum, qui noluit comedere de cibo, qui prætendebatur venenatus. Contra eum qui cùm fuerit consanguineus, de morte non doluit, seu lætus & ridens apparuit. Contra eum, qui in infirmitate non adhibuit debitas diligentias. Hæc omnia tolluntur per eorum contraria, ex quibus innocentia præsumitur: vsque ad *num.* 90.

EX QVÆST. CXXII.
Pars V.

ARGVMENTVM.

Poculum abortionis, amatorium, conceptionis, sterilitatis, vel sanitatis præbens, aut recipiens, an, & qua pœna puniatur.

QVIA pocula abortus, amatoria, &
sterilitatis, vt plurimùm cum vene- 11
nis conficiuntur, ideò ea præbens, seu conficiens, vt homicida punitur, si inde sequatur mors: qua non secuta, humilior in metallum damnatur: honestior in insulam perpetuò relegatur, iuncta confiscatione medietatis bonorum. Et quia hodie hæ pœnæ recesserunt ab aula, hoc ideo humiliores ad perpetuas triremes; honestiores in perpetuum exilium sunt mittendi: fœminæ verò fustibus cæduntur, & seruitiis perpetuis alicuius Hospitalis traduntur. Quod si abortus non sequatur, adhuc aliqua pœna arbitrio Iudicis imponitur. Et licèt reputetur homicida, nedum qui præ- 12
bet, seu assumit poculum abortionis, sed & sterilitatis, attamen quoad poculum abortionis, quando nullus est conceptus fœtus, vel si conceptus non adhuc formatus, & animatus, huiusmodi poculum præbēs, & assumens, non tenentur pœna homicidij ordinaria, non enim sunt veri homicidæ, sed interpretatiuè impropriè reputantur. Poculum verò conceptionis mulieri præbens, si inde mors sequatur, pœna relegationis punitur: qua non secuta, nulla pœna imponitur. Sterilitatis verò sumere faciens, ex quacumque causa præbeatur, si formetur cum aliquo sortilegio, tā quoad pœnam legalem, quàm spiritualem, tanquam homicida habetur. Sic & Amatorium præbens, si pariter mors causetur, pœna mortis punitur. Quod si in huiusmodi poculi fabricatione interuenerit sortilegium, tunc ad effectum pœnam imponendi inspicienda est sortilegij qualitas, & species: & si nihil fuerit datum in cibo, vel potu, sed aliquid fuerit applicatum personæ illius, cuius amor incitari intenditur, tunc si nulla corporis læsio secuta fuerit, nec admixtum sortilegium, nulla impo-

13 nitur pœna. Clericus simile poculum amatorium præbens, de Iure Canonico beneficij priuatur: si verò abortionis, & animati fœtus abortus sequatur, deponitur, in Monasterium detruditur, & Irregularitatem incurrit. Præbens alicui venenum ad bonum finem putà sanitatis, licèt malus effectus sequatur, & mors illud recipientis, non tamen pœna mortis, sed
14 mitior imponitur. Quod si medicus infirmanti, & prægnanti mulieri suaserit abortū, cùm aliàs secundùm artem Medicinæ illi succurri non poterat, aliqua pœna non imponitur in foro Iudiciali: non sic in foro conscientiæ: vsque ad *n.* 130.

EX QVÆST. CXXII.
Pars VI.

ARGVMENTVM.

Abortum faciens, seu causam illi præbens, quomodo, & quando puniatur.

QVOD pœna mortis naturalis in-
15 fligi debeat animati & formati fœtus abortum procuranti, multi voluerunt: Alij contrà. Quod si non erat animatus aut formatus mitior pœna erit imponēda. & in dubio præsumitur inanimatus. Sed quando dicatur animatus, cùm varij varia dixerint, approbata videtur sententia Glos. *in l. Diuus ff. de extraord. crim.* scilic. quod fœtus masculinus dicatur animatus intra quadraginta dies; fœmininus verò intra octuaginta. Quibus firmatis, vsq; ad *n.* 144.

Mulier quæ suis visceribus vim infert,
16 vt partum proiiciat, exilij pœna punitur, si fœtus non erat animatus: si verò animatus, pœna parricidij tenetur. Sic pariter percutiens mulierem prægnantem, inde abortu secuto, cum eadem distinctione, pœna mortis, vel arbitraria punitur, dummodò percusserit eo animo vt abortus sequeretur, & sciens esse prægnantem. Mulier autem quæ abortum fecit propter pecuniam, nulla adhibita distinctione an fœtus fuerit animatus, nécne, morti tradi-
17 tur: sic & mater, quæ fœtum iam natum seu infantem occidit. Si verò abortus successit absque dolo, putà eleuando pondus, seu quid simile peragendo, nulla pœna imponitur. Quidquid Alij contrà. Quod tamen non procedit in Clerico, qui quomodocumque abortui causam dederit, Irregularis efficitur. De Iure Canonico Præbens pocula sterilitatis, & abortionis excommunicatur. Et in proposito singulariter nota, quod Statutum pœnam mortis 18
pro homicidio imponens, non extenditur ad occidentem fœtum, & procurantem abortum, etiam animati fœtus. Alij verò contrà. Sed à conclusione non recedas: vsque ad *n.* 166.

EX QVÆST. CXXIII.
Inspectio I.

ARGVMENTVM.

De atrocitate, & pœna Assassinij.

ASSASSINII pœna est mortis natu-
ralis qualificatæ arbitrio Iudicis: eò 1
quia crimen grauissimum & atrocissimum sit, ac delicto læsæ-Maiestatis æquiparetur: ideóque Assassinus perpetuò est diffidatus à Christiano populo: eius bona occupantibus conceduntur, & confiscantur: sententiæ excommunicationis subiacet: si sit Clericus, deponitur etiam ab Ordine, priuatur omni honore, dignitate, officio, ac beneficio, necnon testamenti factione passiua. Hæ pœnæ habent locum, & incur- 2
runtur ipso Iure absque alia sententia Iudicis, licèt requiratur Declaratoria delicti: vsque ad *num.* 17.

EX QVÆST. CXXIII.
Inspectio II.

ARGVMENTVM.

Assassinium quibus modis committatur? quando, & in quibus casibus Assassinij pœna locum habeat.

ASSASSINVS dicitur is, qui recepta
ab aliquo pecunia, mandato inter- 3
cedente, alterum occidit: quinimò, non solùm infideles illi qui Christianos occidi faciebant, de quibus in *c. pro humani, de homicid. in* 6. sed illi etiam Christiani, qui pecunia corrupti, homines interficiunt, vel interfici faciunt: & hinc Assassinij crimen committitur à quacumque persona, cuiuscumque gradus, & dignitatis existat, quāuis sit Princeps: illiúsque pœna habet locum nedum in laïcis, sed etiam in Ecclesiasticis, Clericis, Religiosis, Prælatis, Episcopis, & Archiepiscopis, siue mandent occidi, siue ipsi mandatarij exequantur.

Receptans

4 Receptans Assassinum, occultans, defendens, seu adiuuans, Assassinij pœna punitur. Committitur ex sola promissione pecuniæ, quamuis facta sine scriptura, necnon ab eo, qui alterum occidit, animo alteri complacendi, dummodò in isto sicario adsit aliqua spes præmij: quinimò & ab illo, qui occidit sub promissione, vel datione alicuius rei, etiam quod non sit
5 pecunia. Non tamen Assassinus dicitur ille, cui in præmium homicidij committendi fuerit promissa puella aliqua in vxorem: vsque ad *n.* 45.

EX QVÆST. CXXIII.

Inspectio III.

ARGVMENTVM.

Specialia in crimine Assassinij.

6 SPECIALE est in crimine Assassinij, vt probetur probabilibus argumentis quando agitur coram Iudice Ecclesiastico; secùs si coram Iudice Laïco: quod Testes recipiantur parte non citata, & lite non contestata: qui probant de auditu: nec datur appellatio: de consociis & participibus interrogatur absque indiciis; tortura infertur; potest vbique capi, & puniri.

Clericus assassinus potest absque alia
7 declaratione à Iudice sæculari condemnari: non requiritur degradatio verbalis, sed actualis confugiens ad Ecclesiam, illius immunitate non gaudet, & ab ea potest inuitus extrahi.

Hæredes Assassini etiam mortui, lite non contestata, tenentur restituere offenso, aut eius hæredibus pecuniam, quam
8 viuens accepit à mandante. Huiusmodi Assassino suis defensionibus renunciare permittitur: dicitur crimen exceptum: quinimò stanti Statuto, quod bannitus possit impunè occidi, permittere id non dicitur per assassinium de Assassinis loquentia statuta non extenduntur ad alios homicidas; & de homicidio disponentia, Assassinium non includunt: vsque ad *numerum* 77.

***

EX QVÆST. CXXIII.

Inspectio IV.

ARGVMENTVM.

Conatus, seu affectus in crimine Assassinij, an & qua pœna puniatur.

OMNES pœnæ Assassinis impositæ, regulariter locum habent, etiam 9
homicidio non secuto. Extendendo ad præstantes fauorem, seu auxilium, quamuis post mandati acceptationem mandatum reuocauerit, si à mandatario fuerat deuentum ad actum proximum; secùs, si re integra; quia tunc tantùm intrat pœna extraordinaria. Idem est in mandatario, qui adhuc tenetur eadem pœna, effectu non secuto, quamuis perficere potuisset, & noluisset, post deuentionem ad actum proximum: eóque fortiùs si solitus fuerit in eodem genere delinquere, quia tunc omnino est puniendus pœna mortis naturalis. Extendendo ad auxiliatorem, auxilium cooperatiuum præstantem: Quod si per solam præsentiam, nihil propriis manibus egisset, tunc morte non secuta, pœna mortis ordinaria non
potest imponi. In proposito actus proxi- 10
mus tunc dicitur, quando fuit deuentum ad insultum, vel offensionem. Quod si ageretur de pœna Statutaria, tunc Assassinus ordinariè non punitur, nisi delicto consummato, præcipuè si Statuti verba essent præteriti temporis imperfecti; quia secùs quando expressè de conatu disponeret. Item quando mandatarius man- 11
datum non acceptauit, tunc enim absque dubio mandans, tantùm extra ordinem arbitrio Iudicis condemnatur: quod si homicidium fuisset secutum, videtur acceptatum nedum mandatum, sed etiam executio. Et tandem licet puniatur affectus, effectu non secuto; attamen nòn sunt ligatæ manus Iudicis quin mitiorem pœnam imponere possit: vsque ad *numer.* 132.

***

EX QVÆST. CXXIII.
Inspectio V.

ARGVMENTVM.

Excusationes in crimine Assassinij.

ASSASSINIVM propriè dicitur committi, quando occiditur aliquis
12 Christianus: secùs, si Infidelis: ex quo commissum non dicitur per mandantem, quempiam vulnerati, aut percuti. Assassinus enim dicitur à *scindo, scindis*, quia animam à corpore scindit, & separat. Et adeò
13 interuentio pecuniæ est necessaria, vt non committatur ab eo, qui propriam iniuriã prosequendo, auxiliatores cõuocat: & ideò pecunia debet intercedere ad aliquem occidendum immediatè: nec committitur à Patre, mandãte filio vt aliquem occidat: imò nec ab eo, qui recepta pecunia communem inimicum interficit. Extendendo,
14 vt nec Grassatores, seu latrones viarum, vel maris Piratæ, propriè dicantur Assassini: nec qui pecunias subministrat mandatario pro expensis, nec etiam sufficit, vt quis dicatur Assassinus, spes successionis in persona sua, vel suorum: vsque ad *n.* 163.

EX QVÆST. CXXIV.
Pars I.

ARGVMENTVM.

Affectus, seu conatus, an, quando, & quomodo puniatur, effectu non secuto.

AFFECTVS seu conatus puniri debet
1 effectu non secuto, quando fuerit deuentum ad actum proximum, sed tantùm pœna extraordinaria præcipuè in atrocissimis delictis: quæ qualia sint? Iudicis arbitrio remittuntur. In crimine autem homicidij, solus occidendi animus ad aliquem actum perductus, mortis pœna meretur, etiam homicidio non secuto: Extendendo
2 ad crimen lenocinij. Et generaliter, quando delictum de facili posset trahi in exemplum pernicioſum, vel esset accessorium, provt in crimine Raptus: sed omni casu tantummodo imponitur pœna extraordinaria. Sic & in pœna spirituali, provt est Excommunicatio, aliáve Ecclesiastica cẽsura, requiritur perfectio & consummatio delicti: & hinc est, quod pœna Irregularitatis non infligitur in volentem homicidium perpetrare: & volens percutere Clericum vibrando in eum baculum, nisi percusserit, non excommunicatur excommu- 3
nicatione imposita à Iure; licèt possit excommunicari Excommunicatione ab homine: quoniam in pœnis impositis ipso Iure, vel ipso facto a lege, seu Statuto, requiritur consummatio delicti. Extẽdendo ad crimen Falsi, & Furti, seu quando ciuiliter agitur ad interesse in pœnis conuentionalibus, ac specificè in crimine Adulterij, non punitur conatus eadem pœna: Et generaliter de consuetudine ferè totius Orbis, nunquam imponitur pœna ordina- 4
ria, effectu non secuto in quocumque delicto, etiam atrocissimo, præterquam in crimine hæresis, in quo sola cogitatio pertinax seu perseuerata cum consensu & voluntate cogitantis, punitur; etiam quod ad aliquem exteriorem actum non fuerit perducta. Extendendo ad matrimonium, si cogitatio fuerit verbis expressa: vsque ad *num.* 116.

EX QVÆST. CXXIV.
Pars II.

ARGVMENTVM.

In statutariis pœnis, an, & quomodo puniatur conatus, effectu non secuto.

STATVTI pœna locum non habet, vt suprà diximus, nisi delicto consum-
mato; ex quo Statutum puniens eum qui 5
accessit ad castrum, non habet locum in deprehenso in via, dum pergebat ad Castrum: ac similiter puniens portantem blada extra Territorium, non comprehendit deprehensum in territorio blada portantem, si strictè de Iure loquamur; licèt de Consuetudine contrarium seruetur, ne Statutum reddatur eluſorium, etiam quod fuerit repertus per transitum, & ideò punitur. Multóque minùs effectu non se- 6
cuto imponi potest pœna Statutaria, quãdo Statutum loquitur per verba præteriti perfecti, vel futuri Subiunctiui, quod deriuat à præterito perfecto Indicatiui. Idem est in Statuto puniente attentantem violare mulierem, quia adhuc requirit consummationem delicti: sed tamen intelligе, quod adhuc aliqua pœna extraordinaria imponi possit Quod si lex puniat conatum, vtique est seruanda, licèt dura, & rigorosa. Verùm si Statutum certa pœna puniret eum qui rapuerit rem alienam

nam, habet locum etiam in eo qui fregerit ostium vt raperet, licèt non abstulerit: sed Statuto puniente conatum, de conatu illo intelligitur, qui perductus sit ad actum proximum, & immediatum, & agens fecerit quidquid potuerit, nec per eum remanserit quin delictum fuerit secutum: vsque ad *n.*150.

8 Et tunc demum punitur conatus etiam delicto non secuto, quando Statuto cauente puniendus est qui missus fuerit aliquid facere, sed adhuc requiritur actus perfectus, quia non dicitur quis missus, nisi ad actus perfectionem deueniat: & omni casu Iudex habet arbitrium, mitiorem pœnam imponendi: vsque ad *numerum* 150.

EX QVÆST. CXXIV.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Pœnitentia in delictis, quando suffragetur Pœnitenti ad pœnam euadendam.

9 PŒNITENTIA in delictis, etiam quod vltra cogitationem fuerit deuentum ad aliquem actum remotum, facit, etiam in atrocissimis, vt delinquens non puniatur: in dubio enim delictum non præsumitur consummatum propter pœnitentiam, præcipuè si sit occultum: quod si delictum non fuerit consummatum, non ex pœnitentia, sed alia de causa, tunc tantùm mitior pœna imponitur.

Proposita Regula non procedit, quando pœnitentia prouenit ex impedimento facti quoad totam pœnam, licèt mitior im-
10 ponatur. Non habet locum in pœnis ipso Iure impositis nec prodest post consummatum delictum: & sic in furto, si fur furatam rem Domino restituat, adhuc furti pœna tenetur, nisi statim restituat; quia tunc celeri pœnitentia & satisfactione purgatur. Prodest equidem pœnitentia in foro Conscientiæ, quando res ad pristinam statum reduci potest: in delictis extraordinariis: quando agitur ciuiliter ad interesse; aut actio originaliter non erat pœnalis; & in pluribus aliis casibus, de quibus per Glos. in *l. qui ea mente, ff. de furt.* & *ibi* Scribentes: vsque ad *n. fin.* 180.

EX QVÆST. CXXV.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Homicidium ad defensam commissum; an & quando punibile sit.

DICIT *Author* materiam propositæ quæstionis amœnam, facilem, & 1
delectabilem. Defensio autem aliud non est, quàm instantis imminentísve offensionis propulsatio: ex quo regulariter occidens hominem ad sui defensionem non punitur, cùm iusta defensio sit permissa omnibus, etiam Excommunicato, quinimò & Diabolo; omni iure, etiam diuino, & ideo tolli non possit, nec à Papa, Imperatore, lege, Statuto, vel Consuetudine. Extendendo, vt pro sui defensione liceat occidere Aggressorem, etiam in foro conscientiæ, quocumque in loco, & in Ecclesia, quæ per effusionem sanguinis hoc casu non polluitur, nec indiget reconciliatione. Et in tantùm licita est defensio, vt si 2
quis valens se defendere permittat se occidi, mortiferè peccat, & damnatus est. Ex quo Clericis, & Religiosis pro defensione propriæ personæ, Irregularitatis pœna non imponitur: & quod plus est, si in celebrando Missam fuerint ab aliquo armis insultati, poterunt aggressorem occidere, & deinde reuerti ad continuandam celebrationem. E contrà, defensio licita est aduersùs 3
Clericos, Monachos, Religiosos, Cardinales, & ipsum Papam; & generaliter aduersùs furiosos, dormientes, & quascumque alias personas cuiuscumque generis, & quacumque dignitate fulgentes. Licita quoque est pro conseruatione proprij honoris, quo casu non permittitur occidere, sed solùm resistere: sed si ex resistentia quis poneretur in discrimine vitæ, tunc liceret etiam occidere. Et pro defensione 4
sui honoris, licèt etiam occidere stuprato-rem: ac in proposito, ad excusandum occisorem, ex eo quod occiderit ad sui necessariam defensionem, sufficit deducere ex verisimili, & probabili timore, ac dubitatione inimicorum, armorum vsu, & impulsione, si terror armorum sit iustus, cadat in constantem virum, & interueniant signa, ac indicia manifesta offensionis. Ex quo, si quis contra alium vulnerandi, vel occidendi causa ruat cum armis præsumitur insultatus eum interfeciſſe

ad sui necessariam defensionem, & omnem pœnam euadit. Quinimò potest impunè offendi præparans se ad offendendum, & insultandum, si ex præparatione immineat periculum vitæ. Licèt enim
5 minantem seu iactantem occidere, præuenire vulnerando, ac etiam occidendo, dummodò sic minans sit solitus minas exequi, quia homicidium dicitur factum ad defensionem, quamuis insultatus nondum ab insultante fuerit percussus, cùm non debeant expectari vulnera & percussiones: & propterea non est excommunicatus interficiens Clericum antequam ab ipso percutiatur, si aggressor Clericus fuerit in promptu offendendi. Ampliando vt occidere liceat aggressorem, non solùm quando insultatus stat in discrimine vitæ, sed etiam quando imminet periculum alicuius grauis iniuriæ personalis,
6 cùm aliter euadere non possit. Et ad defensionem homicidium dicitur commissum, quando quis alterum occidit iussu, & mandato alicuius potentis Superioris comminantis mortem, nisi occidat. Non
7 tamen licitum est percutere illum, qui tantummodò verbalem iniuriam infert, sed etiam hoc casu non imponitur pœna ordinaria; verùm si iniurians esset vilis, iniuriatus autem Nobilis, quamuis percuteret, omnino pœnam euaderet: vsque ad *num.*101.

Limita modò propositam Regulam
8 non procedere aduersùs Magistratum, qui licèt iniustè aliquid faciat, non potest illi à priuato resisti: sic pariter hoc prohibetur filio aduersùs Patrem; seruo aduersùs Dominum; famulo, seu seruitori aduersùs Patronum. Discipulo aduersùs Magistrum; Vxori aduersùs Maritum; Monacho aduersùs Abbatem; & generaliter aduersùs eos, quibus reuerentia de-
9 betur. Quod intellige, nisi ab omnibus prædictis immoderatè, & atrociter animo occidendi, percussio, seu vulnus procederet, quia tunc nihil est quod impediat quin & ipsi possint impunè se tueri: vsque ad *n.*112.

Et tunc demum offensionem illatam
10 propulsare licèt, quando illa iniustè inferatur: ex quo bannitus, qui vigore Statuti potest impunè offendi, non potest ipse aduersùs se offendentem defendere, si offendatur ex causa publicæ vtilitatis, secùs si ex odio particulari. Aggressor autem, etiam si sibi resistens excedat moderamen inculpatæ tutelæ, & ob id aggressor eum occidat, dicere non potest, hoc feciſſe ad sui necessariam defensionem, quia propter causam datam incurrit pœnam ordinariam.

Generaliter verò intellige dummodò 11
fuerit seruatum moderamen inculpatæ tutelæ, aliàs secùs: & quia quod quis occiderit hominem ad sui defensionem minimè præsumitur, ideò hoc probari debet: sed de hac materia vide *infrà*, *p.*7. *huius quæstionis*, vbi latissimè de hac materia pertractatur: sic *Author* vsque ad *n.*120.

EX QVÆST. CXXV.

Pars. II.

ARGVMENTVM.

Insultatus, qui fugiendo poterat euadere manus Aggressoris, & non aufugit, sed illum occidit, an & quomodo puniatur.

INSVLTATVS fugere non te- 12
netur, ac potest aggressorem occidere. Quod intellige si fugiendo poneret se in discrimine vitæ, præsertim vt ab aggressore offenderetur, & ei fugam arripere verecundum esset: sed Clerici qui fugiendo possunt se saluare, si persistendo aggressorem occidant, Irregulares fiunt. Quidquid tamen sit de Iure Canonico, 13
& in foro conscientiæ, certum est neminem teneri fugam arripere, & si persistendo Aggressorem occidat, non nisi extra ordinem potest puniri: vsque ad *n.*139.

EX QVÆST. CXXV.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Occidens vnum, volens occidere alium; qua pœna puniatur.

OCCIDENS se defendendo, non 14
aggressorem, seu offendentem, sed alium Tertium, non punitur: licèt Alij contrà. Ampliando, quod & occidens pro sui defensione Mediatorem, scilicet, qui se in rixa interponit ad eam sedandam, volens tamen occidere aggressorem, non puniatur. Alij contrà. Prout ipse Mediator, si se videat in periculo vitæ, potest rixantem occidere: Imò etiam potest rixantem insultantem, & exi-

stentem

ſtentem in periculo vitæ defendere, & Aggreſſorem impunè occidere: quinimò & etiam ſocium Aggreſſoris. Si verò Ter-
15 tius occidatur excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, pœna arbitraria imponitur: quod pariter procedit per modum culpæ ſi volens occidere Titium, occidat Caïum: ſic pariter iniurians vnum pro alio, dummodò adſit dolus, quia percutiendo Clericum vnum, percutere volens Clericum alterum, pœna Excommunicationis incurritur: vſque ad *n.* 167.

EX QVÆST. CXXV.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

Pro defenſione rerum, quando licèt reſiſtentiam facere, & Inuaſorem, ſeu furem occidere.

16 DEFENSIO licita eſt non ſolùm pro defenſione ſui corporis, ſed etiam pro defenſione rerum ſuarum: & pro recuperatione illarum, licèt occidere furem, quamuis ipſe Dominus non ſit in periculo vitæ, dummodò aliter recuperare non poſſit; quia pro defenſione rerum ſuarum, quandocunque licita eſt defenſio aduersùs violentiam turbatiuam, pro manutentione ſuæ poſſeſſionis, & aduersùs violentiam ablatiuam pro recuperatione eiuſdem. Extendendo vt liceat pro defenſione rerum ſuarum conuocare amicos, vicinos, & Armatos. Vniuerſitati quoque defenſio rerum ſuarum permiſſa eſt: quinimò & ſimplici detentori, & poſſidenti alieno nomine, quamuis iniuſtè;
17 quia licèt etiam Clerico inuaſori reſiſtere: dummodò ſic defendens ſit poſitus in diſcrimine vitæ. Ampliando, quod ſi ſpoliator offerat præſtare cautionem de reſtituendo poſſeſſionem, ſpoliatus eam non tenetur recipere, & deſiſtere ab ea recuperanda: quinimò nec ſuperſedere, quando amici promittant, ſeſe interpoſituros, & reintegrationem procuratoros: vſque ad *num.* 195.

Iurem occidere licèt non ſolùm poſt-
18 quam furatus eſt, ſed etiam ante furtum, dum ſe ad furandum præparat; adeo vt nec ſibi furi ſit licita defenſio aduerſus occidere volentem: & eò fortiùs, licet occidere furem nocturnum, niſi ſe capi permittat: & eò magis agrorum nocturnum depopulatorem, & ſtratarum latrones, ſeu publicarum viarum graſſatores; nec tenetur de homicidio, qui ad capiendum furem, vel etiam ad ipſum præcipitandum appoſuit offendiculum, vel laqueum in aliqua feneſtra.

Hæc omnia intellige, dummodò homicidium committatur incontinenti, vel poſt exſpoliationem quamprimùm, & quantocitiùs poſſit, & incontinenti quis dicitur recuperare poſſeſſionem, quando hoc fiat habita notitia, licèt temporis interuallum interceſſerit. Clericis verò hoc 19
non licèt, niſi eſſent poſiti in periculo vitæ: licèt multi velint poſſe, & ei permitti quocumque caſu, etiam abſque periculo Irregularitatis, præcipuè occidendo furem nocturnum. Et demum pro defenſione rei licitum eſt hominem occidere, quando ſcilicet eſſet res magni pretij, fur reſiſtentiam faceret, vel fugam arriperet; furem autem diurnum non licet occidere, niſi ſe defendat, vel aliàs dominus res furatas recuperare non poſſet: eóque magis, ſi aliter apprehendi poſſet, & ad Iudicem duci: ſed occidentis aſſertioni ſta- 20
tur, quod aliter ſe, ſuáque defendere non poterat. Quod ſi excedat, non punitur pœna mortis, ſed alia mitiori: vſque ad *num.* 267.

EX QVÆST. CXXV.

Pars V.

ARGVMENTVM.

Homicidium commiſſum pro defenſione alterius, an, & quando impunibile? & an quis teneatur alterum inſultatum defendere.

DEFENSIO à Iure permiſſa eſt, & non ſolùm pro ſui ipſius defen- 21
ſione, ſed etiam pro defenſione alterius, etiam extranei, & incogniti, quem propterea ſi quis ab altero inſultatum, & in periculo vitæ conſtitutum agnoſcat, poteſt ſine metu incurſus alicuius pœnæ Aggreſſorem occidere, etiam pro defenſione inimici, & extranei; quamuis ſic defendens, & occidens ſit Clericus. Multóque magis permiſſa eſt defenſio pro ſuis Coniunctis, & Propinquis. Ex quo, ſi videam fratrem meum rixantem, & ad rixam accurro, & rixantem cum meo fratre occidam, licèt ipſe rixans non ſit Ag-

greſſor, punior tantùm de exceſſu arbitrariè; & teneor de homicidio culpoſo. 22 Extende ad ſocium itineris, in diſcrimine vitæ conſtitutum. Quod pro defenſione ſui Domini, & in vicino pro defenſione vicini. Sic & ratione officij, Officialis tenetur ſcandalis obuiare, ac ſubditos oppreſſos defendere provt è contra, Ciues, & Oppidani tenentur defendere eorum Officialem inſultatum: & hinc Vaſalli, & ſubditi, Dominos; 23 Diæceſani, Epiſcopum; Monachi Abbatem. Non etiam quis tenetur defendendo inſultatum ponere ſe in diſcrimine vitæ; quamuis teneatur ſaltèm in foro conſcientiæ defendere, ſi id facere poſſit abſque ſuo periculo: vſque ad *numer.* 330.

EX QVÆST. CXXV.

Pars VI.

ARGVMENTVM.

Moderamen inculpatæ tutelæ, quando dicatur ſeruatum, & è contra? & quomodo exceſſus puniatur.

REGVLA ſit, quod tunc demum homicidium ad defenſam commiſſum 24 non puniatur, quando ſcilicet in eo fuerit ſeruatum moderamen inculpatæ tutelæ, & ad hoc vt nullam patiatur pœnam, omnino illud ſeruare debet, ſedula quacunque culpa: & ſic quando defenſio ſit incontinenti in ipſo actu offenſionis, & in eadem rixa: quod ſi ſingulariter in capite percuſſus, & in terram cadens ſoporatus, poſtea ad ſe reuerſus percuſſorem adſtantem repercuſſerit, incontinenti offendere dicitur; quamuis media interceſſerit aliqua hora. Moderamen autem inculpatæ tutelæ conſiſtit in modo ſe defendendi: ſed quia non poteſt ſtatera præ manibus haberi in percutiendo, non ſic ſubtiliter eſt attendendum, ſed iuſto ar- 25 bitrio boni Iudicis decidendum. Quandóque etiam iſtud moderamen exceditur reſpectu cauſæ, & armorum, quoniam ſi aliquis aggrediatur cum enſe, non debet inſultatus ſe defendere cum archibuſio, ſic & aggredientem pugnis, non licet occidere ferro: verius tamen eſt, quod poſſit vulnerari cum armis inuaſor, ſeu Offenſor, ſi aliter ab offenſione, & inuaſione quis liberari non poſſit: ex quo inæqualitas armorum non tollit moderamen inculpatæ tutelæ; videlicet quando pugno inſultatus erat vir notabilis, vel talis, cui turpe erat pugnum ſuſtinere, poteſt armis offendere, & tantùm dicitur in leuiſſima culpa: vſque ad *num.* 365.

Et an quis defendendo Perſonam, & res, ſeruauerit moderamen inculpatæ 26 tutelæ, maximè attendenda eſt qualitas Perſonarum, quia licet conſiſtat in æqualitate offenſionis, & defenſionis, attamen veritas eſt, quod ſi inſultans fuerit fortior inſultato, huic licebit excedere in qualitate defenſionis, & annorum: ac è contra, ſi Aggreſſor eſſet puer, vel aliter debilis, inſultatus autem robuſtus, & fortis, tunc ſi armis vtatur, & aggreſſorem vulneret, & occidat, non dicitur ſeruatum hoc moderamen. Et licet pa- 27 riter non dicatur ſeruatum, niſi quis exiſtat in ſuæ vitæ periculo, attamen ſi vrgeat timor iniuriæ perſonalis, cuius eſt magna demonſtratio, auxilij imploratio, adhuc dicitur ſeruatum: & quocunque caſu, generaliter arbitrio Iudicis remittitur, quando dicatur ſeruatum, nec ne. Quod ſi moderamen excedatur tantummodo leuiſſimâ culpâ, tunc exceſſus non punitur: leuiſſima autem culpa conſiſtit circa tria requiſita, nempè arma, tempus, & modum percutiendi: quod ſi excedatur in vno ex dictis tribus, tunc propriè leuiſſima culpa dicitur; ſi circa duo, leuis; ſi quod tria, lata, quæ extraordinariè punitur. In du- 28 bio verò, exceſſus potiùs præſumitur culpâ, quàm dolo; & ideo nunquam dicitur exceſſum ex propoſito, niſi quoad Excommunicationem, & Irregularitatem: vſque ad *n.* 419.

EX QVÆST. CXXV.

Pars VII. §. I.

ARGVMENTVM.

Quando debeat probari quem occidiſſe ad ſui defenſionem.

AD defenſionem occidiſſe probandum eſt per Allegantem, & 29 hinc confitens occidiſſe ad ſui defenſionem, omnino punitur, reiecta qualitate confeſſionis: imò non ſufficit probare

bare defensionem, nisi etiam ista probetur necessaria, quamuis ad hoc probandum sufficiant præsumptiones, admittantur Testes inhabiles, Domestici, Consanguinei, deponentes per ver-
30 bum, *Credo*, & similes probationes: quinimò & per coniecturas, & præsumptiones; quia probata defensione, censetur probata eius necessitas; cùm regulariter potiùs præsumatur factum ad defensionem quàm ad vindictam: vsque ad *n.* 435.

EX QVÆST. CXXV.

Pars VII. §. II.

ARGVMENTVM.

Aggressor quod quis fuerit, quando probetur.

CONIECTVRIS probatur quẽ fuisse
31 Aggressorem, & de hoc Iudicis arbitrio statur. Aggressor autem præsumitur is, qui magis rixosus, magis animosus, & magis audax erat, seù qui robustior, & ferocior. Præsumitur insuper iunior, & ex genere armorum, vel qui armatus erat, altero arma non habente. Deprehenditur ex verbis Corrixantium, ex tempore, & loco, ex associatione, ex causa inimicitiæ, & ex quam pluribus coniecturis, de quibus *Author* loquitur remissiuè ad Vulpel. *Cons.* 118.
32 *pertot.* Sed quando hinc inde adsint præsumptiones pro Aggressore, & Aggresso, tunc vna tollit aliam, & plures vincunt minores; si autem sint pares, præferuntur, quæ militant ad fauorem Rei inquisiti, imò ex solis coniecturis simplicibus, Aggressor non condemnatur, nisi sint violentiæ, & indubitatæ: vsque ad *n.* 483.

EX QVÆST. CXXV.

Pars VII. §. III.

ARGVMENTVM.

Quando non constat quis fuerit Aggressor, quomodo sit procedendum ad condemnationem, seù ad torturam.

IN duobus Rixantibus, si nesciatur quis eorum fuerit Aggressor,
33 neuter condemnari debet, secundùm Aliquos. Sed quia Alij contra; in hac contrarietate aliquos casus fingit Author.

Primus est, quando ex duobus Rixantibus, nemo fuit vulneratus, & tunc, 34
aut leuiter ambo puniuntur, aut quia carcerati satisfecerunt, liberè dimittuntur.

Secundus, quando sic atrociter se vulnerarunt, vt ambo mortui remanserint, nisi appareat saltèm præsumptiuè quis fuit Aggressor, Iustitia silet, & 35
ambo absoluuntur.

Tertius, quando ambo Rixantes vulnerati reperiuntur, magis vulneratus 36
præsumitur Aggressor.

Quartus, quando ambo reperiuntur æque vulnerati, & tunc ambo æque pu- 37
niuntur.

Quintus, quando vnus reperitur mortuus, alter verò viuus, & dicit se 38
insultatum, tunc eius assertioni creditur. Alij contra.

Sextus, quando vnus tantùm reperitur vulneratus, & tunc non vulneratus 39
præsumitur Aggressor. Alij contra.

Septimus, quando vterque vno & eodem tempore inuicem aggrediuntur, tunc inuicem puniuntur. Licèt Alij 40
contra.

Octauus, quando agitur de fracta pace, si nesciatur quis fuerit Aggressor, 41
neuter de fracta pace tenetur.

Nonus, quando non constat quis fuerit Aggressor, contra neutrum po- 42
test deueniri ad Torturam, quidquid varij varia dicant: vsque ad *n.* 503.

EX QVÆST. CXXV.

Pars VII. §. IV.

ARGVMENTVM.

Prouocatus quando quis dicatur, & quomodo probetur prouocatio.

PROVOCATIO probatur coniecturis, ex quo, qui primò rixam 43
incepit dicitur in culpa: at prouocator est ille, à quo malitia initium sumit, ad iram prouocat, primo incipit verbis iniurioſis, verba superba seù minatoria profert, primò euaginat Arma; sed ex hoc non inducitur Aggressio. Item qui primò, percutit dicatur Prouocatus; sed

verius

verius est, quod præsumatur Prouocator, & Aggressor: certè tamen Prouocatus est ille, qui fuit diffidatus ad arma, vel mentitâ accepit: vsque ad *n. fin.* 526.

EX QVÆST. CXXVI.

Pars. I.

ARGVMENTVM.

Homicidium quando dicatur dolosum, quando culposum, quando casuale quando simplex, quando deliberatum, seù præmeditatum, quando ex indicijs commissum probetur, & de eorum pœnis.

HOMICIDIVM dolosum dicitur
1 iliud, quod committitur ex voluntate, & animo occidendi: quod idem est ac homicidium ex proposito commissum. Culposum, & non dolosum, quod committitur sine animo occidendi. Casuale in quo nec dolus, nec vlla culpa interuenit. Dolosum rursus distinguitur,
2 quia aliud est simplex non deliberatum, neque præmeditatum, nisi tempore commissi homicidij, aliud verò deliberatum, & præmeditatum, resolutum ex interuallo in mente occidentis, & provt vulgò dicitur, vnum *à sangue caldo*, aliud *à sangue freddo*. Et hinc homi-
3 cidium simplex dicitur, quod in pura rixa committitur; præmeditatum autem, quod committitur ex interuallo *à sangue freddo*. Homicidium ex proposito, & deliberatè commissum non dicitur nisi industria, vel insidiæ interceserint, & triplici modo committitur, proditoriè scilicet, per insidias, & per assassinium. Quibus præmissis in genere, deueniendum ad exempla talium homicidiorum.

Culposum, seù Casuale dicitur, quando quis lapide, quem versus canem proi-
4 ecit, transeuntem occidit; quo casu si proiecerit ad sui necessariam defensionem, nulla pœna tenetur. Item in eo, qui proiiciendo lapidem, non credens aliquem occidere, fortuitò occidit, & tunc mitior pœna imponitur: In eo, qui ex fenestra lapidem proiecit, & Transeuntem occidit: Quando quis ex alto cadens, alterum occidit: Quando puta-
5 tor ex arbore ramum deiiciens, & non proclamans, Prætereuntem occiderit; quod si proclamauerit, in nulla dicitur culpa. In Architecto, qui cùm Machinam sustuliisset, & eam non bene ligasset, cadendo, aliquem occiderit: vsque ad *n.* 25.

Homicidium casuale dicitur quando 6
quis equo currens, & non valens illum retinere, sic currendo aliquem occiderit. Quando quis venando, telo in feram misso, vel archibusio explosо, alterum occidit: sed in hoc Iudex aduertere debet, an adsit aliqua culpa, & secun- 7
dùm eam, pœnam imponere. Homicidium commissum in ludo aliquando reputatur culposum, aliquando casuale, & quandóque etiam dolosum. Dolosum, quando vnus Colluſor dedit operam etiam in ludo permisso, & Colluſorem 8
interfecit. Culposum quando, vel respectu occisoris in eo intercedit aliqua culpa Casuale quãdo in colluctatione, seù alio ludo licito, nulla præcesserit culpa. Homicidium dicitur casuale, quando pulsando campanas, cecidit tintinnabulum, & occidit transeuntem. Item quando quis impellat fortuito aliquem habentem in manibus gladium euaginatũ, ex quo impulsus vulneratus moriatur. Homicidium culposum extra ordinem, & arbitrio Iudicis punitur iuxta facti, & Personarum qualitatem. Homicidium in rixa commissum, nun- 9
quid dicatur culposum, an verò potiùs dolosum? Varij varia dicunt: *Author* firmat, pœnam mortis esse imponendam, si constet, quod occisor fuerit rixæ Author, & Prouocator. Homicidiũ culposum, non punitur pœna mortis, etiam quod culpa lata fuerit commissum: quia, vbi agitur de pœna corporali, culpa lata non æquiparatur dolo: 10
commissum culpa leui, mitiori, & extraordinaria pœna: leuissima culpa, seù casu commissum, cessante dolo, & culpa, nullo modo punitur: vsque ad *n.* 60.

EX QVÆST. CXXVI.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Dans operam rei illicitæ, quando, & qua pœna puniatur de eo, quod præter eius intentionem contingit.

DANS operam rei illicitæ, tenetur
de omni eo, quod sequitur præter 11
illius

illius intentionem & voluntatem : ex quo, qui homicidij, vel alterius mali, aut delicti causam dat, tenetur de omni causato homicidio, malo, vel delicto: qua propter Author rixæ obligatur ex omni malo inde secuto, etiam præter eius intentionem, pœna ordinaria: Quidquid Alij contra: & Clericus, qui dat operam rei illicitæ, si inde sequantur vulnera, & cædes, quamuis præter eius intentionem, incurrit Irregularitatem; præcipuè si culpa tendat, & sit ordinata ad subsecutum delictum ex causa proxima & immediata: sed si præbens causam remotam haberet animum nocendi, adhuc præsumeretur in culpa: & hinc si quis inuasor rei alienæ faceret omnem possibilem diligentiam, ne quid aliud sequeretur, non videretur teneri de subsecutis præter eius intentionem. Singulariter verò, si quis, vt rem haberet cum Muliere, ingrederetur eius domum, fractis foribus, & ianuis, aliíque subsequentes furtum committerent, primus Ingressor, libidinis causa, non tenebitur de subsecuto furto. Quod intellige si ingrediatur domum alicuius publicæ meretricis, cùm attentatio in huiusmodi Personas, de Iure Ciuili sit permissa. Pœnæ autem Statutariæ non habent locum contra illum, qui immediatè non delinquit: & quocunque casu debet probari culpa: vsque ad *n.* 91.

12

13

EX QVÆST. CXXVI.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Animus occidendi, & animus deliberatus occidendi, quomodo probetur, & ex quibus præsumatur.

14 AD dignoscendum ex quibus occidendi animus præsumatur, præmittitur generaliter, quod probatur exterioribus signis, & coniecturis, quæ an sint sufficientes, nec ne? remittuntur arbitrio Iudicis: debent esse plures, & in genere suo perfectè & benè probatæ: si autem militent pro vtraque Parte, vna tollit aliam; fortiores, minus fortes: quod si sint æquales, præferuntur excludentes animum deliberatum.

15 Animus occidendi in dubio præsumitur, homicidio commisso: non tamen in dubio præsumitur dolosè, ex proposito, & deliberatè patratum: non ergo creditur iuramento Inquisiti, nisi concurrat præsumptio excluſiua: & ideò potest torqueri homicida, præcedentibus indicijs, & circumstantijs super animo occidendi. Præsumitur, & non præsumitur ex qualitate, & genere armorum: excluditur ex percussione facta cum baculo, præcipuè cum paruo baculo, & provt vulgò dicitur, *con Labacchetta*. Sed & si vulnus, aut percussio fuerit in loco corporis periculoso, cum instrumento non apto ad occidendum, adhuc censetur excluſus. Non præsumitur in homicidio commisso cum lapide, præsertim quando quis habens ensem, cum lapide percussit: & generaliter, quando quis non fuerit vsus armis aptis ad occidendum; licèt habuerit penes se. Sic præsumitur, & non præsumitur ex verbis ante rixam, in rixa, & post rixam prolatis: & hinc probatur ex confessione extraiudiciali, ex qualitate personæ; loci, in quo homicidium est commissum; temporis; ex præcedenti consilio, & tractu, ex incidijs, & præparatione æquorum, exercitio armorum, ex transportatione seù alienatione bonorum, ex præcedenti, & capitali inimicitia. Non præsumitur, quando reperitur occisus coniunctus, vel Amicus, aut beneuolus occisori, ex geminatione rixæ, quia si prima rixa verè fuit inopinata, secunda præsumitur calore iracundiæ secuta. Præsumitur ex iteratione plurium vulnerum, ex eorum qualitate, & modo percutiendi; ex parte corporis læsa. Quando Occisor ante homicidium incedebat cum socijs armatus, ex assistentia amicorum, ex insolita delatione armorum, præcedentibus minis, & iactationibus, fuga post homicidium, insecutione Inimici, tractatione cum Inimico occisi ante homicidium: & tandem hæc omnia remittuntur Iudicis arbitrio: vsque ad *numer.* 217.

16

17

18

19

***

EX

EX QVÆST. CXXVII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Mortale vulnus quando dicatur? quando periculosum? quid in dubio præsumatur? quomodo excusetur vulnerans, dicendo quod vulneratus obiit, non ex vulnere, sed culpa Medicorum, vel ex malo regimine.

1 CVM Homicida quandóque excusetur, quod vulneratus non obierit ex vulnere; hoc ideo præmittitur, vulnus, aut esse mortale, aut non mortale. Mortaliter vulneratus dicitur ille, qui secundùm regulas Artis Medicæ non potest euadere mortem, nisi magna cum difficultate: & è contra non mortaliter vulneratus, qui curâ
2 adhibitâ, de facili mortem euadet. Vulnera mortalia iterum distinguuntur; alia enim sunt omnino mortalia, & certa ad mortem; alia non omnino, & ex necessitate mortem inferentia. Omnino mortalia sunt quæ non requirunt curam, & consilium Medicorum; non omnino mortalia, ex quibus vulneratus aliquando conualescit. Datur vltra vulnus quod non est mortale, vel non mortale simpliciter, sed aliqualiter, vel aliqualiter periculosum: Quibus præmissis: vsque ad *n.* 10.

Quando constat vulnus fuisse mortale, morte inde secuta, vulnerans de
3 homicidio tenetur: & quando certum est, nec dubitari potest quod vulnus fuerit mortale, quandócunque vulneratus obierit, etiam ex interuallo, vulnerans de occiso tenetur, quamuis Medicus non fuerit adhibitus, vel adhibitus imperitus. Quod si appareat non fuisse mortale, quamuis moriatur, non præsumitur ex vulnere decessisse, sed ex alia causa, vt putà culpa Medici, vel malo regimine, quamuis id non probetur, & infra paucos dies, ac breui tem-
4 pore decedat. Si autem versemur in dubio, vtrum vulnus fuerit mortale, nec ne, vel etiam quando erat mortale, sed non constat, quod fuerit omnino mortale, tunc constito Medicum non fuisse adhibitum, vel adhibitum imperitum, aut aliàs de culpa, & malo regimine, non præsumitur ex vulnere decessisse, & sic vulnerans de homicidio non obligatur. Aduerte tamen, quod non om- 5
nis negligentia in curando vulnus, & in regendo Vulneratum sufficiat, debet enim esse magna, & prædominans qualitati vulneris: & hoc est specificè probandum. Quo verò ad Irregularitatem, satis est, Clericum dedisse causam morti vulnerando, licèt non constet de negligentia, mala cura, & malo regimine: vsque ad *n.* 17.

EX QVÆST. CXXVII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Quando, & ex quibus præsumatur, seu probetur vulnus fuisse mortale, vel non.

VVLNVS fuisse mortale, nec ne, 6
ex coniecturis, & præsumptionibus deducitur: ideo mortale præsumitur, quando vulneratus post vulnus, & intra quadraginta dies moriatur: ità tenent Medici, & ita obseruat communis stylus, & practicatur, relictis opinionibus hinc inde certantibus: quamuis non desint Asserentes, Iudicis arbitrio hoc esse remissum. Et hæc opinio etiam videtur magis communiter recepta, quando arbitrium regulatur, & est conforme relationi, & Iudicio Medicorum: Et hoc dicit *Author*, nullam ha- 7
bere difficultatem, & ità in Vrbe obseruari. Vulnus an fuerit mortale, nec ne? cognoscitur ex parte corporis læsa, ex longitudine, latitudine, & profunditate; ex qualitate armorum, quibus fuit illatum; ex fama publica, & ideo admittuntur Testes dicentes, publicam esse famã, vulnus fuisse mortale. Item quan- 8
do vulneratus nunquam recõualuit, sed semper in deterius processit ex superuenientia doloris, præsertim intensi, ex superuenientia spasmi, qui solet causari ex vulnere illato in locis neruosis, ex febri superueniente, nisi probetur malum regimen, quod nihil operaretur, si febris incontinenti auersisset post vulnus: sed si constaret vulnus non fuisse mortale, accessio febris, mortalitatis causã quoad vulnus nõ induceret. Item vulnus fuisse 9
mortale, nec ne, desumitur ex qualitate

accidentium

accidentium superuenientium post illud illatum, vomitus, & similium; quibus cessantibus, vulnerato reconualescente, & deambulante, exinde noua infirmitas
10 non consideratur: hoc vnum singulariter notando, quod si de mortalitate constet ex præsumptionibus, & coniecturis, tunc videatur, vulnerantem nec posse condemnari in pœnam ordinariam ex generali conclusione, quod præsumptiones, & indicia, quamuis indubitata non sufficiãt ad imponendam pœnam mortis: vsq; ad *n.* 87.

EX QVÆST. CXXVII. Pars III.

ARGVMENTVM.

Vulnerati malum regimen, seu inordinata vita, & negligentia in curando, quando, & ex quibus dignoscatur.

11 QVIA Homicida non tenetur, quando vulneratus obierit ex malo regimine, culpa, vel negligentia; hinc est, quod hæc arguuntur quando in vulnere curando, vel non fuit adhibitus Medicus, vel adhibitus fuit imperitus; licèt sola imperitia non satis sit, nisi probetur culpa particularis in curando. Item arguitur ex eo, quòd noluit Medico obedire, ex eo quod sic vulneratus concubuit cum vxore, vel alia muliere, quod nociua comederit, vinum purum biberit, de lecto surrexerit, & die, noctúque, nulla habita de
12 seipso cura, ambulauerit. Sed hæc omnia sunt probanda; adeò vt nec ipsi vulnerato id asserenti in articulo mortis credatur: vsque ad *num.* 100.

EX QVÆST. CXXVII. Pars IV.

ARGVMENTVM.

Medicis referentibus super mortalitate vulneris, vel è contrà, quando credatur, nécne.

13 REGVLARITER Medicorum relationi, & iudicio statur, super mortalitate vulneris, vel vulneratum non ex vulnere decessisse, etiam quod non sint DD. dummodò sint Periti, provt sunt Barbitonsores, & Chirurgi: quinimò istis creditur, vtrùm ex vulnere sit remansura cicatrix, & qualis? & an etiam aliqua debilitatio, & quanta. Admittuntur etiam serui, & fœminæ, quoniam & isti possunt esse Medici, ac satis est deponere de credulitate. Creditur & ipsis Medicis, super 14
instrumentis, & armis, quibus iudicant quem vulneratum fuisse; sed quocunque casu tenentur iurare, nisi sint conducti à Publico, cum tunc sufficiat iuramentum generale à principio electionis eis delatum. Non tamen creditur Medicis Iudæis, & Infidelibus super mortalitate vulneris deponentibus: quod si discordent super eadem lethalitate, magis credendum illis, qui interfuerunt curæ vulnerati, quàm cæteris. Sententia verò data à Iudice ex relatione Medicorum, quandocunque potest 15
retractari, & illis nunquam est standum, nisi præcedat Iudicis diligens inquisitio. Isti autem Medici, seu Chirurgi eligendi sunt à Partibus, & quandóque Iudicis officio. Sed quidquid sit de Iure, de Consuetudine seruatur, Chirurgos referre, vulnera, eorũ locum, periculum, & qualitatem: quod si Pars comparens opponat, tunc alij eliguntur non suspecti, & est necessaria citatio, & concordatio: quod si sic electi discordent, regulariter magis pluribus, quàm pauciores creditur; nisi pauciores verisimilia deponerent, rationẽ meliorem redderent, 16
essẽntque digniores, & peritiores: si verò discordantes æquales sint numero, & dignitate, credendum potiùs est asserentibus pro non lethalitate vulneris. Quocumque casu debent esse saltèm duo. Sed si in loco non adesset nisi vnus Medicus, tunc illi vni creditur, præcipuè deputato à publico, vel electo de consensu Partium, ac præsertim si agatur de absolutione Rei & concurrat aliqua præsumptio: vsque ad *n.* 170.

EX QVÆST. CXXVIII. Pars I.

ARGVMENTVM.

Mortem sibi inferens qua pœna, & quando puniatur.

REGVLARITER occidere seipsum, omni Iure, Diuino, Naturali, Ciuili, 1
& Canonico prohibitum est. Id pariter damnatum erat apud antiquos Ethnicos, & hinc est, quod cadauer eius, qui mortem sibi conscinit, pro pœna suspendi potest, si ità Iudici visum fuerit. Alij contrà. Sepultura Ecclesiastica caret; & si ibi

fuerit sepultum, exhumatur. Occidens insuper, vel occidere tentans seipsum, infamis remanet: & si fuerit miles, etiam morte non secuta, capite punitur, nisi impatientia doloris, aut morbi, luctúsve alicuius, siue alia de causa id fecerit. Punitur & seruus in se sæuiens. Quinimò & Clericus, seipsum percutiens, & vulnerans, excommunicatur: Et Bannitus id faciens in seipsum, non excusatur vigore Statuti, volentis, Bannitum posse impunè occidi. Extendendo, vt nec etiam liceat seipsum occidere indirectè, & immediatè, vt putà si sibi falsa crimina obijceret, & fateretur: imò nec licèt pro habenda pace ponere se in manibus inimici ad discretionem. Extende, quod castrans, seu castrare faciens seipsũ, simul & Castrator, gladij animaduersione cum publicatione bonorum plectuntur: qua pœna puniuntur Medici castrantes homines, licèt consentientes, nisi ægritudo id suadeat, nec aliter euadere possit. Non licet etiam se occidere, credendo, se rem iustam facere: in isto crimine punitur affectus, effectu non secuto, saltèm pœna arbitraria: & tandem in hoc crimine pœnitentia non suffragatur, nisi tædio vitæ, vel impatientia doloris quis seipsum vulnerasset. Non præsumitur tamen quem seipsum voluisse occidere; quapropter in puteo repertus suffocatus, non præsumitur se præcipitasse: vsque ad *n.* 46.

EX QVÆST. CXXVIII. Pars II.

ARGVMENTVM.

Occidentis seipsum bona quando fisco applicentur.

REGVLARITER bona occidentis seipsum, fisco applicantur, non obstante testamento facto ab eo, qui seipsum occidit: præsertim quando quis occiderit se conscientia patrati criminis, & metu pœnæ futuræ: eóque fortiùs illius criminis, pro quo defuncti memoria damnari poterat, si existeret in reatu criminis, pro quo veniret pœna mortis imponenda, & confiscationis bonorum: seu si fuisset accusatus, vel in crimine deprehensus. Nec requiritur ad hoc, vt dicatur accusatus, litis contestatio, sufficit enim citatio: eóque fortiùs si fuerit examinatus, vel carceratus. Bona autem seipsum occidentis confiscantur ipso Iure, & sine vlla sententia, si seipsum interfecerit accusatus, vel deprehensus in crimine: secùs è contrà: & hoc casu confiscantur, etiam morte non secuta, & testamentum rumpitur; adeo vt nec Fiscus teneatur soluere legata.

Quod tamen non procedit, si quis seipsum occiderit tædio vitæ, impatientia doloris, aut ex aliqua alia causa: imò, hoc casu, nec testamentum rumpitur. In dubio autem præsumitur potiùs quem seipsum occidisse tædio vitæ, impatientia doloris, vel ex alia causa, quàm ex conscientia patrati criminis. Non etiam procedit Regula, quando quis se occidat conscientia patrati criminis, pro quo pœna mortis non imponitur; & nisi crimen sit tale, vt imponatur pœna confiscationis bonorum: eóque magis si se occiderit, nulla præcedente accusatione, vel deprehensione; & hoc casu, neque testamentum rumpitur, nisi tale crimen commisisset, vt eius memoria damnari deberet: eóque minùs quando indicia fuerunt purgata, vel quando hæredes in contrarium probarent: & quocunque casu deberet constare de corpore delicti patrati: vsque ad *num.* 39.

***

LAVS DEO.

SVCCVS

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS DECIMA-QVINTA.
EX
LIBRO QVARTO, TITVLO DECIMO-QVINTO, QVÆST. CXXIX. PARS I. DE CONSVLTORIBVS, Auxiliatoribus, & Mandatoribus.

ARGVMENTVM.

Consilium, & auxilium dare, quando, & quot modis quis dicatur? In quo differat consilium, ab Auxilio, & mandato? Et de forma Inquisitionis contra auxilium Præstantes.

CONSILIVM delinquentibus datur pluribus
1 modis, de quibus *Author* loquitur remissiuè Et generaliter Persuasores, & Consultores sunt, qui persuasionibus & consiliis præstant opem principali Malefactori. Consilium autem differt ab Auxilio: quia consilium fit verbis, auxilium verò factis; qui ergo consulit, larga tantùm & impropria significatione dicitur auxilium præstare: ideóque Statutum puniens Auxiliatorem, non trahitur ad
2 Consultorem. Consilium differt etiam à Mandato: quia consilium respicit gratiam, & vtilitatem deliquentis; mandatum è contrà: & insuper mandans obligatur mandando, consulens verò non obligatur consulendo: ex quo accusatus de mandato, & verificatus consulens, non potest puniri: vsque ad *n.* 13.

In dubio quando agitur de communi
3 vtilitate, potiùs præsumitur consilium, quàm mandatum: dicitur in dubio, quia quando aliàs constaret, seu præsumi posset ex signis & coniecturis, id non procederet. Quò verò ad formam Inquisitionis in materia, potest formari contra Principalem, & opem Præstantem insimul: quoad cætera, *Author* loquitur remissiuè: vsque ad *num.* 23.

EX QVÆST. CXXIX.
Pars II.

ARGVMENTVM.

Consulens quando, & qua pœna puniatur.

REGVLARITER consulens delictum punitur eadem pœna, qua 4
ipse delinquens: & licèt Alij contrà; Retenta prima opinione de Iure magis probata, extende ad persuadentes, inflammantes, instigantes, hortantes, incitantes, & instruentes ad eum, qui delinquendi vtilitatem ostendit, communicatum homicidium futurum laudat, fore benè factum dicit; vel singulariter, *quod facturus es, citò facias.* Verba autem, *se lo vuoi ammazzare, ammazzalo*, vti conditionalia consilium non sonant. Et 5
licèt multi dicant per regulam, *Agentes,*

& Consentientes, &c. consentientes pari pœna puniri ; hoc procedit in delictis atrocissimis, & locum habet participibus, tractantibus, ordinantibus ; in præstantibus fauorem, in Complicibus, consociis, & consortibus, non solùm si consulant aliquod malum quod cadat in nomen delicti, verùm etiam si non cadat in speciali delicti nomine, quia tunc tamquam principalis tenetur actione de dolo.

6 Clericus consulens homicidium, Irregularitatem incurrit : & consulens percuti Clericum, excommunicatus est : sic, & consulens furtum, tenetur de furto si fur absque tali consilio non erat facturus, secùs è contrà. Extende, vt Consulens teneatur eadem pœna delicti, siue delictum fuerit commissum incontinenti, siue ex interuallo post datum consilium : torquetur etiam super mandato, si delictum sit in vtilitatem consulentis : vsque ad *numerum* 71.

7 Regula non procedit in consilio non doloso, & quando verba præsensi consilij non sunt clara, & recipere possunt malam, & bonam interpretationem ; nisi tamen secundùm communem vsum Vulgi possent recipi in malam partem, & nisi inter Consulentem, & Occisum præcedat inimicitia. Item intellige non procedere quando ex consilio nullum fuit ortum præiudicium, vel delictum inde non fuerit secutum, nisi consilium consideretur de per se, tamquam titulus criminis, quo casu, si delinquens veniat ad aliquem actum, & conatum, si delictum erat atrox, consulens puniendus videtur pœna extraordinaria, si versemur in atrocioribus. Nec tandem procedit, quando consulens reuocasset consilium in integra, sed tunc necesse est vt sit certum, quod ille amplius non sit commissurus, & de-

8 beat denunciare personæ occidendæ. Alij contrà. Et tunc demum consulens tenetur eadem pœna, quando immediatè consuluit delictum, nec nudum tantùm consilium dedit : & hinc consulens non potest molestari quando principalis delinquens fuit absolutus : & tandem

Statutum loquens in faciente, non extenditur ad consulentem, nisi loquatur in rem.

EX QVÆST. CXXIX.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Consulens aliàs facturo, an, & qua pœna puniatur.

REGVLARITER consulens aliàs non facturo, punitur eadem pœna, 9 qua ipse Principalis puniendus est; secùs, si consuluit aliàs facturo. Et licèt Alij contrà, firma pro communiori. In delictis verò atrocissimis, indistinctè consulens punitur eadem pœna, nec cadit distinctio in consulente, aut auxiliante simul : quia quamquam quando quis mandat aliàs facturo, propriè non dicatur mandatum, sed consilium; attamen distinguendo, si Mandans sciebat Mandatarium esse aliàs facturum, 10 intrat pœna extraordinaria ; si ignorabat, ordinaria: sed quia quodquis esset aliàs facturus non præsumitur, ideò per consulentem, seu mandantem probari debet, saltèm coniecturis : quarum *Prima* desumitur ex præcedentibus minis. *Secunda*, ex inimicitia inter occisum, & occidentem. *Tertia*, ex præparatione ad delinquendum *Quarta*, quando quis post multos dies tardauit ad committendum delictum. *Quinta*, ex assertione delinquentis, concurrentibus aliis coniecturis : vsque ad *n.* 155.

EX QVÆST. CXXX.

ARGVMENTVM.

De auxilio præstito ante delictum.

PRÆSTANS opem, vel auxilium ante delictum, vt delictum 1 committatur, punitur eadem pœna, qua ipse delinquens. Quidquid Alij contrà. Extende ad accommodantem arma ad vulnerandum, ferramenta, seu alia instrumenta ad furandum : ad accommodantem equum, mutuantem pecuniam, vel scalam ad committendum furtum, vel aliud delictum; ad associantem delinquentem; dummodò hæc omnia fiant scienter, & dolosè : vsque ad *n.* 32. 2

Amplia in eo, qui occisori monstrat domum, vel locum, vbi latebat occidendus, & occisori se comitem præbet : in 3

detinente

detinente occidendum vanis dolosisque sermonibus, donec ex improuiso occidatur: in custodiente Sicariorum turmam: in portante literas de delicto tractantes, seu ad delictum spectantes: si ex dictis omnibus causa detur delicto, seu auxilium detur per actum proximum, ex auxilio cooperatiuo; secùs si per actum remotum: quod si adhuc delictum non sequatur, non punitur, nisi in atrocioribus, & vbi requiritur dolus apertus. Sic nec punitur, nisi
4 in foro conscientiæ, qui delicto obuiare potuit, & non obuiauit, nec offensum defendit, quamuis hoc potuerit facere sola acclamatione; nisi hæc omnia facere teneretur ratione superioritatis, & potestatis, secundùm quam Dominus, Pater, seu Princeps scientes delictum committendum à seruo, filio, vel subdito, tenentur in quantum possunt obuiare, &
5 delictum impedire. E contrà, seruus, filius, & vasallus scientes delictum committendum in personam Domini, Patris, vel Principis, tenentur, reuelando, aut aliàs defendendo, & obuiando impedire. Idem in Prælato, in Officialibus, & in aliis quibuscunque superioritatem habentibus: vsque ad *num.* 71.

EX QVÆST. CXXXI.
Pars I.

ARGVMENTVM.

De auxilio præstito in delicto.

REGVLA proponitur, quod præstans
1 auxilium in delicto, puniatur eadem pœna, qua punitur ipse delinquens: eóque magis, si plures sint insimul ad præstandum opem; quia tunc dici posset, eos omnes reputari Principales: licèt verius sit, quod sint omnes ad inuicem auxiliatores, & sic omnes eadem pœna puniantur, quando ex proposito, & præcedenti tractatu auxilium præstiterint. Ex-
2 tende ad præstantem etiam auxilium verbis incitando, & animando Aggressorem: & ad Clericum, qui opem ferens de delicto, habetur, ac delinquens de Iure Canonico, efficitur Irregularis, sicut etsi adstans bello iniusto, & nihil faciens sua præsentia, attenderit pugnantes, ex quibus cædes prouenerint. Extende pariter ad eum, qui
3 verbis, aut manibus retinet occidendum, donec vulneretur, vel prohibuit ne defenderetur insultatus. Amplia in sociis cooperantibus, & auxiliantibus in delicto: quia licèt auxilium præsumatur præstitum potiùs casù, quàm scienter; potest tamen Iudex arbitrari ex coniecturis, an quis in rixa interuenerit armatus ad præstandum auxilium scienter, nécne: & super hoc Iudex torquere potest. Quod si torqueatur ille qui præstitit auxilium co- 4
operatiuum, tunc quamuis persistat in tortura, potest aliqua pœna mulctari extraordinariè: si verò torqueatur super præcedenti tractatu, absoluendus est. Sed tunc demum punitur eadem pœna auxiliator, si cum auxilio dederit causam delicto, nec ei pœna est augenda, nisi à Statuto, vel Lege expressè augeretur. Non etiam procedi potest contra Auxilia- 5
torem, & Consultorem, nisi constet de delicto Principalis; non enim sufficit sola contumacia delinquentis, imò nec vera confessio ipsius delinquentis, licèt vbi non valeat processus & inquisitio contra Principalem, nec valeat contra Auxiliatorem, qui debet specialiter in sententia condemnari: sicut è contrà, Absolutoria lata ad fauorem Principalis, non obstat quin molestari possit Auxiliator, nisi Principalis absolueretur, ex eo quia non deliquisset: vsque ad *n.* 67.

EX QVÆST. CXXXI.
Pars II.

ARGVMENTVM.

Adstans armatus in rixa quando, & qua pœna puniri possit de ope, & auxilio præstitis.

REGVLA proponitur, quod adstans armatus homicidio, seu alio delicto, 6
dicitur ipsi delicto opem, & auxilium præstare; imò causam proximam dare: & ideò punitur eadem pœna, qua punitur ipse delinquens, & homicida: distinguendo tamen, dummodò præcesserit tractatus, secùs è contrà: nisi ex sola assistentia delictum fuerit auctum, vt quia ex ea Aggressor fuerit factus audacior, insultatus, timi- 7
dior, ac dummodò assisteret scienter, & dolosè, animo præstando auxilium: & in dubio ignorantia præsumitur. Licèt Alij contrà. Imò isto casu creditur iuramenta adstantis armati: sed verius est probari coniecturis: & posset torqueri ad fatendũ, vtrum ignoranter, vel scienter adstiterit.

Regula verò non procedit, si incepta
8 rixa, assistens se retrahat, homicidiúmque sequatur ex interuallo post illius recessum, vel steterit armatus in loco remoto à rixa, & homicidio; nisi tamen Aggressor redderetur audacior, & insultatus timidior. Et tunc demum adstans tenetur, quando homicida est certus; secùs si incertus: provt prorsus non obligatur, si se interposuit animo separandi rixantes: vel fuerit præsens homicidio sine armis seu accesserit post captam rixam: multóque magis, si post vulnere illata, & rixam finitam: vsque ad *n.*101.

EX QVÆST. CXXXII.

ARGVMENTVM.

De auxilio præstito post delictum.

AVXILIVM præstans post deli-
1 ctum, generaliter non tenetur eadem pœna; cùm non dicatur delicto opem præstitisse. Idem est in præstante auxilium delinquenti post delictum ad eum liberandum; vt putà eum associando, vel alio modo tuendo; licèt hoc casu puniri possit aliqua pœna arbitrio Iudicis. Non tamen puniretur Vxor auxilium præstans Viro; neque ille, qui sine armis, & à longè associauit, quamuis sic associatum defenderit ne ab inimicis læderetur, excepto crimine hæresis. Sic & pariter defendens,
2 & authorizans delictum secutum, dummodò non fuerit antea particeps, & consultor futuri homicidij, vel habuerit specialem scientiam personæ occidendæ, & homicidij futuri. Ex quo super tali associatione fundatur indicium super præcedenti tractatu, si tale auxilium incontinenti præstetur; & nisi constaret quod associatio fuerit facta sine præcedenti participatione delicti. Statutum autem pu-
3 niens auxiliatorem, & fautorem, non extenditur ad auxilium' præstitum post delictum, nisi puniret auxilium, non respectu certi actus; quia tunc caperetur largo modo, & includeret auxiliantem post maleficium: vsque ad *numer.*42.

EX QVÆST. CXXXIII. Cap. I.

ARGVMENTVM.

Receptans Bannitos, & Delinquentes, quando, & qua pœna puniatur.

REGVLARITER receptans ma- 1
lefactorem, & delinquentem, punitur eadem pœna, qua ipse delinquens, & malefactor. Sed hoc non procedit in simplici receptatore, cum de iure requiratur occultatio, & associatio. Verùm quidquid sit de iure, Regula indistinctè procedit in Statu Ecclesiastico, secundùm *Bullam Sixti V.* Extenditur ad Receptantem Reum læsæ Maiestatis, Assassinum; ad alimenta præstantem, Mutuantem pecuniã, & Loquentem cum Bannitis: quinimò pœna incurritur, etiam si post receptationem quis pœnitentia ductus, Receptatum Curiæ tradiderit, secundùm Aliquos: eóque fortiùs in Receptante Hæreticum, vel notorium delinquentem. Et licèt se-
cundùm Grammaticos *receptare* sit *fre-* 2
quenter recipere, attamen in Iure vnica receptatio sufficit, nisi fiat ex inopinato, & repentino aduentu, quamuis ex *Bulla Sixti V.* quouis modo receptentur, Receptans præsumatur particeps ipsius delicti: vsque ad *n.*17.

Regula non procedit, si Receptans es-
set consanguineus, vel quando receptatio 3
non fiat per cohabitationem, & contubernium: Ex quo, qui non receptat animo occultandi, propriè receptare non dicitur: sed ex *cit. Bull.* indistinctè punitur. Item non procedit in Receptante Bannitum coactè per vim, aut metum; sed non omnis mutus excusat: requiritur enim talis, vt cadat in constantem virum: & in Statu Ecclesiastico, nullus metus excusat. Non 4
item puitur Caupona receptans, & cibum vendens Bannitis in suo Hospitio, si receptet per transitum: quinimò etiam per plures dies, dummodò ignoranter hoc faciat. Receptans mulierem raptam, non tenetur de Raptu, sic & Bannitum toleratum, si patientia, & tolerantia erat publica. Similiter receptans Bannitum sine do- 5
lo, & ad bonum finem: & in dubio dolus non præsumitur, præsertim in persona vili, & idiota, ac simplici. Sic & Receptãs nulliter Bannitum, vel de proximo reuocandum seu restituendum, aut extra territoriũ Iudicis,

Iudicis, vbi eſt Bannitus; vel etiam Bannitum in Contumacia. Alij contra. Et hoc contrarium verius, ſecundum *Bullam Sixti V. præcitatam* : vſque ad *numer.* 75.

EX QVÆST. CXXXIII.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

De Receptante fures, & Latrones.

RECEPTANS furem poſt furtum commiſſum, vnà cum furto, eadem pœna ac ipſe fur punitur: eóque magis Receptans Latrones, eos non Reuelans, & non offerens Iudici. 6

Declarando, quod ſimplex receptatio, niſi fiat cum occultatione, & aſſociatione, eadem pœna non puniatur.

Extende Regulam ad Receptantes res furatas, qui propterea puniuntur eadem pœna furti. Alij contra: Sed retenta prima opinione, ſi tibi placeat, aduerte, quod receptatio debet eſſe reiterata, & cum promiſſione facta furibus de receptando res furatas: quod ſi non interueniat talis pactio, inductiua complicitatis, non imponitur eadem pœna. Extende multo magis procedere Regulam in receptante res furatas, ſeù pecunias, à Iudicibus, & aliis adminiſtratoribus publicorum introituum, & rerum, quæ ad Fiſcum ſpectabant: & receptans Abigeos, mittitur in exilium per annos decem. Receptans fures, ſeù res furatas ignoranter, nec tenetur, nec vlla pœna punitur: ex quo tantùm punitur eadem pœna talis Receptans, quantum receptauerit animo occultandi, ſeu lucrandi aliquid: & quando Statutum punit certa pœna Receptatorem rei furatæ, tunc puniri debet non pœna à lege impoſita, etiam quod eſſent plura furta, ſed eadem Statutaria: vſque ad *num.* 123. 7 8

***

EX QVÆST. CXXXIII.

Cap. III.

ARGVMENTVM.

De Receptante Bannitos, & Delinquentes ignoranter.

RECEPTANS malefactores, Bannitos, ſeù delinquentes ignoranter, non punitur aliqua pœna, etiam Statutaria, quomodocunque ſit Bannitus, & ex quocunque crimine: ſcientia enim debet eſſe plena, & in dubio non præſumitur. 9

Regula tamen non habet locum, quando adeſt publica vox, & fama, vel eſt notorium, ſed hoc non ſufficit eſſe in Ciuitate, ſed requiritur ſpecificè in ipſo vico Ciuitatis, vbi receptatur: etiam ſufficit ſimplex tumor. Amicus verò, vicinus, & conſanguineus, præſumitur hoc ſcire, & ideo de receptatione tenetur. Sic & non poteſt allegari ignorantia à Receptante famoſum Bannitum, ſeù Latronem, niſi iſte ſibi nomen mutaſſet: quinimo nec quando receptatur in loco, vbi fuit publicatum Bannum. Quod ſi daretur tantum ſcientia præſumpta, tunc imponeretur pœna extraordinaria: qua omiſſa, poterit Iudex, ſi voluerit Reum torquere ſuper dicta ſcientia: vſque ad *n.* 139. 10 11

EX QVÆST. CXXXIV.

Cap. I.

ARGVMENTVM.

Mandatum in delictis, quibus verbis contrahatur.

MANDATVM inducitur quocunque modo, & quibuſcunque verbis: ac præſertim contrahitur verbis imperatiuis, prout ſunt, *volo*, *mando*, *occide*, *vulnera*. Contrahitur etiam verbis rogatiuis, optatiuis, enunciatiuis, æquipollentibus: quinimò & per verba imperſonalia, impropria, materialiter, & groſſo modo prolata, verba tacita, & coniecturatè importantia mandatum: attenditur enim ſubſtantia 1

verborum, non autem sonus: vsque ad *num.* 14.

Declara, dummodò ex dictis verbis,
2 & ex proposito modo, appareat de intentione, & voluntate Mandantis: & dummodò talia verba sint apta, & idonea ad importandum mandatum, quod non inducitur ex verbis admonitoriis, commendatoriis, laudatoriis, hortatoriis, & persuasoriis: & hinc sequitur, quod si quis inquiratur de mandato, & probetur consilium, debeat absolui: quapropter Testes sunt diligenter interrogandi de verbis à Mandante prolatis: quinimo debet apparere desiderium vindictæ, attenta qualitate personæ mandantis, & subsecuta offensio debet esse correspondens iniuriæ illatæ
3 ipsi mandanti. Debent ergo verba mandati esse clara, nisi interpretatio ad malum esset verisimilior: ex quo non infertur ex verbis conditionalibus: & licèt Alij contra, & forsan veriùs; Fiscus tamen debet probare implementum conditionis, cum deficiente conditione, mandatum quoque deficiat: non enim important mandatum verba restricta ad arbitrium, & voluntatem mandatarij, vt putà si dicatur, *si vis occidere, occidas:* imò nec verbis generalibus non exprimentibus personam occidendam, provt nec præsumitur ex datione pecuniarum, nec inducitur nutu, & signis ex motu capitis: vsque ad *n.* 41.

EX QVÆST. CXXXV.

Caput II.

ARGVMENTVM.

Mandatum an præsumatur, seù inducatur ex verbis dictis famulo à Domino, ne redeas domum, donec aliquid noui senserim de illata iniuria, *aut quid simile? Et quid de allocutione facta à Domino ad aures sui famuli, qui postea sui Domini inimicum occidit.*

REGVLA prima sit, quod ab alio iniuriam recipiens, si dixerit famulo, *Non redeas domum, nisi aliquid senserim de illo negotio:* & famulus ex
5 tunc discedens, interfecerit iniuriantem, præsumitur mandatum; & Dominus ipse eadem pœna, qua famulus occisor tenetur. Verùm hoc mandatum non præsumitur, nisi tribus concurrentibus, scilicet secreta allocutione ad aures, capitali inimicitia, & homicidio incontinenti secuto. *Author* secretam al- 6
locutionem fallacem dicit, & conclusionem firmat, quod tunc præsumatur mandatum, dummodò occisus intulisset mandanti Domino grauem iniuriam, & correspondentem homicidio inde secuto, habito respectu ad personam iniuriantem, & iniuriam. Sic enim 7
Regula procedit provt loquitur, in famulo scilicet, in quo non poterat cadere alia verisimilis verborum interpetratio, quam homicidij cõmittendi; secùs si fuissent prolata cum alia persona: quinimò ex verbis Domini dictis famulo, si iungatur, *Accipe baculum, & non redeas domum, &c.* tunc ex genere armorum non præsumitur mandatum: vsque ad *num.* 56.

Regula secunda sit, quod præsumi- 8
tur mandatum ex allocutione facta ad aures alicuius, qui incontinenti occidit inimicum alloquentis: sed id procedit tribus concurrentibus. *Primò*, vt allocutio sit facta secretè, & ad aures. *Secundò*, vt præcedat capitalis inimicitia. *Tertiò*, vt sequatur homicidium incontinenti: solum enim colloquium etiam secretum, non facit de se iudicium, licèt sufficiat vt præcedant similia, & æquipollentia: sed ex prædictis, quamuis Alij contra, pro communiori tantummodò datur locus torturæ: vsque ad *num.* 67.

EX QVÆST. CXXXIV.

Caput III.

ARGVMENTVM.

Mandatum an præsumatur in filio, seruo, famulo, consanguineo, seù amico occidente, vel vulnerante Patris, Domini, Consanguinei, vel Amici inimicum.

REGVLARITER filius, famulus, consanguineus, & amicus occi- 9
dentes, seu aliquo modo offendentes illos, qui iniuriam eorum Patri, Domino, Consanguineo, seù Amico intulerunt, non præsumuntur occidisse

ex-

ex mandato iniuriam paſſi. Alij contra; Sed retenta Regula pro veriori, eò magis extenditur, quando talis, inimicis eſſet iniuriam recipientis : præcipuè ſi delictum conſideretur momentaneum; ſecus, ſi ſucceſſiuum, in quo non præſu-
10 mitur ignorantia : eò magis in arduis, & cauſis magni momenti, concurrente præcipuè ratificatione, ſeù aliqua coniectura, & eò fortiùs ſi ſcientes tacuerunt, & non prohibuerunt : ſed quia iſta ignorantia præſumitur, & probatur iuramento, ideo neceſſe eſt probare ſcientiam ſpecificam præcipuè niſi concurrat ſecreta allocutio, inimicitia præcedens, & delictum incontinenti ſecutum. Alij contra : & cum hac contra-
11 ria opinione reſidet *Author*, licèt dicat, quod talis mandati præſumptio elidi poſſit per ſibi contrariam, nec ſufficiat ad imponendum pœnam ordinariam, & grauem, ſed tantùm extraordinariam, & leuem : vſque ad *n. fin.* 108.

EX QVÆST. CXXXV.

Pars. I.

ARGVMENTVM.

Mandans quando, & qua pœna puniatur.

1 MANDANS punitur regulariter eadem pœna, qua mandatarius: imò plus delinquit, & obligatur, nõ ex mãdato, ſed ex delicto ſubſecutio: & ſi Mãdãtes ſint plures, ſinguli eadẽ pœna puniuntur, ſiuè mãdauerint certæ perſonæ, ſiuè etiã incertæ; vt putà, ſi publicè profitebantur quærere hominem cui mandarent homicidium, ſiuè ad talem effe-
2 ctum pecuniam ſpondebant. Sed quia Mandans fictè delictum committere dicitur, non comprehenditur ſub Statuto pœnali, puniente delinquentem : non
3 tenetur de exceſſu, nec de delicto poſt reuocationẽ mandati perpetrato : vel ſi Mandatarius mandatum recuſauerit, & poſt recuſationem occiderit. Item de mandato quis non tenetur, quando prætenditur, quòd inferior mandauerit ſuperiori; vt putà filius Patri, ſeruus Domino : nec etiam quando dato mandato, alter ſine mandato accidit, ſic enim non poteſt agi contra Mandantem, niſi conſtet de mandatario, & mandato : Et hinc infertur, quod Abſolutoria lata ad fauorem mandatarij non proſit man-
4 danti; nec mandans puniatur eadem pœna, qua mandatarius, quando in mandatario adſit aliqua qualitas aggrauans pœnam, & delictum : & hinc mandans Adulterium, non tenetur eadem pœna iniuriarium: idem de pupillo doli capace, mandante falſum teſtimonium dici, non pœna falſi, ſed extra ordinem punitur.

EX QVÆST. CXXXV.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Ratificatio in delictis, an & quando Mandato æquiparetur.

RATIFICATIO in delictis æqui-
5 paratur Mandato, quamuis ex delicto ratificato nihil peruenerit ad ratificantem, & quamuis etiam delinquens eſſet aliàs facturus. Ratificatio autem inducitur verbis, & facto; & hinc ex receptatione, & occultatione delinquentis inducitur ratificatio, ſi delictum fuerit commiſſum nomine receptantis, & æquiparatur mandato, etiam ad effectum incurrendi excommunicationem.
6 Nunquam tamen inducitur ex aliquo actu, niſi ex eo neceſſario inferatur: debet enim eſſe expreſſa, non autem tacita, ſeù præſumpta : nec videtur æquiparari mandato, quoad incurrendam Irregularitatem, ideóque non inducitur ex ſignis lætitiæ, & complacentiæ, prout non excluditur ex ſignis doloris : qua propter Statutum de mandato loquens, non extenditur ad ratificantem; quia licèt in Ciuilibus ratihabitio retro trahatur ad tempus celebrati contractus, non tamen ſic eſt in Criminalibus, in quibus tantùm obligat à die ratificationis, non à die commiſſi delicti: quinimò tunc æquiparatur mandato, dummodo delictum ſit commiſſum nomine Ratificantis, & ſit ratificatum tamquam geſtum nomine ſuo : vſque ad *num.* 95.

***

EX QVÆST. CXXXV.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Mandans, an verè, vel fictè, & interpetratiuè dicatur committere delictum, & an comprehendatur sub Statuto puniente delinquentem.

MANDANS delictum, quia fictè & interpetratiuè illud facere dicitur, propterea ex homicidio non dicitur propriè homicida: & Statutum puniens delinquentem, non comprehendit Mandantem: multò minus 7 comprehenditur sub Statuto Pœnali quando istud corrigit Ius commune, vel est contra Ius commune, scilicet quando imponit maiorem pœnam eâ, quam imponit Ius commune, siue loquatur in rem, siuè in personam; licèt verè comprehenderet mandantem, quando à Iure impositam pœnam imponeret, vel expressè statueret super mandato, seù esset conceptum verbis generalibus, & communibus, aptis comprehendere mandatarium, & mandantem; vel eius ratio, finis, commodum, & effectus respicerent ipsum 9 mandantem; seù non comprehendendo, remaneret elusorium, & mandantis delictum impunitum. Et generaliter mandans comprehenditur sub Statuto puniente delictum, quando loqueretur in rem; vt putà, si dixerit, *pro homicidio, pro furto, pro vulnere imponatur talis pœna*: secus, si loqueretur in personam dicendo; *si quis occiderit,* 10 *vulneraverit, aut furatus fuerit*, &c. quia, licèt delictum mandantis, & mandatarij sint vnum & idem, & hinc mandans, & mandatarius possint accusari in eodem libello, attamen obligatio non est eadem, cùm sint tot obligationes, quot sunt personæ delinquentes: vsque ad *numer.* 150.

***

EX QVÆST. CXXXV.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

Mandans qua pœna puniatur, si mandatarius fines mandati excesserit.

MANDANS regulariter excusatur, & non tenetur, si mandatarius 11 excesserit fines mandati: qua propter mandans aliquem percuti pugno, alapa, baculo, vel similibus instrumentis, non aptis ad mortem inferendam, tunc non tenetur de homicidio, præcipuè si prohibuerit ne ferro percuteret, aut occideret: sic pariter, & mandans aliquem *sfrisari*: licèt hoc secundùm Authorem non transeat sine contradictione, & de mente illius Contrarium sit verius. Multóque magis excusatur 12 mandans de excessu mandati, quando quid mandetur, non tendens ad excessum subsecutum; vt putà, si mandetur rapi mulierem, & mandatarius occidat.

Mandatum insuper potest excedi in tempore; vt putà, si quis mandauerit quem vulnerari, seù percuti certa die destinata, & non alia, si delictum sequatur vltra terminum præfixum, non tenetur. Sic quando mandatur aliquid, 13 quod erat in potestate mandatarij non excedere, & excedere tamen voluit.

Sed singulariter de excessu teneretur, si mandatarius excessisset præsente mandante, & non contradicente. Et generaliter mandans obligatur de eo, quod minus fecit mandatarius: nec non de homicidio tenetur si mandauit vulnerari, cum ex vulneribus de facili potuerit considerare mortem inde secuturam: vsque ad *n.* 174.

EX QVÆST. CXXXV.

Pars V.

ARGVMENTVM.

De reuocatione mandati.

REGVLA firmatur, quod reuocans mandatum non teneatur, si 14 mandatarius

mandatarius post reuocationem delictum sibi mandatum commiserit: mandatum enim dicitur reuocatum, non solum expressè, sed etiam tacitè; vt putà, quando mandans contraxerit parentelam, vel fecerit pacem cum suo inimico, quem occidi mandauerat, si de iis mandatarius habuit notitiam.
15 Censetur etiam reuocatum per superuenientem inimicitiam cum mandatario, seù ex morte mandantis.

Regula sic ampliata limitatur, & declaratur, quod procedat, dum modo reuocatio, licèt si fuerit negligens in intimando reuocationem, quia cessat dolus, in omni delicto requisitus, non imponitur pœna ordinaria. Non autem censetur reuocatum mandatum per absentiam mandantis, nec ex diuturnitate temporis, ex quo semper, & quandócunque sequatur delictum, etiam quod mandatum fuerit reuocatum, semper adhuc imponitur pœna arbitraria: sed hoc *Author* dicit non habere locum, nisi in crimine Assassinij, & in casu quo mandans mandati reuocationem non intimauerit: vsque ad *num.* 188.

6

17

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS DECIMA-SEXTA.
EX
LIBRO QVINTO, TITVLO DECIMO-SEXTO, QVÆST. CXXXVI. PARS I. DE DELICTIS CARNIS.

ARGVMENTVM.

Adulterium, & Copula carnalis, an præsumptionibus, & coniecturis probetur.

DELICTA carnis (dicit *Author*) omnes tangunt,
1 & sibi crede (ita asserit) etiam Iuris peritos, & eos quidem excellentes: quare illorum materiam sic contingibilem, & communem aggressurus in hoc primo Quæstionis capite Regulam constituit, quod Adulterium, & Copula carnalis probetur coniecturis & præsumptionibus: & si agatur de probanda innocentia alicuius inquisiti, leuiores sufficiant; nec non Iudici tribuatur arbi-
2 trium infide adhibenda similibus coniecturis: hoc sanè intellecto, vt debeat esse circumspectus, & discretus in istis considerandis: & quia fornicatio, & copula carnalis nõ ex quacũque præsumptione dicitur probata, ideo debent esse plures, violentæ & certæ; aliàs enim probaretur conatus quidem, non tamen Adulterium: & quandócumque reciperent contrariam probationem. Præ-
3 sumptionibus ergo & coniecturis Adulterium, fornicationem, & copulam carnalem probari tunc dicimus, & firmamus,

mamus, quando scilicet agatur ciuiliter ad impediendum matrimonium contrahendum, ad thori separationem, vel dotis amissionem; secùs si agatur criminaliter ad pœnam, quia tunc præsumptiones etiam violentæ, quæ oriuntur ex solitudine, & nuditate in eodem lecto non satis essent ad probationem, secundum Aliquos: sed certum est de mente *Authoris*, 4 quod si oriantur ex actibus propinquis, sufficiant ad imponendam pœnam extra ordinem mitiorem: & si versaremur in crimine Sodomiæ, vel simili capitali, etiam ad imponendam pœnam corporalem, & triremium: vsque ad *n.* 26.

EX QVÆST. CXXXVI.

Cap. II.

ARGVMENTVM.

Adulterium, seu copula carnalis, vtrùm probetur per Testes, siue ex partium confessione iudiciali, seu extraiudiciali.

REGVLARITER, quia Adulterium, & copula carnalis probari potest per Testes, isti admittuntur dicentes se non simultaneè sed seorsim per foramen ostij, vel parietis vidisse virum & mulierem carnaliter se commiscentes: non enim per hoc dictum successiuum inducitur singularitas: imò recipiuntur Testes de credulitate, dummodò reddant causam credulitatis per actus visus; quia licèt non probent concludenter, & per necesse, cùm tale opus non subiaceat oculis, probant tamen præsumptiuè, & ex tali præsumptiua probatione resultat indicium ad condemnandum sufficiens. Mulieris verò inhonestas, 6 & mala fama probatur per vicinos, si deponant per actus ad inhonestatem tendentes, & sensui visus subiectos: Extendendo ad testes deponentes audiuisse virum, & mulierem insimul in camera se commiscentes: & plenè probata copula dicitur per vnicum Testem deponentem de visu, hominem scilicet vidisse supra mulierem iunctis adminiculis. Admit- 7 tuntur etiam domestici: quinimò creditur asserentibus se cognouisse aliquam mulierem, & testantibus de auditu ab iis qui dixerunt aliquam mulierem carnaliter cognouisse: quod intellige si agatur ciuiliter de validitate Matrimonij, & sic ad eius fauorem; secùs si criminaliter ad puniendum Adulterium, seu coitum damnatum.

In proposito hoc vnum singulariter 8 nota, quod earundem Partium iurata confessio minimè probet copulam ad effectum separationis thori, nisi alia concurrant; ea quippe solidissima ratione, quia Adulterium & copula carnalis non potest directè, hoc est per necesse probari per testes: ideóque cùm tantummodò oriatur præsumptio, vehemens quidem, & sufficiens ad torturam, idcirco Testes de auditu ex tenui pariete, vel cortina, seu 9 per speculum vidisse testantes, virum & mulierem se commiscuisse, plenè non probant: eóque fortiùs, si tales testes sint lenones, & mediatores, ac dicant virum & mulierem intromisisse in aliquem locum ad peccatum perpetrandum: vsque ad *num.* 73.

EX QVÆST. CXXXVI.

Cap. III.

ARGVMENTVM.

Meretrix quæ dicatur? quomodóve probetur, seu præsumatur mulieris inhonestas.

QVANDO mulier dicatur meretrix, & quando inhonestam multa 10 probationum genera à Doctoribus in medium afferuntur: quorum.

Prima est, quando constat mulierem 11 publicè, & quæstus causa, aliorum libidini se venalem præbere. Dicitur meretrix, quasi *retro me trahens à bono opere*: nuncupatur propriè *mulier vulgaris*: vel dicitur meretrix, quia stipendia facit, & *mercede militat*: ex quo necesse est, vt publicè à muliere quæstus causa libido exerceatur.

Secunda, quando constat mulierem 12 sui copiam pluribus facere: ideóque requiritur vt se dederit pluribus quàm duobus: quinimò vt admiserit vltra tres, non enim potest dici meretrix ea, quæ vnius tantùm amore capta, illi sui copiam facit: sic nec pariter illa, quæ vnum tantùm admisit.

Tertia, quando constat mulierem com- 13 morári in lupanari, offerendo se communi omnium libidini: sed tamen hoc non

datur

datur per necesse, cùm etiam talis dici possit si extra lupanar commoretur, dummodò publicæ libidini se exponat.

Quarta, quando meretricio, & inhonesto habitu inducta incedit: verùm, hæc potiùs est præsumptio, quàm plena probatio. 14

Quinta, quando mulier sola incedit, & illuc vagatur, domos suspectas ingreditur, & loca illicita pertingit, ac frequentat. 15

Sexta si de nocte illius ianuam pulsantes admittit; præsertim si pulsantes, & ingredientes essent scholares; vel quando constaret fuisse in balneo cum aliquo viro, seu probaretur iuisse laruatam cum viris ad tripudia. 16

Septima, ex inhonesta vita matris, seu ex paupertate mulieris, cum paupercula de facili in corpus suum peccare præsumatur: idem de muliere, quæ mercimoniis publicè præest: eóque fortiùs si in caupona ministret. 17

Octaua, ex fama, nedum ciuitatis, sed etiam viciniæ: præcipuè si transiuisset in prouerbium: provt è contrà, fama honestatis multùm prævalet aduersùs inhonestatis præsumptiones: imò sola fama probationem non inducit, sed tantùm coadiuuat; & adminiculatur alias præsumptiones: vsque ad *n.* 107. 18

EX QVÆST. CXXXVI.

Cap. IV.

ARGVMENTVM.

De præsumptionibus, & coniecturis, ex quibus Copula carnalis, & Adulterium arguitur.

PLVRES traduntur præsumptiones ad probandam inhonestatem, & copulam carnalem; de quibus *Author* loquitur remissiuè, principaliores tantùm reassumendo, inter quas illa est, quæ ex præparatoriis ipsius Copulæ & Adulterij desumitur; præcipuè ex allocutione viri & mulieris in loco, & horis ad copulam commodis: & propterea excommunicantur ij qui post trinam monitionem reperiuntur fabulari cum muliere. Item ex risu, & ioco; ex ingressu in eandem domum, nisi afferatur causa ingressus, & illa quidem iusta: imò ex frequenti ingressu, & tortura infertur, & secundùm Aliquos ad condemnationem deuenitur. 19

Oritur insuper vehemens præsumptio ex conuiciis, ex transmissione munerum, & iocalium nunciorum, & litterarum amatoriarum, ex reciproco amore, ex osculis, ex amplexu in locis secretis, & aptis ad reliqua perficiendum; quibus iunctis aliis sufficiunt ad torturam: ex tactu mammillarum; & generaliter ex omni impudico tactu; ex loci solitudine, præsertim horis commodis ad copulandum: eóque magis in eadem camera, ostio clauso; licèt si vir cum muliere in loco secreto & abdito inuentus fuerit, non concurrentibus osculis & amplexibus, non sufficiat ad condemnandum, licèt satis sit ad torturam. 20 21

Præsumptio etiam inducitur aduersùs iuuenem deprehensum in domo alicuius pulchræ mulieris: sed tamen non ex hoc probatur copula consummata, nisi appareat de consensu mulieris, & iunctis aliis adminiculis. Maxima verò esset præsumptio, & ad torturam sufficiens, si iuuenis inueniretur in camera cum muliere vestibus exutus: seu mulier de camera, in quam erat ingressa cum iuuene, fuerit visa egredi cum rubore faciei, & crine soluto; vel constaret virum & mulierem in eodem lecto dormiuisse; præcipuè si esset solus cum sola, & nudus cum nuda: sed tamen hæc præsumptio non concludit per necesse, & tantùm sufficit ad torturam inferendam. 22 23

Item ex pernoctatione vxoris extra domum viri, sine causa, & sine illius consensu, nisi esset apud proprios parentes: vel pernoctaret publicè, & palam. Ex conuersatione cum lenis & lenonibus, ex cohabitatione viri & mulieris, ex qualitate personæ, & retroacta vita, ex qualitate temporis conuersationis, ex actu à communiter accidentibus ad fornicationem tendente: & generaliter ex omnibus actibus venereis, & signis propinquis Copulæ & Adulterio: sic certa, & concludens probatio inducitur, quando post annum absentiæ mariti, fuit vxor inuenta prægnans: vsque ad *num.* 193. 24 25

***

EX QVÆST. CXXXVI. Cap. V.

ARGVMENTVM.

De præsumptionibus excludentibus Adulterium, & carnalem copulam.

PRÆSVMPTIO excluſiua carnalis Copulæ & Adulterij, eſt Cle-
26 ricatus: non enim hoc de Clerico præſumitur, licèt aſpiciatur oſculari, & amplecti mulierem. Alij contrà: & *Author* firmat in hoc maximè attendendas eſſe circunſtantias loci, & temporis, qualitatéſque perſonarum. Excluditur etiam ex affinitate, & conſanguinitate, quamuis fuerint reperti iſti affines, & conſanguinei in eodem lecto iacentes. Alij contrà. *Author* verò diſtinguit, quod hoc procedat in conſanguineis proximis, nempe inter filios, fratres, & ſorores, ſecùs in remotioribus, & vbi vrgeat aliqua violenta præſumptio fornicationis. Excludi-
27 tur etiam ex actu geſto publicè, & palam; ex ſenectute præſertim mulieris, niſi vetula fuiſſet fortis & robuſta; ex infirmitate, ex deformitate mulieris; ſicut è contrà ex pulchritudine oritur maior præſumptio fornicationis; cùm inter pulchritudinem & pudicitiam lis ſit perpetua, & exitiale bellum: vſque ad *n.* 217.

EX QVÆST. CXXXVII.

ARGVMENTVM.

Quid, & quotuplex ſit fornicatio? vnde dicatur? quo iure prohibita? de illius pœna, & materia.

FORNICATIO deducitur à
1 verbo *fornicor*, quod idem eſt ac *meretricor*, eò quia meretrices in fornicibus, hoc eſt in locis obſcuris habitare conſueuerunt. Accipitur largè, & generaliter pro quocumque illicito coïtu: & ſpecialiter, ac ſtrictè pro concubitu ſoluti cum ſoluta.

Diſtinguitur in ſimplicem, & duplicem: ſimplex eſt, ſoluti cum ſoluta: du-
2 plex, quæ ſit cum coniugata, vel cum coniugato, & ſoluta vel ſoluto. In ſimplici fornicatione, de qua in *hac quæſtione* agitur, Regula conſtituitur, fornicationem iure diuino prohibitam, & damnatam eſſe: eóſque magis in Clericis, qui propterea deponi poſſunt: eò magis ſi ſint 3
fornicatores notorij, ſcandaloſi, & continuati: & eò fortiùs ſi habeant annexam aliquam qualitatem ſtupri, adulterij, ſacrilegij, ſeu inceſtus; ac ſint incorrigibiles: licèt Aliqui velint, quod etiam data incorrigibilitate deponi non poſſint, ſed tantùm beneficiis priuari. Alij volunt omninò deponi Clericos Regulares fornica- 4
tores, præſertim, ſi fornicatio committatur cum filia ſpirituali, ſeu cum muliere de Parochia; & de ea apud populum publica notitia habeatur: & quia fornicatio cum filia ſpirituali non præſumitur, ideo probanda eſt apertè, & concludenter: nec ſatis eſt dictum ſeu aſſertio mulieris corruptæ.

Fornicatio in propoſito, nedum Clericis, ſed etiam laïcis prohibetur: quam- 5
uis iſti in foro fori, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſæculari, de Iure Ciuili non puniantur: ſed coïtus mulieris cum proprio ſeruo adeò damnatur, vt mulier ipſa capite puniatur, ſeruus verò flammis comburatur: ex *l.* 1. *Cod. de mulier. quæ propt. ſer.* vſque ad *num.* 41.

EX QVÆST. CXXXVIII. Pars I.

ARGVMENTVM.

Concubinatus quo iure prohibitus, & quæ requirantur vt Concubinatus inducatur.

CONCVBINATVS crimen ſub fornicatione continetur: & Concu- 1
binarij triplici modo accipiuntur, ſtrictè ſcilicet, largè, & largiſſimè: ſtrictè, quando mulier retinetur, & cum ea res habetur ac ſi eſſet vxor; largè, quando mulier cognoſcitur, & retinetur certo tempore: largiſſimè verò Concubinarij appellantur Sacerdotes, & vxorati, qui vltra vxores, alteras mulieres cognoſcunt: ſed propriè Concubinarius dicitur, qui ſolutam & corruptam domi retinet ad libi-
dinem explẽdam. Clericus concubinarius 2
propriè ille appellatur, qui ſolutã mulierẽ, & corruptã nullo ſibi ſpirituali, vel carnali vinculo coniunctam retinet & cognoſcit.

De

De Iure Ciuili Concubina impunè retineri potest: filij ab ea nati dicuntur naturales, & per subsequens Matrimonium legitimantur; ad hoc autem vt inducatur
3 Concubinatus, viri & mulieris insimul cohabitatio diuturna requiritur, ac est de necesse vt mulier non sit virgo, seu vidua honesta, licèt per diutinam habitationem stuprum purgetur: quinimò requiritur vt mulier retineatur in schemate concubinatus, quod vir protestetur eam retinere in concubinam & loco vxoris, ac habita prole eam in vxorem velle ducere. Requiri-
4 tur vt concubina honestè tractetur, diligatur sicut vxor; quod sit vnica, quia habens duas concubinas, reputatur infamis, ac si haberet duas vxores: quod sit retenta, tractata, & reputata vt concubina publicè & ab omnibus, & retineatur domi in habitu concubinæ, & quidem diuerso
5 ab habitu vxoris. Requiritur tandem quod vir sit persona illustris, & nobilis, mulier verò inferioris conditionis. Concubinatus de Iure Diuino & Canonico prohibetur, & de Iure Ciuili licèt dubium sit an improbetur, communior tamen opinio est prohibitum censeri: vsque ad *n.* 32.

EX QVÆST. CXXXVIII.
Pars II.

ARGVMENTVM.

Pœna Concubinatus quæ sit? quando habeat locum, præsertim in Clericis.

6 CONCVBINATVS Clericis interdicitur ab vniuerso Iure: quapropter pluribus pœnis subiiciuntur: deponi debent arbitrio Iudicis: imò si bis aut ter moniti adhuc insordescant, verbali degradatione plectuntur: quod si vxorem ducant, ab Ordinibus solemniter deponuntur. Laïcis quoque tam solutis, quàm vxoratis cõcubinatus prohibetur: & si post tertiam monitionem concubinas retineant, excommunicantur: & si per annum in excommunicatione insorduerint, grauiùs castigantur.

Clericus item de hoc crimine conui-
7 ctus, priuatur perceptione fructuum beneficiorum, dummodò monitio præcedat: & si percipiat, suos non facit: reputatur inhabilis ad alia beneficia obtinenda: tanquam infamis reiicitur. & si interim celebret, efficitur Irregularis, solùm à Papa dispensandus: amittit potestatem standi in Choro, & habendi distributiones: quod si Clericus notoriè concubinarius & fornicarius 8
existat, celebrare non potest, & sic nullus debet illius Missam audire, quòd si audiant, mortaliter peccant; imò communicantes cum Clerico fornicario notorio, plus peccant, quàm cum excommunicato, si hoc faciant scienter: sic Clericus concubinarius ipso Iure incurrit pœnas propter 9
concubinatum inflictas vigore *Bullæ Leonis X.* quod si perseueret in concubinatu, & in eodem moriatur, Ecclesiastica sepultura carebit, comprehendendo etiam Cardinales & Episcopos, vigore *præcitatæ Bullæ*, ex qua Episcopi concubinarij Episcopatu priuantur. Et suspensio ab Ordine habet locum etiam in Clericis ad Ordines minores tantummodò promotis. Ideóque retinere prædictis non licet, nedum 10
concubinas, verum nec mulieres de incontinentia suspectas, & diffamatas: eisque interdicitur conuersatio cum commatribus. Et laïcus de Iure Canonico arbitrio Iudicis punitur, sed concubinæ ex decreto Concil. Trident. si ter monitæ non paruerint, possunt ab Episcopis grauiter puniri, & à Diœcesi expelli: quod si Episcopus, ad quem spectat concubinarios pu- 11
nire, id negligat, dicitur *Canis mutus & impudicus*, & suspenditur; quod si Clericus tamen efficeretur deterior quando præcisè compelleretur ad dimittendam concubinam, tunc Prælatus conniuendo ad tempus, non peccaret: verumtamen cum hoc non sit tutum, nisi adessent certissimæ coniecturæ deteriorationis, ideo bene erit, absque dissimulatione punire.

Concubinarius notorius de concubi-
natu notorio condemnatus appellare non 12
potest: & notorius in proposito dicitur ille, qui tanquam talis ex propria confessione, seu per sententiam fuit declaratus; aut per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, talis habetur. Clericus autem concubinarius emendatus, & à Superiore dispensatus, efficitur habilis ad susceptionem quorumcumque bonorum, 13
dignitatum, beneficiorum, & officiorum: sic enim caueri videtur ex *eadem Bulla Leonis*, cum qua concordat Concil. Trid. *sess* 25. *c.* 14. sed si post dispensationem recidiuus euadat, sine spe alterius dispensationis ex *eadem Bulla* efficitur prorsus inhabilis: vsque ad *n* 88.

EX QVÆST. CXXXVIII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

De Clericis ducentibus vxores.

CLERICIS vxorem ducere omnino prohibetur : à qua Regula
14 excipitur Ecclesia Orientalis, quæ Matrimonio per prius contracto secundùm illius ritum liberè vti potest : sed si semel ad sacros Ordines fuerint promoti, non possunt sibi vxores copulare. Clericus ideo in Sacris constitutus vxorem ducens committit Sacrilegium, de hæresi suspectus est, efficitur Irregularis; adeo vt nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad maiores promoueri
15 possit : ipso iure excommunicatus deponitur ab Officio, & Beneficio : sic & sub figura Matrimonij virginem violans, punitur etiam pœna stupri : & si virgo fuerit tantæ nobilitatis, vt in populo scandalum oriatur, poterit ipse Clericis publicis verberibus, vel alia
16 publica pœnitentia puniri. Clericus verò in minoribus constitutus vxorem ducere non prohibetur : sed priuatur omnibus beneficiis : amittit regressus auersus, & alia iura ad beneficia sibi competentia : pensiones Ecclesiasticæ, siquas habeat, de stilo Romanæ Curiæ illicò vacant, & beneficiis priuatur ipso Iure, etiam non secuta copula carnali, & quamuis ante eam mulier fue-
17 rit Monasterium ingressa, cùm ius semel extinctum etiam cessante causa non reuiuiscat; licèt secùs, si matrimonium fuisset solùm contractum per verba de futuro : vsque ad *n.* 115.

EX QVÆST. CXXXIX.

ARGVMENTVM.

De Iudæo carnaliter cognoscente mulierem Christianam, quando, & qua pœna puniatur.

IVDÆVS carnaliter cognoscens
1 Christianam, arbitrio Iudicis punitur : & pœna potest extendi ad corpus, inspecta mulieris honestate, & nobilitate : quòd si cognoscat meretricem, leuior, & mitior esse debet; sed interueniente qualitate Adulterij, Raptus, Incestus, aut Stupri, pœna mortis imponitur : eóque magis si cognosceret in opprobrium fidei Catholicæ. Christianus è contra, cognos- 2
cens Iudæam, ac si cum bruto rem habuisset, pœna mortis punitur, & instar sodomitæ plectitur, attendendo qualitates & circunstantias delicti : si autem Clericus Iudæam cognouerit, irremissibiliter deponitur. Quæ autem dicuntur de Iudæa, extenduntur ad Turcam, & quamcumque aliam Infidelem. Iu- 3
dæus autem cognoscens Christianam, ligatur pœnis statutariis, eisdem auctis ex qualitate, & circumstantia delicti. Quod si contrahat matrimonium cùm Christiana, tanquam omni iure damnatum, & vti nullum, illico irritatur, & capitalis mortis pœnæ subiicitur. Quod si liberi fuerint suscepti, reputantur incæstuosi, nec huiusmodi matrimonium dispensari potest à sede Apostolica, nisi Baptismo præcedente. Sed si Christianus rem habuerit cum 4
Iudæa, nesciens esse talem, excusatur; quæ quidem ignorantia præsumitur; nisi esset crassa & supina, & adeo notoria vt tergiuersari non posset : vsque ad *num.* 51.

EX QVÆST. CXL.

Pars. I.

ARGVMENTVM.

De pœna ducentis duas vxores, vel mulieris habentis duos viros : quæ sit, & quando habeat locum.

VXORES duas habere prohibi-
1 tum est etiam à Iure Diuino : sed qua pœna plecti debeat huiusmodi delinquens? cùm varij varia dixerint, verius & communius est arbitrariam imponi; quandóque scilicet fustigationis, quandóque triremium, in locis quibusdam ignominiosa mitra coronatur, & die festiuo ante fores Ecclesiæ exponitur. In Hetruriâ verò Statu Serenissimi Magni Ducis, mei benignissimi Domini, Teste Cabal. *cas.* 98. super 2
asino impositus ac mitratus fustigatur cũ duobus *conocchiis*; & mulier quę duos

viros

viros duxit cum duobus *biretis*. Insuper efficiuntur infames ipso iure : quinimò mulier duos viros ducẽti de iure Canonico inciduntur capilli,& vestis pars anterior & posterior abscinduntur:nec nõ contra easdem; & in viros binas vxores habentes,tamquam de hæresi suspectos
3 ab Inquisitore proceditur, inquiritur : & interrogantur quid de Sacramento Matrimonij sentiant ? quod si ex errore , vel fidei peruersitate hoc fecisse conuincantur, tamquam heretici puniuntur. Ducens autem duas Vxores pu-
4 nitur , quamuis secundum Matrimonium sit nullum, ex quocumque capite : extendendo ad ducentem duas sponsas ; etiam quod cum vna ex dictis non fuerit secuta copula carnalis : licèt hoc casu mitior pœna imponatur. Si autem compertum fuerit , mulierem habere duos viros , tunc primo viro restituitur : & si ad illum regredi denegauerit, excommunicationis vinculo innodatur : nec ipse Papa ex quacumque necessitate dispensare valet , vt quis
5 duas vxores retineat. Mulier verò ignoranter contrahens matrimonium cum viro vxorato, vel vir ducens vxorem maritatam inscienter, nulla pœna puniuntur , dummodo ignorantia sit in facto probabilis , nec erretur in iure , putando posse duci duas vxores : ac insuper huiusmodi mulier dotem datam repetit , & si quid sibi occasione prædicta à Marito promissum fuerit , consequi nequit , licèt quæ sibi tradita sunt iustè retineat , dummodo ignoret virum
6 aliam vxorem habere : si verò scienter duxerit, Fiscus auferet ab ea tanquam ab indigna: si verò vterque bona fide, & ignoranter nuptias contraxerit , vtrique datur repetitio : Filij verò nati ex tali matrimonio nullo , & cum altero coniugum habente maritum , vel vxorem respectiuè , adhuc legitimi reputantur secundùm Glos. in *L. miles* , §. *mulier* , *ff. de adulter.* Et ex text. & Glos. in *cap. ex tenore* , *qui filij sint legitimi.* modò subsit bona fides saltèm ex parte alterutrius coniugis: vsque ad *n.* 41.

EX QVÆST. CXXXX.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Mulier credens virum suum mortuum, quando possit secundò nubere ? quando credulitas dicatur iusta ? & quomodo probetur mors viri , & licentia concedatur secundò nubenti.

MVLIEREM secundò nubentem , nondum mortuo primo vi- 7
ro , ab omni pœna excusari , si verisimiliter credidit primum virum mortuum esse , indubitati Iuri dicit *Author* : nec immeritò , quia cùm cesset dolus , delictum considerari non potest. Sed è contrà punitur , quando credulitas fuit iniusta : & dè iure nouissimo Authenticorum , nec non de iure Canonico, mulier secundò nubere non potest nisi fuerit de morte viri certificata , non obstante quacumque longa absentia ; cùm dici non possit plenè certiorata nisi ex concludentibus pro- 8
bationibus. Probatur tamen mors per nuncium destinatum à coniuge ad similem mortem , vel vitam percontandam , siue per nuncium ab alio ad ipsum coniugem destinatum ; eóque magis per transmissum à Iudice, cui quidem est credendum , si qualitas personæ , & causæ circunstantiæ secùs non suadeant. Probatur etiam per Testes de credulitate , adducentes de eorum dictis bonam rationem : siquidem & & probatur si fuerit visus in mari , & naui naufraganti : Sed per quamcum- 9
que diligentiam de reperiendo virum factam ab vxore , seu ab alio ad eius instantiàm , de secundò nubendo licentia non impartitur , nisi certè & liquidò probetur mors coniugis : quamuis generaliter , an mors viri sit probata , nec ne ? Iudicis arbitrio remittatur : vsque ad *numer.* 76.

EX QVÆST. CXLI.

ARGVMENTVM.

De Adulterij omni Iure prohibiti grauitate, & pœna: quando illa locum habeat? & quando non.

ADVLTERIVM nil aliud est, 1
quàm alieni tori violatio: delictum quidem grauissimum & detestabile: grauius stupro: quasi Sacrilegium, de iure Diuino, naturali, & gentium, Canonico & Ciuili omnino prohibitum: inter crimina publica numeratum: licèt ad accu- 2
sandum extranei prorsus repellantur; quia in primis huiusmodi actio accusatoria Marito competit, deinde Patri, Fratri, Patruo, & Auunculo: datur facultas procedendi per inquisitionem, & ex officio, seruata forma decreti Concil. Tridentin. 3
sess. 24. *cap.* 8. Est mixti fori: tractari potest coram Iudice Ecclesiastico tam quoad illationem pœnæ criminalis, quàm quoad amissionem dotis; licèt talis Iudex non possit pœnam mortis imponere, nisi habeat iurisdictionem temporalem. Quod si mulier sit de Iurisdictione Ecclesiæ, poterit de Adulterio à Iudice sæculari ab Ecclesiastico deputato puniri, si autem secùs, laïcus priuatiuè cognoscit, & coram Ecclesiastico tractatur separatio tori: 4
quinimò Iudex Ecclesiasticus potest de hoc crimine cognoscere, licèt mulier non sit de illius foro, imponendo omnes pœnas, nisi interuenerit insultus, & violentia, quia tunc Laïco potestas tribueretur: quamuis vbi contigerit de validitate Matrimonij disputare, Laïcus iurisdictionem exercere non possit. Si verò Dominus directus feudi cognoscat vxorem vasalli, ius feudi perdit, ipsèque vasallus ab illius iu- 5
risdictione eximitur: & è contrà, si vasallus rem habeat cum vxore, filia, nepte, nutu, aut sorore sui Domini, vel id ausus fuerit attentare, feudo priuatur, & Domino applicatur: vsque ad *n.* 49.

Extende, vt hæc pœna locum habeat, & imponatur accommodanti domum pro 6
Adulterio committendo: Et accusatio competat etiam sponso aduersùs sponsam, siue sponsalia sint contracta per verba de præsenti, siue de futuro: quinimò mulier accusari potest etiam quod mortuo viro, cum Adultero se desponsauerit. demùm vir potest accusare vxorem de Adulterio commisso tempore primi viri.

Pœna autem Adulteris imposita ante ius *Authen.* nedum procedit in masculo, 7
sed etiam in fœmina, ex quo de iure *Codicis*, etiam in fœmina pœna est capitalis: nec excusatur dicendo, Maritum suum sibi non reddere debitum; in se nimis insæuire: quinimò, nec propter famis necessitatem, seu egestatem: intrat etiam pœna, quamuis matrimonium sit nullum, & putatiuum, ac dotem consignatam non repetit. Et licèt hodie de Consuetudine 8
Adulteria non puniri multi voluerint, ac præsertim in regno Franciæ; Tiraquell. tamen *de Legib. connub.* dicit ibidem Adulteros impunitos non euadere: & vigore Statutorum præsertim Italiæ, ac præcipuè in Statu Ecclesiastico ex *constitut. Marchiæ*, *lib.* 4. *cap.* 69. imponitur pœna vigintiquinque florenorum: quod si retineatur vxor alterius absque voluntate viri, centum florenorum pœna irrogatur. Et quidquid sit de Iure, hodie circumscriptis 9
Statutis, quæ vbi adsint, vtique seruanda; pœna est arbitraria: in muliere scilicet, quandoque fustigationis; & in viro, vltra pecuniariam, exilij: quia licèt vxoratus accedens ad solutam non committat adulterium de iure Ciuili, sed tantùm Stuprum; de Iure Canonico Adulterium committit. Cum meretrice autem nupta, 10
secundùm Aliquos licèt cesset pœna Adulterij ex parte viri; veritas tamen est, quod respectu mulieris meretricium non excuset, nisi marito consentiente: & ita firmat *Author*, pro communiori: hoc adiecto, quod si Clericus habeat rem cum meretrice nupta, non excusetur. Et generaliter Adulterij pœna non euitatur mu- 11
lierem cognoscendo, quæ licèt meretrix ante nuptias, postea maritata desierit meretricari. Idem & immaritata, quæ non adhùc inceperit meretricari, licèt animo meretricandi se posuerit in prostibulo. Non autem locum habet huiusmodi pœna in cognoscente concubinam alterius, 12
sed tantùm datur actio stupri: provt mulier non punitur, si per vim passa fuerit adulterium; vel se cognosci ab alio, quem credebat suum virum. Extendendo non etiam committi à cognoscente mulierem, 13
quam nesciebat esse nuptam: sed in dubio ignorantia non præsumitur: nec desunt volentes ignorantiam non excusare: licèt pœna ordinaria non irrogetur effectu non secuto.

Vxor autem maritum criminaliter 14
quoad pœnam infligendam accusare non

potest;

poteſt; ſecùs verò ciuiliter ad ſeparationem tori; & dotis, atque donatorum propter nuptias reſtitutionem. Id tamen non procedit de Iure Canonico, cum ex generali capite iniuriarum, virum accuſare poſſit, cùm negari non poſſit quod iniuriam patiatur ex adulterio ſui viri. Sed non poteſt contra mulierem agi de adulterio niſi priùs
15 probato matrimonio, nec etiam accuſari quando prætenſus adulter fuit abſolutus: & denique hoc crimen & pœna tolluntur abolitione eorum qui legitimè accuſarunt: vſque ad *n. fin.* 109.

EX QVÆST. CXLII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Vxor an & quando pro adulterio amittat dotem? & quid de vidua committente ſtuprum infra annum luctus, vel poſt.

VXOR ex adulterio regulariter
1 dotem amittit: priuatur donatione propter nuptias, & lucro dotis ex pacto proueniente: amittit etiam dotem promiſſam, quam vir lucratur, necnon omnia legata & à Marito donata. Quod procedit non obſtante quacumque viri ſæuitia, egeſtate, inopia, non redditione debiti; & quamuis ſit vxor putatiua: ideóque matrimonium nullum propter aliquod impedimentum Affinitatis ſeu Conſanguinitatis, dummodò committatur ante ſententiam latam ſuper ſeparatione tori, & in validitate Matrimonij. Hæ-
2 redes verò mulieris agentis ad dotis repetitionem, exceptione Adulterij repelluntur: & ſic tam agendo, quàm excipiendo amittitur dos: quinimò ſuper hoc nec valent pacta contraria, & vxor ex Adulterio dote priuata, non poteſt petere alimenta, licèt ali debeat à filio, niſi in vitæ turpitudine luxuriosè viuendo perſiſtat. Et è contrà, à Marito adultero vxor recuperat dotem, & lucratur donationem propter nuptias, etiam conſtante matrimonio: & ſi à viro accuſetur, poteſt contra illum de adulterio excipere ante litem conteſtatam, vt vnius adulterium cum altero compenſetur, dummodò à principio actio criminalis fuerit intentata.

Vidua verò, ſi mortuo marito ſtuprum commiſerit, & ipſa dotem amit- 3
tit, illáque acquiritur hæredibus Mariti. Alij contrà: & in iudicando non errabitur adhærendo benigniori, & æquiori ſententiæ, quod dos ſcilicet non amittatur, licèt indubitanter priuetur legatis, donatis, augumento dotis, & lucro facto conſtante Matrimonio, necnon quibuſcumque aliis bonis prouenientibus à Marito. Quod ſi
infra annum ſtuprum committat, ap- 4
plicantur hæredibus, & perſonis enumeratis in *leg.* 1. *C. de ſecund. nupt.* ſi verò poſt annum, applicantur Fiſco: provt è contrà, maritus in viduitate luxurioſam vitam ducens, perdit omnia legata, & donata ſibi ab vxore: ſed in hac Concluſione ne figas pedes: ſi hoc enim verum eſſet (provt dicit *Author*) omnes ferè Mariti in viduitate dotem & lucrum amitterent.

Maritus verò, mortua vxore, poteſt etiam contra hæredes ad reſtitutionem 5
dotis agentes de Adulterio excipere, eóſq; tali exceptione repellere. Quod procedit, ſi vxore viuente Adulterium non innotuit: quinimò non deſunt volentes non eſſe neceſſariam in vita mariti accuſationem, nec diuortium: ſed ſi notitiam habuiſſet, & domi retinuiſſet, quamuis inde ſequuta eſſet reconciliatio, ſimili exceptione non defenderetur: eóque fortiùs ſi vxori remiſiſſet, & accuſationi renunciaſſet: hoc ſanè intellecto, quod renunciatio non trahatur ad Adulterium commiſſum reconciliatione ſecuta, niſi conſenſerit adulterio, vel ipſe leno extiterit, tunc enim dotem non lucrabitur, quia ipſo excipiente de adulterio, vxor replicare poteſt de Lenocinio. Sic & non procedit in præiudicium pa- 6
tris filiam dotantis; nam ipſo viuente eidem dos reſtituitur excluſo Marito accuſatore, quamuis pater non ſtipulatus fuerit dotem ſibi reddi, niſi adeſſet Statutum in contrarium. Sic & pariter dotem datam ab extraneo, cum 7
ſtipulatione quod ſoluto matrimonio ſine liberis ſibi reſtituetur, hanc dotem maritus non lucratur propter adulterium vxoris: dummodò extraneus dotem ſibi reddi ſtipulatus fuerit.

Regula tamen procedit quando Maritus & vxor ex eodem matrimonio liberos non procreaſſent: quod ſi habuiſſent, ipſis liberis reſeruatur, ſaluo

vsufructu, qui Marito acquiritur. Extendendo, etiamsi de altero Matrimonio filij extarent.

8 Hæc amissio dotis non datur nisi præcedente sententia: & quia hodie ex *Authentica, sed hodie*, sunt correctæ aliæ *leges*, adeò vt dos ablata per adulterium non applicetur Marito: ad talia iura concordanda, variæ adducuntur opiniones: & Author firmat, quòd *dicta Authentica, sed hodie*, tantummodò habeat locum, quando vxor propter Adulterium in Monasterium detrusa, marito recusante eam recipere, post biennium monialem habitum assumpserit: tunc enim dos amissa ipsi
9 Monasterio & filiis applicatur: quòd si vxor monialem habitum non assumpserit, & Monasterium multò minùs fuerit ingressa, tunc maritus accusans dotem lucratur, dummodò Adulterium sit plenè, & clarè probatum: vsque ad *num.* 113.

EX QVÆST. CXLII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Hæredibus Mariti, an, & quando competat contra vxorem agentem ad dotis restitutionem actio seu exceptio Adulterij.

10 ACTIO, seu exceptio Adulterij non competit hæredibus Mariti, ad repellendum vxorem agentem ad dotis restitutionem, de opinione quãplurium. Alij verò distinguentes dicunt, talem actionem competere quando maritus viuens Adulterium vxoris ignorauerit; secùs verò, si sciuerit nec accusauerit, sed passus fuerit: & hæc ignorantia in dubio præsumitur. Alij
11 verò contra hanc distinctionem insurgentes intrepidè firmant hanc actionem hæredibus non dari: sed quia cum prima opinione residet *Author*, intelligendo tamen quod tantùm agere valeant per viam exceptionis, quamuis Maritus viuens adulterium sciuerit, sed non fuerit in tempore ad accusandum, quia statim post scientiam obierit; ita
12 est tenendum. Quod si superuixerit, sciuerit, tacuerit, non improbauerit, & conquestus fuerit, tunc hæredibus prædictis talem actionem non competere indubitati iuris est. Si verò non iudicialiter, sed extraiudicialiter conquestus fuerit, eam è domo expellendo, aut aliter improbando; hæredes mariti contra vxorem repetentem, secundariò, non autem principaliter agere possunt: extraneis, & singularibus successoribus prorsus & omninò tali accusatione prohibita: vsque ad *num.* 132.

EX QVÆST. CXLII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Vxor an dotem amittat propter osculum luxuriosum, tactum mammillarum, aut alios actus ad Adulterium præparatorios.

VXOR conuicta de præparatoriis ad Adulterium, putà de osculo, dotem 13
amittit, aliis circunstantiis concurrentibus: secùs verò, vbi solùm osculum interuenerit, quia dispositio loquens de copula carnali, non debet ad alios actus, quamuis propinquos, extendi: licèt multi velint dotem amitti, non solùm propter os- 14
culum, sed etiam ex pernoctatione extra domum sine viri licentia, non data iusta causa. Extendendo, si viro prohibente, Circensibus, aut Theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis gaudeat: quinimò sufficit osculum ad tori separationem, quando ex illo matrimonium valde diffamatur. Non tamen dotem amitteret ex
osculo sibi lato, non ex causa libidinis, seu 15
dato à Clerico, siue propter consanguinitatem: vel quando in loco adesset consuetudo osculandi, aut dederit, seu receperit in loco publico: vsque ad *n.* 153.

EX QVÆST. CXLII.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

De pœna Osculi, & Osculantis.

VIR osculatus mulierem honestam, 16
nuptam, Virginem, aut viduam inuitam, seu absque honesta & legitima causa,

causa, pœna extraordinaria mulctatur: deosculatus verò libidinis causa puerum, seu adolescentem, deportationis pœna plectitur: sicut & Iudicis arbitrio remittitur, quæ sit pœna mulieris patientis se deosculari. Multóque magis est puniendus deosculans mulierem per vim, quamuis osculum fuerit illatum in via, seu platea publica: quinimò hoc casu non desunt tenentes posse imponi pœnam mortis: præcipuè attenta qualitate osculantis, &
17 osculatæ. *Author* tamen firmat primam opinionem veriorem: declarando, vt vi interueniente, pœna debeat esse corporalis, & ad triremes, licèt quandóque concurrentibus circumstantiis factum aggrauantibus posset imponi pœna mortis.

Arbitrariè etiam punitur ille, qui mu-
18 lierem osculatus fuerit non libidinis causa, sed vt illam duceret in vxorem contra eius parentum voluntatem: sed si præcesserit tractatus inter puellam osculatam, & osculantem, tunc nulla pœna imponenda esset, stante consensu puellæ passæ se deosculari. Et quocumque casu, pœna arbitraria mitigatur ex osculo causa amoris illato: vsque ad *n. fin.* 172.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Præmissa.

ARGVMENTVM.

Matrimonij vinculum non dissoluitur, an hoc sit semper verum? & quando dissolui possit? & de potestate Papæ super dissolutione Matrimonij.

MATRIMONIVM consummatum ex quacunque causa hodie
1 non dissoluitur; licèt separatio tori in quibusdam casibus non denegetur. Sed quomodo matrimonium copula carnali non consummatum dissoluatur? Author loquitur remissiuè, & præcipuè ad Couarr. 4. *Decret. p. 2. c. 7. §. 4.* provt pariter loquitur remissiuè quando coniux post alterius adulterium possit ingredi Religionem, seu ad sacros Ordines respectiuè promoueri.
2 Quid si ambo Religionem ingrediantur? & quid si alter non consentiat? ad Sanch. *tract. de Matrimon. lib. 10. tit. de diuort. disput. 9. cap. 6.* Sponsalia autem contracta, siue per verba de futuro, siue de præsenti dissoluuntur ex variis causis. Et quidem sponsalia de futuro dissoluuntur ex superuenienti capitali odio inter sponsum & sponsam, subsequenti fornicatione, non obseruatione promissorum, diutina mariti absentia, lapsu temporis ad contrahendum constituto, minori ætate, superueniente hæresi, lepra, insigni corporis de- 3
formitate. Dissoluitur matrimonium contractum propter impotentiam coëundi: sed in hoc vide Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 92.* Non tamen dissoluitur ob infirmitatem; licèt fiat tori separatio, quan- 4
do iudicio Medicorum probetur timor, & periculum contagionis, seu infectionis ex simultanea cohabitatione, & redditione debiti: non tamen vxor liberatur ab aliis seruitiis, quæ præstari possunt absque vitæ periculo. Quando autem Papa possit 5
dispensare, nécne, super dissolutione matrimonij? vide Couarr. *in 4. decret. part. 2. c. 7. § 4 n. 13. & seq.*

EX QVÆST. CXLIII.

§. Separatio tori.

ARGVMENTVM.

Adulterium an & quando sit causa separationis tori.

REGVLARITER propter Adulterium inter coniuges datur sepa- 6
ratio tori: nec est necessaria pœna Adulterij, seu eius concludens probatio, cùm sufficit violenta præsumptio, & vnica fornicatio: quinimò probatur ex confessione vnius ex coniugibus; dummodò non sit facta per collusionem, seu ad alterius suggestionem. Facta autem separatione tori 7
ex adulterio, vir non tenetur vxorem etiam emendatam recipere: vtrique ex hoc capite datur actio ad separationem: imò vxor potest eam petere per fornicationem Mariti, non autem vir, quando ipsam vxorem prostituisset, seu conscius non prohibuerit, aut eam adulteram sibi reconciliauerit. Quòd si pendente separatione, vir cum altera muliere fornicetur, 8
potest vxor petere restitui se, vigore *Bullæ Sixti Quinti*, 47. Imponitur pœna vltimi supplicij coniugibus, post tori separationem publicè & palam adulterantibus. Lite verò pendente, certum est quod de- 9
beant vxori à viro alimenta præstari, nisi adulterium fuisset notorium: & è contrà, si vxor non eiecta, sed sponte à domo recedat propter adulterium ab ea commis-

sum,

sum, alimenta petere nequit: sed si re-
10 cedat à viro, eò quia publicè concubi-
nas retineat, alimenta sibi debentur,
data ipsi electione, vel alimenta, vel
fructus dotis consequendi: vsq; ad *n.* 48.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Notorium & Occultum.

ARGVMENTVM.

Tori separatio, quando concedatur propter notorium, seu occultum coniugis adulterium, & quando tale dicatur.

VIR non potest authoritate propria sine iudicio Ecclesiæ vxo-
11 rem propter adulterium expellere; nisi adulterium adeò esset notorium vt inficiari non posset. Exceptio autem vxorij adulterij impedit restitutionem coniugis tam in possessorio, quam in petitorio: notoriúmque dicitur, quando est facti permanentis, seu quando constat per notorium Iuris, scilicet per confessionem adulteræ: publicum verò, si publicè cum adultero moretur: Viri pariter dicitur notorium; si domi concubinas retineat: Et in proposito paria sunt esse notorium Iudici, & non aliis; siue aliis, & non Iudici. Tunc tamen impeditur restitutio, quando scilicet Adulterium commissum fuerit post spoliationem: & hinc propter occultum Adul-
12 terium, non permittitur viro propria authoritate vxorem expellere: & exceptio, seu replicatio occulti adulterij, non impedit restitutionem viro; & è contra: vsque ad *n.* 69.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Compensatio.

ARGVMENTVM.

Adulterium vnius Coniugis, an, & quando compensetur cum adulterio alterius.

AD impediendam separationem Tori datur exceptio compensa-
13 tionis ex reciproco coniugum adulterio: nec in simili compensatione attenditur pluralitas: & conceditur, siue adulteria sint commissa eodem tempore, siue diuerso: quinimò datur de Sodomia ad Adulterium, quando Sodomia fuerit perfecta & consummata. Extendendo, vt etiam concedatur de fornicatione carnali, ad spiritualem; dummodo opponatur ante litem contestatam ciuiliter agatur, & adulterium vnius sit commissum post spoliationem alterius; ac dummodo 14
adulterium sit certum, notorium, & liquidum: licèt in iudicio petitorio compensatio detur de occulto: vsq; ad *n.* 83.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Sodomia.

ARGVMENTVM.

Tori separatio quando detur per Sodomiam.

PROPTER Mariti sodomiticum vitium; quidquid Alij contra; 15
torum separari firmat *Author.* Ampliando, vxori licere separationem petere, quamuis simpliciter de huiusmodi vitio à viro fuerit tentata: & quamuis vir sodomiticè cognouerit extraneam, seu ipsam vxorem dissentientem extra claustra pudoris polluerit. Sic & conceditur viro è contra propter sodomiam vxoris, etiam quod ista cum altera muliere se commiscuerit, & quamuis cum bestiis commiserit. Non tamen 16
conceditur ex eo, quod vir, seu vxor propriis manibus se corrumpant, nec generaliter per sodomiam dissoluitur matrimonij vinculum: vsque ad *n.* 98.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Hæresis.

ARGVMENTVM.

Separatio tori quando concedatur per hæresim? & quid, si vterque hæreticus, seu infidelis, vnus, aut ambo ad fidem conuertantur.

REGVLARITER propter hæ-
resim, & idololatriam matrimo- 17
nium

nium separatur, ac vxor potest discedere à viro propria authoritate: eò fortiùs, si vnus alterum in hæresim trahere conetur: qua separatione secuta, vxor non restituitur viro vehementer de hæresi suspecto, cui non cedit lucrum dotis, sed fisco acquiritur: licèt vnicus actus infidelitatis non causet diuortium, nec matrimonium dissolutum censeatur, sed
18 tantùm sponsalia dirimantur. Dissolueretur tamen matrimonium in infidelitate contractum, si alter coniugum ad fidem conuerteretur: sed si ambo vnico & eodem tempore fidem amplecterentur, Matrimonium non dissolui indubitati iuris est. Extendendo, quamuis vnus post alium ex interuallo baptizaretur, dummodo res sit integra, & an-
19 tea conuersus non nupserit. Vxor autem quæ ob viri hæresim ab eo discessit, si ad fidem reuertatur, secluso timore probabili fictæ conuersionis, tenetur ad maritum accedere, nisi separatio intercesserit iudicio Ecclesiæ, aut fuerit pro-
20 fessa & Religionem ingressa. Hoc tamen singulariter nota, quod nunquam propter Excommunicationem fieri potest separatio, quamuis vnus ex coniugibus pertinaciter in ea insordescat: vsque ad *num.* 128.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Sæuitia,

ARGVMENTVM.

Separatio tori quando concedatur propter viri sæuitiam, seu vitæ coniugis paratas insidias.

21 REGVLA solida est, propter sæuitiam coniugis fieri separationem tori, dummodo sæuitia sit talis, vt cum cautione reparari non possit: quæ quidem separatio potest peti ab vxore propter immoderatas percussiones, & verberationes: ideóque licet vxori propria authoritate à viro aufugere, & exinde impeditur restitutio, si sæuitia incontinenti probetur: ipséque vir sic insæuiens, adhuc criminaliter punitur, & alimenta præstare
22 obligatur. Sic & pariter conceditur propter furorem viri, si ex eo periculum timeatur damni irreparabilis: quinimò non denegatur propter timorem futuræ sæuitiæ; hoc est quando inter coniuges adsit capitalis, & irreconciliabilis inimicitia, adeo vt vnicus actus sæuitiæ sufficiat ad separationem inducendam, restitutionem denegandam, & ad virum cogendum vt caueat de non offendendo. Qualis autem, & quanta sæuitia 23
huiusmodi esse debeat? Iudicis arbitrio remittitur. In proposito sæuitia, & dementia dicitur, si Maritus vxorem de lecto proiiciat, nolit quod secum dormiat, deneget alimenta, & vestimenta condecentia, insidiatus fuerit ferro, veneno, aut alio simili modo, etiam effectu non secuto: sed tamen vinculum matrimonij non dissoluitur, & separatio impeditur si vir offerat fideiussionem de non offendendo: quandócunque fiat, 24
non est perpetua, & irreuocabilis, sed tantummodo temporalis; nec sufficit quilibet timor, sed requiritur talis vt cadat in constantem virum: vsque ad *num.* 163.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Probatio sæuitiæ.

ARGVMENTVM.

Sæuitia viri an præsumatur? & quomodo probanda sit.

SÆVITIA viri, cùm non præ-
sumatur, ideo probanda est: & 25
quidem concludenter quando agitur ad separationem tori, & restitutionem dotis; secùs si tantùm excipiatur de restitutione. Testes verò sæuitiam probantes, debent esse idonei, omni exceptione maiores; & secundùm Aliquos, non domestici: licèt *Author* contrarium verius existimet. Non etiam probatur ex eo quòd audiatur mulier domi clamans, plorans, & auxilium vicinorum inuocans: quinimò nec inducitur ex oculis liuidis, & tumefactis. Probant 26
tamen Testes singulares, nec est necesse vt concordent in tempore: censetur probata per publicam vocem & famam, & magis creditur deponentibus de sæuitia, quàm pro eius exclusione: vsque ad *n.* 178.

EX

EX QVÆST. CXLIII.

§. Verberatio.

ARGVMENTVM.

Vir, an, & quando possit vxorem suam verberare.

MARITO non permittitur nisi leui-
27 ter vxorem verberare, non autem atrociter, nisi ex maxima causa: quod si acriter verberet, vel etiam leuiter sine causa, punitur in amissione tertiæ partis donationis propter nuptias, excommunicatur, & perdit lucrum dotis, ac potest vxor propria authoritate à viro aufugere, qui cogitur eidem alimenta
28 præstare. Dicitur autem acris & immoderata verberatio, si fiat cum baculo; ex quo potest etiam peti tori separatio. Non tamen prohibetur viro vxorem corrigere leui, & moderata verberatione, quamuis præstiterit cautionem de non offendendo, dummodo fiat cum causa, & illa quidem magna; licèt ab immoderata verberatione nulla possit assignari excusatio: sed immoderatè verberata non dicitur, quando fuerit
29 percussa tantùm pugnis, vel alapis. Potest insuper vir vxorem ipsius vitæ insidiantem, adulteram, vel excommunicatam, incorrigibilem, seu ex quacumque alia magna causa in vinculis detinere, præstitis tamen & subministratis alimentis: vsque ad *n.*208.

EX QVÆST. CXLIII.

§. Cautio de non offendendo.

ARGVMENTVM.

Cautio de non offendendo, quando vir præstare teneatur, si vxor ex aliqua causa timeat ab eo offendi.

EX causa sæuitiæ, vel alia simili
30 permittitur vxori cautionem de non offendendo à Marito petere, quamuis timor proueniat ex culpa ipsius mulieris; imò nec sufficit iuratoria cautio, quando timor est magnus; quod si præstetur ex causa Adulterij, debet extendi etiam ad Adulterium futurum. Sed in præmissis, quilibet timor non satis est, cùm debeat esse legitimus, verisimilis, & cadens in constantem virum; de quo tamen statur arbitrio Iudicis, & non obstante cautione non prohibetur Maritus Vxorem leniter verberare: quòd si esset valde crudelis, & inhumanus; seu consideraretur mortale odium, adhuc præstita cautione vxor non restituetur: vsque ad *num.*228. 31

EX QVÆST. CXLIII.

§. Expulsio, & habitatio.

ARGVMENTVM.

Vir quando possit vxorem expellere? Et è contra, vxor à Marito aufugere.

VIRO non permittitur propria authoritate, & sine causa vxorem 32
suam expellere: & è contrà, vxor prohibetur à viro aufugere. Extendendo, hoc non permitti ex quocumque delicto, excepta carnali aut spirituali fornicatione; nisi tamen vir causa coërcitionis vxorem peccatis implicatam à iugali consortio, vt illa resipisceret, ad tempus eiiceret: sic & pariter coniux ab alio coniuge diuertere potest, quando ad peccatum inducitur: præsertim si vir vsuraria prauitate esset infectus; dummodo iste recessus non sit perpetuus, sed ad tempus, donec vir emendetur & resipiscat. Potest ta- 33
men vir pro restitutione vxoris instare, quamuis sine causa eiecisset, similiter & mulier, licèt ipsa sine causa discessisset: quibus casibus vterque cogitur tam in Iudicio petitorio, quàm possessorio ad redeundum iniuncta excommunicatione, vel criminaliter agendo per capturam: quòd si censuræ non sufficiunt Iudex implorabit Brachium sæculare pro executione decreti: & si vir capiat vxorem quæ sine causa discessit, pœna raptus non innodatur.

Limita Regulam in crimine hæresis, quo mediante licebit vxori etiam sine 34
iudicio Ecclesiæ à viro diuertere: & adde si recedat fugiendo insidias, & nimiã sæuitiam: sic & in pluribus aliis casibus, de quibus *Author* remissiuè loquitur ad quamplures: & præcipuè ad Hostiens. *in c. ex transmissa, n.6. de restitut. spoliat.*

EX

EX QVÆST. CXLIII.

§. Sequitur.

ARGVMENTVM.

Vxor, an, & quando teneatur sequi virum suum quocumque vadat.

REGVLA proponitur Affirmatiua,
35 quòd scilicet vxor teneatur sequi virum suum quocumque vadat, siue recedat ex iusta, siue ex iniusta causa: siue etiam ex necessitate: imò sequi obligatur virum etiam ex delicto fugientem; dummodò non fuerit ex inhonesta & turpi causa. Sponsa per verba de futuro non comprehenditur in hac Regula: ita nec vxor; quando insequendo, de vita periclitaretur, vel vir eius in numero vagabundorum per orbem vagaretur: sanè intelligendo, si vagabundus fuerit effectus post contractum matrimonium, quoniam si talem recepisset in virum, cogeretur sequi. Ex-
36 cipe, nisi pactum adesset ne traduci posset, seu extrahi à patria, tale enim pactum sustinetur, & pœna in eo posita committitur, & exigitur: sed ab eo potest recedi ex aliqua iusta causa, vt putà propter capitales inimicitias, vel incurabilem infirmitatem: vsque ad *n.* 285.

EX QVÆST. CXLIV.

§. Lenocinij.

ARGVMENTVM.

De grauitate & pœna Lenocinij.

LENOCINII crimen horribile,
1 pessimum, ac crudele reputatur, Adulterio grauius, & inter cætera delicta turpe, & infame. Pœna huius criminis est arbitraria: & infamia ipso iure incurritur: omnésque contractus, pacta, fideiussiones, & obligationes initæ inter lenones, & puellas, quas quæstus causa prostituunt, ipso iure inualidantur: si quid dictis puellis dederint, amittunt, nec locus datur repetitioni: vsque ad *num.* 15.

***

EX QVÆST. CXLIV.

§. Lenones.

ARGVMENTVM.

Lenones qui dicantur? & quomodo puniantur.

LENO dicitur is qui quæstuarias fœminas habet, in illísque quæstum 2
exercet; vel qui prostituit proprias ancillas in sua potestate existentes: quapropter domini ancillarum ex hac causa priuantur dominica potestate. Nutrices verò puellarum, ipsis in custodiam à parentibus traditarum, si prauis suasionibus easdem violandas tradiderint, morte plectuntur, meatus oris & faucium, quibus nefaria hortamenta protulerunt, liquentis plumbi ingestione affecti. Leno insuper dicitur, qui se- 3
cundariò & accessoriè sub nomine alterius liciti exercitij, quæstus causa fœminas viris prostituit. Leno autem puerorum, perfecto flagitio, capite plectitur: imperfecto verò in insulam deportatur: & eò magis, si publicè lenocinium exerceat: & publicus dicitur, qui dat operam vt vxor sua adulteretur: Lenonésque puellarum puniuntur, quamuis puellæ voluntariè se prostituant. Et quia *Leno* dicitur ab *alliciendo*, ideò si non blandis verbis, & muneribus, sed per vim puellas induceret, non Leno, sed Raptor diceretur, & Raptus pœna teneretur.

Contra lenones proceditur etiam sine accusatione: recipiens in sua domo Leno- 4
nem, seu illi domum accommodans, locans, & patiens ibi lenocinium exerceri, perdit domum, & pecuniaria pœna mulctatur. Extendendo ad Consultores, & Auxiliatores lenocinij, qui pari pœna puniuntur; nec minoris ætatis excusatione defenduntur, licèt mitiùs puniantur. Lenocinij pœna non habet locum, effectu non secu- 5
to: non dicitur Leno, qui semel tantùm lenocinium fecit, cum requiritur consuetudo lenocinandi, saltèm per trinum actum inducta: Excipiendo Maritum, qui siue semel, siue pluries de sua vxore quæstum fecerit, lenocinij pœna tenetur: licèt ad incurrendam pœnam *Bullæ Sixti V. de temeraria tori separatione*, 47. per vnicam 6
vicem quæstum fecisse non sufficiat, sed satis esset semel lenocinium exercuisse pecuniâ receptâ: quapropter lenones non dicuntur, qui non quæstus causa mulieres prostituunt. Hæc Conclusio turbida est,

& quamplures habet Contradictores : vsque ad *num.* 41.

EX QVÆST. CXLIV.

§. Domum accommodans.

ARGVMENTVM.

Accommodans domum pro committendis adulteriis, & stupris, an dicatur Leno? & qua pœna puniatur.

7 ACCOMMODANS domum pro Adulterio, siue Stupro committendo, tanquam Leno de stupro, & lenocinio tenetur : eóque magis si cum masculo turpe vitium Sodomiæ ibi exerceatur. Extendendo ad accommodantem domum, ad tractandum & sermonem habendum super Stupro & Adulterio, si ibidem Adulterium & Stuprum sequatur ; & siue domus sit propria, siue conducta. Extende
8 iterum ad accommodantem agrum, vineam, viridarium, & hortum ; quamuis amicis, & sine quæstu accommodentur ; & siue talis accommodans sit masculus, siue etiam fœmina : vsque ad *n.* 52.

EX QVÆST. CXLIV.

§. Parentes.

ARGVMENTVM.

De Lenocinio parentum in filias.

9 PARENTES Lenones suarum filiarum puniri possunt pœna vltimi supplicij, nisi Iudex ex aliqua rationabili causa minuendam arbitratus fuerit, quamuis filiæ sint naturales, & siue sint virgines, siue viduæ. Pœna tamen Statutaria non habet locum, nisi id fecerint intercueniente pecunia ; quoniam secùs, si gratis earum fornicationi consenserint : & quatenus pecunia recipiatur, volunt multi necessitatem iunctam paupertati, excu-
10 sare : Diximus necessitatem iunctam paupertati, quia simplex paupertas licèt extrema non excusat : vsque ad *n.* 69.

EX QVÆST. CXLIV.

§. Maritus.

ARGVMENTVM.

De Lenocinio Maritorum in vxores.

LENOCINIVM maritorum in vxores, longè grauius est aliis extraneorum lenociniis : & de Iure communi similes mariti lenones vxorum vltimo supplicio afficiuntur ; licèt non sit sublata potestas Iudici ex iusta causa sibi bene visa pœnam minuere. Maritus autem vxorem adulterari permittens, seu adulterandam tradens gratis, & sine quæstu, non omnino impunis, sed mitiùs arbitraria pœna extra ordinem mulctatur : vsque ad *num.* 80.

EX QVÆST. CXLIV.

§. Retentio, & Patientia

ARGVMENTVM.

Maritus retinendo vxorem in adulterio deprehensam, vel alias patiendo, & consentiendo vxoris adulterio, nunquid dicatur leno, & lenocinij pœna teneatur.

MARITVS tamquam leno regulariter punitur vxoris adulterio 13
consentiendo ; seu si fingendo dormire permittat homines ad vxorem accedere, domi adulterum retineat, vxorem in adulterio deprehensam non expellat. Retinens verò in Adulterio deprehensam, & Adulterum impunè dimittens, vi, & metu coactus, leno non dicitur : sic & pariter, si eius scientia aliqua ignorantia etiam crassa, & nimia credulitate obumbrari
possit : quod totum remittitur arbitrio lu- 14
dicis, qui ex coniecturis sumptis ex qualitate personarum, loci, & temporis, iudicare poterit ; quoniam simplex suspectus, & sola patientia lenocinium non inducit, nisi quæstus intercueniat : vsque ad *num.* 99.

EX

EX QVÆST. CXLV.

§. Raptus.

ARGVMENTVM.

De crimine Raptus, & illius pœna: quando locum habeat, & quando non? ac de materia.

RAPTVS crimen atrociſſimum, peſſimum, deteſtabile, grauius Stupro, & Adulterio cenſetur. Et mulieris violenta, vel cum malis artibus tranſportatio, ſiue adductio mulieris honeſtæ, & inuitæ, de loco ad locum, animo carnaliter cognoſcendi. Regula ergo proponitur, Raptores mortis pœna puniri: quod ſi ingenuæ rapiantur, iniungitur amiſſio bonorum, mulieri raptæ applicandorum: Extendendo ad auxiliatores in ipſo Raptu, & inuaſione opem præſtantes. Raptores verò in flagranti deprehenſi, poſſunt impunè à Parentibus, & Conſanguineis mulieris rapiendæ occidi: ac inſuper ex Concil. Trident. *cap. 6. ſeſſ. 54.* efficiuntur infames: de Iure Canonico Clericus deponitur, Laïcus excommunicatur, nec admittitur excuſatio ſecuti Raptus animo contrahendi matrimonium: quinimò matrimonium inde contractum irritatur de Iure Ciuili: ſed de Iure Canonico ſuſtinetur; niſi rapiatur ſponſa alterius. Pœna Raptus indiſtinctè infligitur rapientibus puellas virgines, nuptas, deſponſatas, viduas, ſeruas, libertinas; & ſic tam viles, quàm nobiles: extenditur ad aſſociantes, conſcios, miniſtros, aut alios opem, & auxilium præſtantes: multóque magis in Raptoribus ſeruis, qui hoc ideò comburuntur. Extende ad receptatores Raptarum, & ad mulierem rapientem virum libidinis cauſa; quæ tamen mitiori pœna punitur: & eò magis procedit Regula in rapiente maſculum, ſeu virginem immaturam, quamuis poſtea nec cognouerit, nec tentauerit. Et ex Concilio Tridentino *cap. 6. ſeſſ. 24.* Iudicis arbitrio Raptor cogitur decenter puellam raptam dotare. A ſententia in huiuſmodi crimine non datur appellatio: Raptores vbique abſque vlla fori præſcriptione puniri poſſunt, nec actio quinquennio tollitur, ſicuti in cæteris delictis carnis: immunitate Eccleſiæ non gaudent, & ab ea poſſunt extrahi. Sed ad hoc vt pœna Raptûs imponatur, requiritur vis, & traductio de loco ad locum; nec ſufficit per aliquot paſſus, ſed neceſſe eſt vt traducatur de vna domo ad aliam. Non etiam pœna irrogatur, ſi Raptus fiat ſecluſa libidine: & ideò debet hoc crimen concludenter, non præſumptiuè probari: teſtes debent eſſe omni exceptione maiores: minor ætas facit minui pœnam: quælibet cauſa excuſat, ſecuto matrimonio: ceſſant pœnæ Raptus à Iure Ciuili impoſitæ: quod procedit in Terris Eccleſiæ, vbi Ius Canonicum ſeruatur; ſecùs in Terris Imperij, vbi adhuc ſecuto matrimonio de conſenſu parentum, aliqua pœna imponitur: nec prodeſt auxiliatori in Raptu: vigore autem Concil. Trident. *cap. 6. ſeſſ. 24.* pœnæ ibibem comminatæ adhuc ſecuto matrimonio imponuntur. Et in propoſito, quando Raptor velit ſe excuſare ex præcedenti contracto matrimonio, tunc Iudex Laïcus incidenter ſuper matrimonio cognoſcere poteſt: vſque ad *n.* 105.

EX QVÆST. CXLV.

§. Vis.

ARGVMENTVM.

Raptus ſine vi non committitur; quomodo hoc procedat? & an committatur in mulierem volentem.

RAPTÆ conſenſus pœnam non excludit. Et ab hac Regula ne recedas, quidquid Alij contrà. Eóque fortiùs, ſi mulier blanditiis fuerit inducta: quod ſi ipſa puella ſponte & liberè ſe rapi permiſerit, tunc datur locus pœnæ extraordinariæ: eóque minùs Raptus pœnam tollit, ſi conſenſus mulieris accedat poſt Raptum ſecutum. Ceſſantibus tamen omnibus blanditiis, perſuaſionibus, & doloſis deceptionibus, & multò magis ſi ipſa mulier Raptum ſollicitauerit, & à principio carnaliter ſe cognoſci permiſerit, nulla pœna imponitur. Conſenſus in propoſito probatur per Teſtes, per coniecturas, & per confeſſionem Raptæ: vſque ad *num.* 153.

***

EX QVÆST. CXLV.

§. Meretrix.

ARGVMENTVM.

Rapiens meretricem, an, & qua pœna puniatur.

RAPIENS meretricem Raptus
12 pœna non tenetur; nec ad rapientes meretrices Statutum de Raptu loquens extenditur: siue rapiatur publica meretrix, siue mulier inhonesta: sic & Raptus pœna locum non habet, quando mulier rapta fuit priùs cognita, nisi de cætero vellet honestè viuere. Raptus tamen committitur in meretrice maritata.
13 Alij contrà: & hæc contraria opinio eò magis procederet, si constaret maritum eius fuisse lenonem, ipsa inhonestè viueret, & non desineret meretricari: ac tandem rapiens meretricem extra ordinem punitur; & si qualitas suadeat, etiam vsque ad mortem: vsque ad *n.* 195.

EX QVÆST. CXLV.

§. Conatus.

ARGVMENTVM.

In crimine Raptus, an, & quando puniatur conatus non secuta copula Carnali.

RAPTVS regulariter punitur pœ-
14 na ordinaria, quamuis post Raptum non sit secuta copula carnalis, vel Raptus non fuerit perfectus. Sed si Raptor voluntariè non cognouerit, quia forsan pœnitentia ductus destiterit, pœna mortis non irrogatur: quæ si imponi de-
15 beat ex dispositione Statutaria, etiam copula carnali non secuta, huiusmodi Statutum sic erit interpretandum, dummodo Raptor propria voluntate non se abstinuerit à copula: vsque ad *num.* 215.

***

EX QVÆST. CXLV.

§. Monialis.

ARGVMENTVM.

Rapiens Monialem qua pœna puniatur.

MONIALEM rapiens pœnam mortis incurrit, eiúsque bona Mo- 15
nasterio applicantur: ipsáque rapta Monialis in aliud Monasterium arctiùs detruditur custodienda: nec excusatur Raptor, quod Monialis se rapi permiserit; cùm enim dicatur sub potestate Abbatissæ, liberam voluntatem non habet, siue sit velata, siue non. Clerici verò rapientes Mo- 16
niales, in monasterium detruduntur ad perpetuam pœnitentiam peragendam, beneficiis priuantur: & in hoc delicto pax ad mentem Statuti non minuit pœnam: vsque ad *n.* 231.

EX QVÆST. CXLVI.

§. Sacrilegium.

ARGVMENTVM.

De pœna carnaliter cognoscentis Monialem, vel solutam, in Ecclesia.

CARNALITER cognoscens Monia-
lem, tanquam Sacrilegus pœna 1
mortis plectitur, illiúsque bona applicantur Monasterio, vbi illa monialis cognita permanebat: ipsa verò Monialis detruditur in aliud monasterium arctiùs custodienda ad pœnitentiam peragendam. Quod si cum Moniali contrahatur matrimonium, filij ex hoc damnato coïtu procreati, sunt spurij & incestuosi. Extende ad cognoscentes carnaliter Sorores Tertij Ordinis, quas *Pizzococheras* Vulgus ap- 2
pellat. Non valet super hoc crimine transactio, nec à Monasterio, vel à parentibus defloratæ pax obtineri potest. De Iure Canonico Laïcus excommunicatur absolutione Episcopo reseruata in puro casu necessitatis; Sacerdos autem deponitur, 3
beneficiis priuatur, & in monasterium detruditur. Et licèt multi velint Clericum solutam cognoscentem Sacrilegium committere, veritas tamen est, nisi sit Regularis vel Episcopus simpliciter fornicari.

Commit

Committitur bene Sacrilegium per
7 quemcumque cognoscentem carnaliter etiam solutam in aliqua Ecclesia, quæ quidem polluitur per emissionem seminis, sicut & sanguinis. Et ego in contingentia facti, de Anno 1653. dum Sorani ius dicerem sub ditione Eminentissimi, & Reuerendissimi Principis Ioannis Caro-
8 li S. R. E. Cardinalis Medices Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis Germani fratris, quosdam iuuenes, qui in Ecclesia Diui Nicolai eiusdem Terræ meretricem cognouerant carnaliter prope Aram maiorem, legitimè conuictos, in contumacia ad furcas condemnaui, ipsámque meretricem confessam publicè priùs super asino à ministro Iustitiæ fustigatam
9 exilio perpetuo damnaui. Osculatus Monialem, non pœna mortis, sed mitiori, arbitrio Iudicis punitur: vsque ad *num. finalem* 33.

EX QVÆST. CXLVII.

§. Stuprum.

ARGVMENTVM.

Stuprum quid, & quotuplex sit? quæ sit pœna? quando, & in quibus casibus locum habeat.

STVPRVM grauissimum crimen
1 est: largè & in genere sumptum, comprehendit Adulterium, Sodomiam, & omnem illicitum coïtum: strictè autem est illicita virginis defloratio, dicitur quasi *prauum studium*, quia deceptoriè concipitur & committitur. Firmatur
2 ergo Regula, quod Stupratores si fuerint honestæ personæ, publicatione dimidiæ partis bonorum; si verò humiles, corporis fustigatione, & relegatione plectuntur. Stuprum committitur etiam in vidua: & pœna pecuniaria, arbitrio Iudi-
3 cis, punitur: eò magis, si tutor stupraret suam pupillam, adhuc completa cura, & tutela: eóque fortiùs punitur seruus stuprans filiam Domini, vel Dominæ suæ, seruus enim stuprans comburitur, & mulier quæ passa fuit se stuprari, morte damnatur. Vasallus autem vltra pœnas iuris, si stuprari audeat Dominam suam, feudis priuatur. Stuprum verò violentum,
4 quando violentia facta fuerit personæ, pœna mortis irremiscibiliter punitur, quamuis non præcesserit voluntas stupratoris: & quoad dotis præstationem Regula procedit, quamuis stuprum fuerit intentatum & consummatum cum blanditiis, & præuiis muneribus. Acriùs verò stuprantes virgines immaturas, & mino- 5
res duodecim annorum puniuntur: quòd si fuerit commissum violenter, vtique pœna mortis imponitur, si verò de voluntate stupratæ, arbitrariè plectitur: sed per vim semper censetur commissum, quando puella esset minor septem annorum: hoc crimen, quia est mixti fori, ab Ecclesiastico Iudice puniri potest; nedum si stuprata virgo stupro renuerit, sed etiam si consenserit, cùm semper præsumatur seducta. Si verò legatarius stupraverit 6
vxorem Testatoris, eodem testatore defuncto, legato sibi relicto priuatur, & filij nati ex stupro antedicto insuccessibiles euadunt. Clerici verò stupratores arbitraria pœna plectuntur.

Stuprans mulierem vilem publicè non accusatur: quod si stuprum tantummo- 7
do attentatum, non autem consummatum fuerit, pœna ordinaria non irrogatur. Idem est, si stuprata, postmodùm meretrix euaserit: requiritur enim, vt stuprata fuerit honesta: ideóque si publicè aut occultè viros admittat, stuprum non consideratur: ideóque si meretrix euaserit, & stupro consenserit, stupri pœna non imponitur: licèt si à principio fuerit virgo, & postmodùm passa fuerit ab eodem stupratore pluries cognosci, adhuc pœna stupri irrogetur, cùm resideat in prima defloratione. Nec etiam 8
punitur ille, qui stupratam duxit in vxorem, & isto casu creditur ipsi stupratori, & stupratæ: ac hodie quidquid dicant multi, *Author* firmat, stupri pœnam esse arbitrariam, & sic in practica seruari: vsque ad *num.* 97.

EX QVÆST. CXLVII.

§. Dos.

ARGVMENTVM.

Stuprator quando stupratæ puellæ dotem dare teneatur, vel eam in vxorem ducere.

IN Iure Canonico stuprator stupra-
tam mulierem & dotare, & in 9
vxorem tenetur accipere. Alij contrà: Sed hoc vnum est verum, quod si velit

alteram vxorem ducere, stupratam teneatur dotare, excommunicetur, & verberatus in monasterium detrudatur, ad agendam pœnitentiam. Clericus verò stuprator, cùm non possit vxorem ducere, Arbitrio Iudicis aliqua pœna punitur, & insuper ad dotem exbursandam com-
10 pellitur. Si verò stuprator sit inops, & dotem dare non possit, tunc fustigatus exilio damnatur: si verò vxoratus, vltra dotem præstandam, arbitrio Iudicis plectitur, nec post mortem stupratæ ipsa dos redit ad stuprantem, sed stupratæ cedit hæredibus.

Pœna autem Iuris Ciuilis cùm sit su-
11 blata in Terris Ecclesiæ per dispositionem Iuris Canonici, vbi primo loco illud seruatur; valet tamen vbique remissio dotis facta stupratori à stuprata, & ipse stuprator liberatur à dote præstanda, quando ipsa stuprata assenserit se stuprari: & quando dos præstanda sit, danda est,
12 & regulari debet ab eo quod solitum est dari in patria eo tempore, quo nuptui puellæ traduntur, Iudicis arbitrio: vsque ad *num.*129.

EX QVÆST. CXLVII.

§. Probatio.

ARGVMENTVM.

De probatione Stupri.

13 STVPRVM præsumptionibus probatur. Ex fama verò argumentum modicum desumitur: & è contrà, cessat omnis mala suspicio, si in vicinia absit aliquis rumor, vel fama de ipso stupro. Asserenti se virginem fuisse stupri tempore, si iuramento assertionem confirmet, creditur; cùm talis assertio habeat præsumptionem naturæ: quinimò etiam ei creditur sine iuramento, nisi obstent coniecturæ, quarum præcipua est communis
14 reputatio. Statur obstetricum relationi, & iudicio, vtrùm puella fuerit virgo, nécne: sed istæ Obstetrices esse debent honestæ, & prouidæ matronæ; inspicere debent, & tangere; quia earum oculus sæpè fallax est: imò quandóque manus earum fallit: ideóque Iudex in prædictis valdè
15 cautus esse debet. Etiam probatur violatio, seu defloratio per linteamina sanguine aspersa; sed hæc probatio vtique fallax censetur, cùm sanguis aliunde fluere possit, vel causari, etiam hymene incorrupto. Probatur tandem per vociferationem, & clamorem virginis stupratæ; sed hoc facit tantùm indicium, licèt valdè magnum. In præmissis ergo Iudex cautè agat, & be- 16
nè omnia consideret, quia plerumque decipi posset, & contra iura Fisci, ac propriam conscientiam incedere: vsque ad *num.*150.

EX QVÆST. CXLVIII.

ARGVMENTVM.

De crimine Sodomiæ, & illius pœna.

COITVS contra naturam est triplex, scilicet contra naturam hu- 1
manæ societatis, vt putà, cùm matre, filia, & aliis, de quibus dicetur in materia Incestus, in *sequenti quæstione*. Contra naturam sexus humani, scilicet quando cum masculo. Contra naturam generis humani, quando cum Bestiis. Quibus præmis- 2
sis, Regula firmatur, quod Sodomiæ, pœna sit mortis naturalis: hoc enim crimen pessimum, adeóque acriùs est detestandum, vt contra illud omnes leges, omnésque DD. insurgant: ex quo, vltra pœnam mortis, cadauer Sodomitæ concremetur: ac etiam de Iure Diuino hoc crimen vti 3
execrandum, grauissima pœna mortis puniatur. Apud antiquos etiam Ethnicos isti Sodomitæ puniebantur: hodiéque ipso iure rerum suarum amittunt dominium, & antequam accusentur, sint Intestabiles. Occidere vnicuique licet, se sodomitare 4
attentantem, ad rei sodomiticæ defensionem. Procuratori interdictum est pro Sodomita interuenire. De Iure Canonico Laïcus ex hoc crimine excommunicatur: 5
& Clericus beneficiis priuatur, in Monasterium detruditur, & quandóque degradari potest, & Curiæ sæculari tradi: imò si Clericus Sodomita sit occultus, etiam peracta pœnitentia ab Ordinis executione suspenditur, & si interim celebret, Irregularitatem incurrit, quæ à solo Pontifice delebilis est. Vigore autem *Bullæ* Pij V. 6
in ordine, 5. & ex *alia*, *in ordine*, 70. cuius criminis Rei, si Clerici fuerint, siue sæculares, siue Regulares, cuiuscunque gradus, & dignitatis, à Iudice Ecclesiastico degradati, Curiæ sæculari traduntur, vltimo supplicio puniendi; hoc sanè intellecto, si sodomitica copula cõmittatur in ano masculi, secùs, si contra naturam in fœmina.

Sodomiæ

7 Sodomiæ pœna locum habet non solùm quando masculus masculum carnaliter cognouerit, sed etiam quando fœmina fœminam cõtra naturam exercuerit: dictáque pœna mortis eò magis locum habet in viro; qui præpostera Venere vxorem suam cognouerit: quin-
8 imò etiam Sodomita dicitur, qui propriis manibus se polluit; licèt isto casu ordinaria pœna mortis non imponatur, sed arbitrio Iudicis mitior. Extende, vt si fœmina agat tamquam vir in aliam fœminam patientem, tunc etiam intret pœna mortis: quod non procedit si mulier cum muliere se corrupit sola fricatione; secùs, quando id procuret aliquo
9 instrumento materiali ligneo, vel vitreo: Primo enim casu, extra ordinem imponitur pœna: secundo verò irremissibiliter vltimum supplicium irrogatur.
10 Quod multò magis procedit, si masculus rem habeat cum animali bruto, seù fœmina, quæ ab eodem animali bruto
11 se permiserit cognosci. Mulier autem agens vt vir cum masculo in specie sodomiæ, extraordinariè punitur.

Sodomita etiam dicitur is, qui foramen cognouit, & polluit quocunque
12 modo extra claustra pudoris. Iudex autem non potest vllo pacto huius criminis Reo pœnam minuere: quinimò etiam punire debet delinquentem, qui se excusando dicat hoc delictum commisisse cum dormiente. Ex hoc crimine non contrahitur Affinitas: & est mixti fori; ex quo à Laïco pœna ordinaria, & ab Ecclesiastico excommunicationis pœna potest puniri.

Ex attentatione huiusmodi criminis, quamuis eo non consummato, hoc de-
13 lictum punibile est: & licèt contra hanc opinionem multi sentiant; hoc tamen receptum dicit *Author*: quod si quis semen extra anum emittat, extraordinaria pœna sit plectendus; secus autem si
14 quis membrum imposuisset intùs anum quia tunc licèt postea mẽbro extracto extra anum semen emiserit, non propterea à pœna mortis excusatur.

15 Hoc sodomiæ crimen probatur præsumptionibus, & per Testes asserentes audiuisse tergiuersationes, nec non ex puero vim passo, non modica oritur præsumptio. Item probatur ex dormitione cum puero, & indicium oritur ex camisia sanguinolenta stuprati; ex os-
16 culo, nisi puer esset minor decem annorum; & tandem ex fama. Corpus autem huius delicti probatur per Obstetrices, & Peritos, & sodomitati dictum facit indicium contra sodomitantem. Qui autem sodomiam passus fuerit per vim, nulla pœna punitur. Sed in proposito vide, quæ in simili dicta sunt de Adulterio, *quæst.* 141.

EX QVÆST. CXLIX. Pars. I.

ARGVMENTVM.

Incestus detestatio, diffinitio, & pœna.

INCESTVS crimen graue, & quidem Adulterio acrius, ac 1
omni lege detestabile est. Incestus autem nil aliud est, quàm Consanguineorum abusus: committitur duplici modo, scilicet cum Affinibus matrimonio mediante, & sine matrimonio cum Consanguineis. Pœna eius sine velamine 2
matrimonij commissi, est eadem cum Adulterio, scilicet arbitraria, & nunquam mortis: quòd si fuerit Incestus commissus cum Adulterio, vel Stupro, adhuc inter D.D. controuertitur qualis pœna esse debeat? sed verius *Author* firmat, arbitrariam imponi.

Quibus præmissis, Regula proponitur, ex Incestu pœnam arbitrariam im- 3
poni, siuè sit prohibitus à Iure naturali, siuè à Iure Gentium, vel solo Ciuili: quinimò fœmina tamquam magis fragilis, mitiùs semper puniri debet. Ex Incestu verò commisso ab vno ex Coniugibus cum Consanguinea, vel Affine alterius Coniugis, Coniugi incestuoso probetur petere debitum. Pœnæ au- 4
tem Statutariæ pro Incestu impositæ, seruandæ sunt: quinimò Statutum puniẽs Stuprum, extenditur ad Incestum. Clericus pro Incestu Adulterio admixto, deponitur, & beneficiis priuatur, licèt non perfecerit, sed tantùm attentauerit: Laïcus verò de Iure Canonico Incestum committens, excommunicationis vinculo innodatur.

Hoc etiam committitur cum omnibus illis Personis, cum quibus Matri- 5
monium contrahi prohibetur: extendendo ad Cognatos, cognatione legali, vt putà, per Adoptionem, vel Arrogationem. Et quia Matrimonium est prohibitum inter Cognatos cognatione spirituali, Sacramento Baptismatis, vel Chrismatis coniunctos, ideo inter eos

carnalis cognitio facit Incestum. Cùm
6 autem inter Consanguineos, & Affines nuptiæ prohibeantur vsque ad quartum gradum inclusiuè, intra pariter cancellos dictorum graduum Incestus includitur: sed potissimùm committi dicitur per filium carnaliter cogcoscentem propriam matrem, Auiam, aut aliam Ascendentem in infinitum: & è contra,
7 committitur per Patrem, carnaliter cognoscentem filiam, aut aliam Descendentem in infinitum: & hoc casu intrat pœna mortis, quæ pariter imponitur in præcedenti, cum vltra Incestum dicatur crimen nefarium.

Committitur etiam à Priuigno, carnaliter
8 cognoscente Nouercam, & per filium coëuntem cùm Concubina Patris: à Vitrico stuprante Priuignam; à Socero cognoscente Nurum; à Genero Socrum; à fatre sororem; quibus omnibus casibus imponitur pœna mortis: in aliis verò omnibus, grauissima pœna ci-
9 tra mortem. Extende ad fratres consobrinos, & sorores consobrinas de Iure Canonico, & ad habentem rem cum filio sui fratris, vel sororis: ad cognoscentem sororis, seu fratris neptem, & pro-
10 neptem sororis suæ. Item ad cognoscentem Amitam, vel Materteram, nec non vxorem fratris sui. Ad cognoscentem Consanguineam Meretricem, si Consanguinitatem sciebat.

Quæ suprà dicta sunt de carnali co-
11 gnitione Consanguineorum, vel Affinium propter matrimonium, pariter locum habent in Consanguineis, vel Affinibus ex illicito, & fornicario coitu procreatis: ex quo etiam committitur ab eo, qui rem habet cum Matre, & filia, & isto casu potest imponi pœna mortis: idem est quando Pater, & filius, Auus, & Nepos seù Patruus, & Nepos eamdem
12 fœminam cognoscunt. Idem ab eo, qui duas sorores, etiam consobrinas cognouerit, quia licèt istis casibus de Iure communi pœna mortis non imponatur, secundùm tamen dispositionem *Bullæ* Sixti V. *in ordine*, §. *p.* 2. in Statu Eccle-
13 siastico pœna mortis irrogatur. Et licèt ex isto illicito coitu contrahatur Affinitas de Iure veteri Canonico vsque ad ad quartum gradum, attamen non ex-
14 tenditur hodie vltra secundùm. Hoc crimen est mixti fori, ideóque Ecclesiasticus Iudex ad excommunicationis pœnam procedit: vsque ad *n.* 119.

EX QVÆST. CXLIX.

Pars II.

ARGVMENTVM.

De pœnis Incestarum nuptiarum.

INCESTAS nuptias scienter contrahens, si honesta persona sit, in 15
insulam relegatur; si autem vilis, verberatur & in exilium mittitur; & vltra, eorum bona confiscantur, nisi habeant filios ex legitimo matrimonio procreatos, seù nepotes, quia tunc confiscatione sublata, ipsis filiis, & nepotibus bona applicantur. Insuper ipso iure Intestabiles euadunt: omnia lucra nuptialia perdunt: dignitatibus expoliantur: à feudis expelluntur: & perpetuò infames reputantur. Filij eorum ex incestis nu- 16
ptiis geniti hæreditate paterna de Iure Ciuili priuantur; legitimari non possunt; & alia matrimonia contrahere prohibentur: ad prædicta tamen vide Sanchez, *de matrimon. Lib.* 7. *disput.* 15. *per tot.*

Matrimonium dissoluitur, quamuis 17
nuptiæ incestuosæ fuerint contractæ ignoranter.

Hæc procedunt in nuptiis incestis de 18
Iure Gentium, seù naturali; secùs autem de Iure Ciuili, ideóque minor ætas excusat, tam masculos, quàm fœminas, dummodo maiores effecti ab istis nuptiis recedant. Non etiam pœna habet 19
locum ex sola celebratione sponsalium, nisi contracta de præsenti, ex *constitutione Pij V.* vsque ad *n.* 160.

EX QVÆST. CXLIX.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Ignorantia Iuris, vel facti, an, & quando excuset ab Incestu.

REGVLARITER ignorantia excusat 20
ab Incestu: eóque magis error facti iustus & probabilis: item ignorantia Iuris, de Iure Ciuili tantùm, illiúsque, quod maior Pars masculorum ignorat. Si verò vnus ex coniugibus sit sciens, alter verò ignorans,

ignorans, sciens ipse punitur, ignorans
21 verò liberatur. Quæcunque verò ignorantia, siuè Iuris, siuè facti, excusat à pœna corporali, & bonorum confiscatione à Iure imposita, dummodo non sit ignorantia Iuris naturalis, vel Gentium. Quæ procedunt in Incestu commisso sub facie Matrimonij, secus ex
22 fornicatione. Nuptiæ verò prohibitæ à Iure naturali sunt illæ, quæ reputantur illicitæ ratione Consanguinitatis: quod si superueniente scientia, recedatur à nuptiis, excusatur in totum, si à principio ignoranter contraxerit: quod si scienter, licèt perfecto flagitio, dato recessu, pœna tantummodò extra ordinem irrogatur. Sed quia ignorantia facti non præsumitur, cùm quisque scire 23
debeat cognationẽ suam, attamen satis esset, si ante nuptias cõtractas fuisset dictum ab aliquo impedimentum abesse præcipuè concurrente fama, iuncto iuramento cõtrahentiũ, & nuptiis publicè ac palam celebratis: vsque ad *num.* 206.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS DECIMA-SEPTIMA.
EX
LIBRO QVINTO, TITVLO DECIMO-SEPTIMO, QVÆST. CL. PARS I. DE FALSITATE ET SIMVLATIONE.

ARGVMENTVM.

Falsum quid sit? quot modis committatur, & accipiatur? de eius atrocitate & detestatione.

AVTHOR, relatis pluribus D.D dictis, tandem videtur concludere, quòd *Falsum* sit mutatio veritatis dolosè, seu scienter facta. Committitur falsitas principaliter quatuor modis, scilicet, scriptura, dicto, facto, & vsu: accipitur largissimè, largè, & strictè Falsum largissimè sumptum, est omne id, quod non est verum, siue dolosè, siuè sine dolo accipiatur: largè est mutatio veritatis cum dolo facta: strictè dicitur illud tantùm, quod incidit in aliquod
2 caput *legis Corneliæ, de Falsi.* In Statutis, falsitatis nomine, venit falsitas strícto nomine sumpta, ideóque pœna falsi de Iure communi non incurritur, nisi reperiatur expressa in capitibus *L. Cor-* 3
neliæ de Falsi. Hoc crimen publicum est, homicidio, & veneficio grauius: connumeratur inter excepta: non venit in generali remissione, & dispositione: vituperat famam, & statum hominis: in eóque facienda est diligens indagatio: vsque ad *numerum* 18.

***

EX

EX QVÆST. CL.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Pœna falsi quæ sit.

PŒNA falsi in homine Nobili est deportatio cum publicatione bonorum: in persona vili damnatio in metallum : in seruo vltimum supplicium. Sed quia hodie pœna publicationis bonorum est sublata per *Auth. bona Damnatorum, C. de bon. proscript.* pœna deportationis non est in vsu, & solet imponi Relegatio : ideo concludendum est, pœnam falsi esse extraordinariam: licèt si falsitas fuisset magna, & quampluries reiterata, vltimi supplicij pœna non immeritò imponeretur. Falsum committens in aliqua causa, illam perdit : si verò impugnet instrumentum de falso, & succumbat, pariter causam perdit : ità si committat Falsum, corrumpendo Iudicem, Testes, vel occultando, seù lacerando Aduersarij probationes. Quando verò Actor, & Reus hoc crimen commiserint, vterque punitur : sic & falsificans Acta, seù producens falsos Testes in causa. Clericus autem chartam falsificans, ab officio depositus, in Monasterium detruditur, & ibi quamdiù vixerit, Laïcam tantùm communionem recipit insuper, quicunque falsum committat, actione pœnali in factum ad damna, & interesse obligatur, & contra eum iuratur in litem : vsque ad *n.* 51.

EX QVÆST. CL.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Falsi pœna, quando, & in quibus casibus locum habeat.

REGVLA ex præmissis firma remanet, quod falsum committens, puniatur pœna arbitraria. Extendendo ad vendentem annonam corruptam, vnam rem pro alia, merces corruptas, vel aliquid falsitatis in se habentes: ad Aromatarios vendentes aromata falsa, vel suppositicia: ad collocantes in summitate Calathi bonos fructus, & in medio putridos : ad macellarios carnes fœtidas vendentes, & falsis ponderibus librantes.

Falsitas etiam committitur non solùm scribendo, sed etiam dictando, vel alicui scribere faciendo falsam scripturam, exemplando aliquam copiam ex originali, mutando, corrumpendo, vel contrafaciendo sigillum alienum, committendo, seù mandando committi, & corrumpi edicta Prætoris in Albo proposita: Imitando manum alterius: omittendo, & tacendo quod taceri, & omitti non debet : fabricando pondera, & mensuras falsas : illis vtendo, seù quomodo libet in eis fraudem committendo : & isto casu datur iuramentum in litem, & extra ordinem ; Iudicis arbitrio, pœna infligitur.

Committitur insuper allegando falsas leges, vel reuocatas constitutiones: vtendo vestitu, & insigniis alicuius: gerendo se pro milite, faciendo se nuncium, Comitem Palatinum, Sacerdotem, vel Diaconum : vilem conditionem propriam tacendo, & sic impetrando aliquam Dignitatem, quæ tantùm Nobilibus conceditur: faciendo se Doctorem ; vel Procuratorem : intendendo sibi sigillari, seù subscribi chartas albas, & vacuas, ad effectum scribendi falsum. Extende ad Nuncium, qui pecunia corruptus, falsam citationem, seù relationem facit: ad Capitaneos, Recipientes salarium pro pluribus equis, & militibus : ad supponentes personam pro alia in contractibus : ad fingentem se creditorem : ad mutantem dies, vel tempus in aliqua scriptura: ad mostrantem instrumenta penès se deposita contra voluntatem Deponentis.

Sed limitando propositam Regulam, Minor viginti quinque annorum mitiùs punitur: & quando falsitas habeat primordium veritatis, seù scriptura habeat aliquid veritatis admixtum, pœna arbitraria est imponenda : ac tandem quando falsitas non fuit perfecta, sed tantùm inchoata; vel ex iussu Superioris fuit commissa : pœna arbitraria irrogatur: vsque ad *numer.* 113.

EX

EX QVÆST. CL.
Pars IV.

ARGVMENTVM.

Aperiens litteras alienas quomodo, & quando puniatur.

16 APERIENS litteras alienas tenetur crimine falsi, & mortaliter peccat, ex sententia Nauar. *in cap. Sacerdos, num.* 10. *& seq. de pœnit. distinct.* 6. ad quem te *Author* remittit. Extendendo ad Aperientes literas iudiciales; qui arbitrio Iudicis, & valde mitiùs puniri debent: nec non ad aperientem, & dis-
17 signillantem Testamentum: non restituentem litteras alienas: eas lacerantem, & publicantem in alterius iniuriam, qui omnes tenentur pœna falsi, & Parti ad interesse si Aduersario mittentis ostenderint. Sed apertæ non dicuntur nisi fuerint etiam lectæ, quamuis reperiantur dissigillatæ, seù fuerint sine dolo apertæ, aut nihil continuerint
18 quod damnum inferre possit. Nec etiam pœna inducitur, si litteræ fidem non faciant, & in substantialibus deficiant, scilicet non habeant requisita necessaria, per quæ, cui, & ad quid mittantur, diem, & datam: quamuis hoc casu, secundùm *Authorem* adhuc Reus impunitus euadere non deberet: vsque ad *n.* 136.

EX QVÆST. CL.
Pars V.

ARGVMENTVM.

Mutans sibi nomen qua pœna puniatur, & quando.

19 PŒNA falsi punitur sibi nomen, vel cognomen mutans: ac pariter deferens arma sub nomine alieno: licèt vtroque casu *Author* firmet pœnam tantùm extraordinariam imponi. Et in puncto, arma deferentes nunquam vidisse punitos ex simplici mutatione nominis, ad pœnam delictionis effugiendam; licèt pro delatione pœnas luant. Extenditur Regula ad Mercatores, eorum mercaturæ signa mutantes, dato præiudiciu Tertij, & mutatione dolo 20
intercedente: de qua materia plura exempla *Author* videnda proponit in *L.* 1. *C. de mutat. nomini.* & *ibi* Scribentes.

EX QVÆST. CL.
Pars VI.

ARGVMENTVM.

Rescriptum subreptitium, vel obreptitium à Principe impetrans, an, & quando pœna falsi puniatur.

CERTVM est, pœna falsi puniri, qui per subreptionem, vel obre- 21
ptionem Rescriptum à Principe obtinuerit: nam ex falsitate suggesta, vel oppressa veritate, Rescriptum impetratum dicitur falsum, sed largo modo, & impropriè; ideóque si obrepatur impetrando, tunc pœna erit arbitraria, nisi pœna à lege determinetur expressè: si verò litigando in causa Ciuili, tunc imponitur refectio èxpensarum: si probando, intrat pœna falsi: si deierando in 22
causa capitali, habet locum pœna *Legis Corneliæ, de Sicar.* & tandem Rescripta Principis dicuntur falsa, & non valent, quando dolosè impetrata fuerint, suggesta falsitate per malitiam; secùs si per simplicitatem.

EX QVÆST. CL.
Pars VII.

ARGVMENTVM.

Occultans, subripiens, Corrumpens, Abradens, Lacerans, & Comburens scripturas in alterius præiudicium, an, & quando pœna falsi teneatur.

OCCVLTANS, seu subripiens scripturas, vt veritas non appa- 23
reat, falsum committit, & falsi pœna tenetur, provt à D.D. communiter traditur: quidquid Alij contra. Ampliando in Corrumpente, Abradente, ali- 24
quid Delente, lacerante, & Comburente

rente scripturas; adeo vt torqueri possit confessus vt dicat causam quare lacerauerit; nec non contra eumdem defertur iuramentum in litem, si dolus interfuerit. Insuper occultans, & subtrahens scripturas, seù probationes, perdit
25 causam: Lacerans verò codicillos, in quo hæredi iam scripto imponebatur onus fideicommissi, ne dictum fideicommissum appareat, priuatur quarta parte sibi debita ex fideicommisso, &
26 fisco applicatur: sed si surreptio fiat animo occultandi scripturas, & ne veritas appareat, tunc crimen est publicum, & pœna falsi irrogatur, quamuis non Testamentum, sed alia quæcunque scriptura occultata fuerit: vsque ad *n.*175.

EX QVÆST. CL.

Pars VIII.

ARGVMENTVM.

De iis, qui sibi in testamento aliquid adscribunt, quomodo, & quando puniantur.

REGVLARITER adscribens sibi legatum, vel fideicommissum, seù
27 adscribens ad fauorem Patris, vel Domini, pœna falsi punitur: & pari passu, Maritus adscribens in testamento Vxoris, siue sit nuncupatiuum, siue solemne; licèt in nuncupatiuo locum non habeat pœna sibi adscribentis, quando Notarius per Testes in eo descriptos probaret legatum adscriptum sibi fuisse relictum.

Excipitur à Regula miles, qui ob
28 præsumptam ignorantiam Iuris, à pœna liberatur, licèt legatum non consequatur. Patres verò spirituales, & Sacerdotes sub eadem limitatione Militis comprehenduntur.

Cessaret tamen hæc pœna, quando
29 Testator propria manu subscriberet: nec consideratur in fideicommisso sub duplici conditione formato, ac singulariter qui se filiis pupillis Testatoris in Tutorem adscribit; licèt suspectus præsumatur: attamen, si aliàs est idoneus, dandus est à Iudice, nec à tutela se ex-
30 cusare potest. Extendendo ad Cognatos, Agnatos, & alios venientes ab intestato, qui sibi adscribentes portionem, in qua erant successuri, nullam pœnam incurrunt: præcipuè si probetur per Testes voluntas Testatoris: vsque ad *num.*219.

EX QVÆST. CL.

Pars IX.

ARGVMENTVM.

Vendens rem duobus, quando teneatur pœna falsi.

VENDENS rem duobus, donans, seu cedens rem alteri 31
obligatam, pœna falsi tenetur: Pignorans verò, pœna Stellionatus. Et Regula habet locum, si res duobus obligata vtrique non sufficiat pro satisfactione. Dicens falsum in quocunque Instrumento obligationis, licèt teneatur pœna falsi, attamen datur locus pœnitentiæ dum res est intergra, & ante sententiam: præcipuè si primus emptor non soluit conuentum pretium, vel venditor possessionem non tradidit, vel iniunctum onus fassus fuit: & tan- 32
dem de generali consuetudine, sublatis Iuribus, hodie nulla pœna imponitur ex simplici obligatione facta duobus eiusdem rei; licèt pœna imponatur pro venditione eiusdem rei facta duobus.

EX QVÆST. CL.

Pars. X.

ARGVMENTVM.

Partus suppositi pœna quæ sit? quando habeat locum? quomodo probetur partus suppositus, & prægnantia mulieris.

PŒNA suppositi partus, est
pœna falsi capitalis, & vltimi 33.
supplicij: accusatio potest fieri quandocunque partu suppositio detecto: & hoc vnum est speciale, quod possit etiam post mortem matris procedi quoad complices viuentes. Suppositus partus probatur præsumptionibus, & coniecturis; nec tales præsumptiones tolluntur ex eo, quod suppositus filius fuerit vti talis à parentibus tractatus.

34 ctatus. Probatur etiam per confessionem matris extraiudicialem, iuncta fama, vel aliis adminiculis: & pro coniectura vehementi inducitur, si probetur, mulierem ante emissum pactum detulisse aliquam paruam culcitram, seu quid simile supra corpus, & intra vestes: provt non modica erit præsumptio, si retroacto tempore mulier fuisset sterilis, vel maritus impotens, aut adeò senio confectus, vt generare non potuisset; vel talis ætatis, vt concipe-
35 re non valuisset. Coniectura pariter erit valde vehemens. quando mulier voluerit parere in loco solitario sine præsentia aliarum mulierum, vel Obstetricum; eodémque tempore probaretur, alteram mulie-
36 rem peperisse, nec partum inueniri. Sumitur præsumptio ex eo, quod puer non fuerit parentibus similis; vel mulier prægnans nunquam passa fuerit sibi ventrem inspici, vel post mortem viri, tacuerit, seu nõ declarauerit se esse prægnantẽ. Omnes istæ cõiecturæ probari possunt per Testes, & ius accusandi competit in perpetuum, non quidem cuilibet de populo, sed tantũ parentibus, aut illis, de cuius interesse agitur. Sed an filius, qui prætẽditur suppositus, debeat se probare filium? & quam plura in
37 materia videre poteris penès Boss. *tit. de part. suppos.* Pœna huius criminis omninò cessat, si appareat de vera prægnantia mulieris, quæ probatur per Obstetrices fidei, & artis probatæ: vna tamen Obstetrix non satis est, debent enim plures insimul ventrem inspicere, & in referendo contestes esse; mulierem inspicere debent, & tange-
38 re nudam, non autem vestitam; imò nec satis est, si dicant vidisse, & tetigisse ventrem tumidum; cùm hoc ex alia causa procedere possit: ideóque rationes reddere debent sufficientes iudicio Peritorum: vsque ad *num.* 271.

EX QVÆST. CL.

Pars XI.

ARGVMENTVM.

Falsitas sine dolo commissa, an, & qua pœna puniatur.

39 FALSITAS sine dolo non committitur, & in dubio præsumitur potiùs error, simplicitas, & ignorantia. Alij contra: & hæc contraria opinio posset de facili procedere, si persona inquisiti probaretur versuta, & sagax. Quælibet etiam causa, quamquam iniusta, excusat à dolo, qui excluditur ab errore, & probatur ex originali scriptura. Præsumptus dolus non satis est, sed 40
requiritur verus: multò magis si falsitas non esset nociua: quod si agatur de aliqua pœna Statutaria, nec lata culpa admittitur, licèt adhuc falsitas sine dolo commissa aliqua pœna puniatur: vsque ad *n.* 291.

EX QVÆST. CL.

Pars XII.

ARGVMENTVM.

De falsitate non nociua, an, quando, & quomodo punienda sit.

FALSIFICANS scripturam non nociuam, & nemini præiudicium 41
afferentem, seu nullam facientem fidem, non tenetur pœna falsi; quando nullitas prouénit ex defectu formæ, substantiæ, seu solemnitatum: secùs è contra; & sic quando pœnalis dispositio principaliter considerat solum factum, & animum facientis; non autem effectum: vel falsitas est inuisibilis, nec ex ea vllum potest afferri præiudicium Parti: quapropter si scriptura falsa, non obstante eius nullitate, habuit effectum, & executioni demandata fuit, falsificans punitur. Extendendo ad Producentem falsam scripturam priuatam, si ex ea aliqua probatio, vel indicium pro scribente inducatur. Non tamen punitur falsi- 42
ficans suum librum priuatum in aliqua partita, vel librum rationum, aut computorum, si falsitas committatur in libro rationum ipsius scribentis; secùs si alterius: ideóque de falso punitur Mercator falsificans suum librum, qui facit probationem: sic & Exactor publicæ pecuniæ, falsificans librum exactionis; Socius abradens partitas in præiudicium socij; Incidens, seu Lacerans rationes, & computa: Et nihilominus falsificans pro- 43
prium librum, si dolore falsificauerit, extra ordinẽ tantùm punitur: istéque liber falsus in vno, in omnibus præsumitur falsus, & nihil probat. Scribens minutã falsi instrumenti, non punitur: sed falsificans scripturam iniustam adhuc puniendus est, quamuis talis iniustitia afficeret ipsum falsificantem: sic & tenetur pœna falsi, falsificans 44

alterius apocham, chirographum, seu aliam scripturam, quæ probet contra scribentem: & qui falsificat literas alicuius ad sui vtilitatem, ciuiliter tenetur actione de dolo, & criminaliter pœna Stellionatus.
45 Et licèt committens falsum in scriptura non puniatur pœna falsi, quando illa scriptura nihil probat pro scribente, attamen si faciat aliquam fidem, semiplenam probationem, indicium, vel præsumptionem, falsitas est punibilis: provt est si non nouit, sed tamen erat apta nocere, & dolo fuit falsificata: vsque ad *n.*364.

EX QVÆST. CLI.
Pars I.

ARGVMENTVM.

Falsificantis literas Apostolica, seu alterius Principis, pœna quæ sit, & quando habeat locum.

FALSIFICANS literas Papæ, omnibus beneficiis ipso iure priuatus degradatur, & traditur Curiæ sæculari puniendus, pœnis legalibus, quibus laïci puniuntur, scilicet vltimo supplicio: Excommunicationem ipso iure incurrit vnà cum fautoribus, & defensoribus eorum. Extendendo ad falsificantes literas, seu Rescripta Principis ad gratias, siue contractus inferentia: quod si falsificentur Rescripta ad causas, mitior pœna imponitur: Et quamuis non præsumatur quis falsificare Rescripta iustitiæ, quæ de facili obtineri possunt, cùm dolus excludatur, nec præsumatur ex modica vtilitate attamen Bulla *in Cœna Domini* habet locum
2 in falsificante literas Apostolicas iustitiam concernentes: & extenditur ad falsificantes litteras Pœnitentiariæ, & Cancellariæ, quamuis illis vsus non fuerit, & quamuis falsitas nulli attulerit præiudicium: quinimo sola suspicio falsitatis in literis Apostolicis sufficit ad capiendum, & carcerandum suspectum de tali falsitate; & eo capto, consulitur Papa quid agendum de
3 eo; soláque suspicio falsitatis literis Apostolicis fidem tollit, & earum impedit executionem.

Apostolicæ Bullæ dicuntur falsificatæ pluribus modis, quædam dicuntur *falsæ*, quædam *falsatæ*, de qua materia *Author* te remittit ad Goffr. *rub. de crim. falsi. n.*13.

Extenditur ad detruncantes Bullas de literis Apostolicis, ad eas Abradentes: & quælibet modica abrasura facta ab alio, quàm ab Officialibus Cancellariæ deputa- 4
tis, etiam vnius syllabæ, vnius literæ, vel puncti, reddit eas falsas, & facit incurrere pœnam Excommunicationis, si literæ contineant gratiam; secùs si iustitiam. Et quia abrasioni æquiparatur consumptio, ideo si aliqua pars literarum Apostolicarum reperiatur consumpta in loco suspecto, inde oritur falsitatis suspicio; non tamen tanta, quanta oritur ex abrasione: itaque abrasio reddit literas falsas in dispositione Iuris, secus in narratione facti; vel quando non est abrasum aliquid substantiale. Sic iterum non inducunt falsita- 5
tem, quando fuerũt datæ sigillatæ, & clausæ quamuis abrasio sit in substantialibus, si intellectus dispositionis non mutetur, & appareat ex præcedentibus, & subsequentibus orationem benè continuare. Abrasio autem, seu correctio facta ab Officialibus Cancellariæ, certò certiùs falsitatem non inducit: quare in dubio videtur facta ab habente authoritatem corrigendi; licèt inducat falsitatem, si desuper literas Apostolicas aliquid scriptum reperiatur extranea manu.

Falsificantes verò literas Capituli, aut aliorum Prælatorum, licèt deponantur, & in Monasterium detrudantur Curiæ se- 6
culari non traduntur: sic & non tam acriter punitur falsificans literas Delegati Papæ, nec pœna vltimi supplicij infligitur falsificanti literas, seu sigillum alicuius Principis sæcularis. Caueant tamen Laïci ab huiusmodi falsitate: quia quidquid sit de Iure, furcis suspendẽtur: vsque ad *n.*64.

EX QVÆST. CLI.
Pars II.

ARGVMENTVM.

Vtens, & Producens falsas literas Apostolicas, quando, & qua pœna puniatur.

VTENS literis falsis Papæ, licèt mitiùs puniatur, quàm ille qui eas falsi- 7
ficat; grauiùs tamen plectitur, quàm vtens alio falso instrumẽto; & hæc grauior pœna potest extendi vsque ad mortem naturalem: insupérque Laïci excommunicationi tamdiù subiacent, donec competenter satisfaciant, quinimo vtens falsis literis Apo- 8
stolicis, non excusarut allegando ignorantiam; crassa enim hæc dicitur, cùm quis diligenter

diligenter perquirere teneatur falsitatem; præsertim, si ex Rescripti inspectione appareat, licet si contineat iustitiam, mitiùs puniatur. Non punitur ille, qui cùm falsas cognouerit, infrà viginti dies illas destruerit, seu resignauerit: & tandem Clerici vtentes falsis literis, non semper excommunicantur, nec semper priuantur beneficiis, sed quandóque condemnantur in expensis, & carent impetratis: vsque ad *num.* 98.

EX QVÆST. CLII.

ARGVMENTVM.

In crimine Falsi, an sola suspicio habeatur pro falsitate? & an falsitatis præsumptiones faciant concludentem probationem.

NON modica inter DD. est controuersia, numquid suspicio Falsi habeatur pro falso, & vtrùm ex præsumptionibus resultet vera, & concludens probatio? *Author* præmittit instrumentum quandóque dici falsum, & quandóque de falso suspectum: dicitur falsum, quando concludenter tale probatur: de falso suspectum, quando non adest concludens probatio falsitatis: deinde adductis diuersis opinionibus, tandem in tanta varietate contradicentium, resolutiuè concludit ad effectum effugiendi, & excludendi falsitatem tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus, ad defensionem Rei, præsumptiones sufficere; & hoc non habere contradictorem. Sic & satis esse, quando Ciuiliter agitur ad tollendam fidem instrumenti: sed si ex falsitate commissa in vna parte scripturæ, inferatur ad falsitatem totius, tunc non sufficere: quod si agatur Criminaliter, sola suspicio infert ad capturam, inquisitionem, & torturam; non tamen ad inferendam pœnam ordinariam: sed præsumptiones orientes ex vitio visibili, sufficiunt ad condemnandum, si Criminaliter agatur, in pœnam extraordinariam: & ex deductis ex vitio inuisibili, tortura infertur: sed quia ex præsumptionibus hominis nemo condemnari potest, nisi sint violentissimæ & indubitatæ, ideò non suffragantur, nisi ad tollendam fidem instrumenti, & scripturæ: vsque ad *n.* 46.

EX QVÆST. CLIII. Pars I.

ARGVMENTVM.

Falsitas quando præsumatur ex apostilla, seu additione reperta in aliquo instrumento, vel scriptura.

EX apostillis, seu additionibus, præsertim in margine alicuius instrumenti, vel scripturæ, arguitur falsitas, quando apostilla reperitur apposita in loco suspecto, seu in parte substantiali, & scripta extranea manu, nisi sit firmata à Notario: sed si apostilla sit inutilis, nec de contextu, & corpore scripturæ, aut extet consuetudo quod apostillis credatur, tunc non inducitur falsitas; nec in dubio, præsumitur facta diuerso tempore extra consensum Partium; præcipuè si reperiatur in originali ipsius instrumenti, non adhuc ad protocollum reportato; si verò reperiatur in protocollo, inducitur præsumptio falsitatis ad tollendam fidem, non autem vt criminaliter agatur: vsque ad *n.* 30.

EX QVÆST. CLIII. Pars II.

ARGVMENTVM.

De præsumptione falsitatis oriente ex cancellatione scripturæ.

PRÆMITTITVR, quod Cancellatio in stricta eius significatione inducitur, quando calamus per medium literæ ducitur ad modum Crucis differt à circumducere, inducere, vel abolere: quia *circumducere* est, quando extra literas ductus est calamus in circuitu chartæ: *inducere*, dum penna ducitur per medias literas: *abolere*, quando abraditur litera, ita quod legi non possit: in larga verò significatione, nulla est differentia inter cancellare, circumducere, inducere, vel abolere.

Regula ergo proponitur, quod ex cancellatione in aliqua scriptura reperta præsumatur falsitas, & sic fidem non faciat si reperiatur in loco suscepto, vel substantiali: in dubio tamen præsumitur facta de tempore instrumenti, & voluntate Partium. Tunc demum arguit falsitatem, & tollit fidem, quando est talis, quod priùs

scriptum legi non possit; quia non vitiat, si probetur fuisse factam inconsulto, sine dolo, bona fide, & per errorem; præcipuè si sit incorporata in ipso contractu, & ex præcedentibus, & subsequentibus colligatur verus sensus verborum: vsque ad *num.* 49.

EX QVÆST. CLIII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

De præsumptione falsitatis oriente ex interlineatione alicuius scripturæ.

REGVLA datur, quod per interlineationem, seu vt alij dicunt per
5 superlinearem scripturam, & per additionem inter vnam, & alteram lineam, arguatur falsita, reddatur scriptura suspecta, & fidem non faciati, quando scilicet reperiatur in loco substantiali, vel suspecto, qui erit circa tempus, videlicet annum, & indictionem. Non tamen inducitur falsitas, si ex præcedentibus, & subsequentibus colligatur verus sensus verborum, vel reperiatur in protocollo, matri-
6 ce, seu originali ipsius instrumenti: & quandocunque non sufficit ad Criminaliter puniendum.

EX QVÆST. CLIII.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

De præsumptione falsitatis oriente ex abrasione scripturæ.

ABRASIO reperta in aliqua scriptura, quamuis correcta manu
7 eiusdem Notarij, & etiam ad effectum immittendi hæredem scriptum in possessionem bonorum hæreditariorum, falsitatem arguit; quamuis fuerit inuenta in originali, sit tenuis, & subtilis, ac talis vt discerni non possit, nisi ad solem; & quamuis sit modica paucarum literarum, & vnius tantùm syllabæ; dummodò mutetur per eam sensus verborum, & reperiatur facta in loco suspecto, ac parte substantiali; quæ talis dicitur quando reperitur in eo, in quo consistit vis tota testamenti, seu scripturæ, non autem si sit in exordio. Quando autem rasura reperiatur in annotatione temporis, vel quando in eo consistat vis quæstionis seu reperiatur facta in aliqua parte, aut instrumento penès Aduersarium, quem Iudex coëgit ad producendum, quamuis non reperiatur facta in parte substantiali, non vitiaret tamen instrumentum, si aliunde coadiuuaretur, vt putà per viuam vocem Testium in eodem instru- 9
mento adhibitorum: & demum tollit fidem, si sit talis, vt illud, quod priùs scriptum erat, intelligi nequeat: quod si ignoretur à quo fuerit facta præsumitur in dubio à Notario confecta: & tandem hæc suspicio tollit fidem, non tamen sufficit ad Criminaliter agendum. 8

EX QVÆST. CLIII.

Pars V.

ARGVMENTVM.

Approbatio Notarij quod rasura, interlineatio, cancellatio, additio, & apostilla sit facta tempore confecti instrumenti, & de Partium consensu, an, & quando valeat, & tollat suspicionem falsitatis.

SVSPICIO falsitatis exoritur quando abrasiones, cancellationes, additio- 10
nes, & interlineationes non apparent approbatæ ab ipso Notario: & hæc Notarij approbatio non sufficit generalis, sed requiritur specialis, & fieri debet in fine instrumenti, quando scilicet se illi subscribit, & illud publicat, asserendo se de eo rogatum; qua propter debet esse de corpore instrumenti, non autem in margine; licèt etiam in margine valeret 11
quando in totum cancellatum instrumentum reperiretur, & in margine Notarius testaretur fuisse per errorem cancellatum: vsque ad *numerum* 112.

***

EX

EX QVÆST. CLIII.

Pars VI.

ARGVMENTVM.

De præsumptione falsitatis ex diuersitate manus.

DIVERSITAS manus in scri-
13 ptura falsitatem arguit, nisi fuerit causata ex mutatione calami, vel atramenti; aut propter mutationem status personæ ipsius scribentis; vel nisi scriptor, aut Notarius in subscriptione fidem faceret, scripturam esse diuersorum scriptorum manibus confectam: sola enim diuersitas manus non reddit adeò suspectam scripturam, vt illi fides adhiberi non debeat;
14 quinimò in Criminalibus ad effectum condemnandi, comparatio literarum non probat diuersitatem manus, cùm sæpissimè fallax sit, nec inducit falsitatem instrumentum scriptum diuersa manu de mandato Notarij in subscriptione approbantis, quod supra scriptum, est ab alia manu: quod quando verum sit? quandóve possit Notarius facere scribi instrumentum per
15 alium? & quid si Notarius fateatur in instrumento illud esse sua manu scriptum, & tamen reperiatur scriptum manu alterius? an Notarius sine impedimento possit demandare alteri, vt instrumentum scribat? vtrùm eidem Notario, impeditum se asserenti credatur? & de aliis quampluribus ad materiam, *Author* te remittit ad *text. in c. inter dilectos*, §. *instrumentum*, *extr. de fid. Instrum.* & ad *ibi* Scribentes.

EX QVÆST. CLIII.

Pars VII.

ARGVMENTVM.

De præsumptione falsitatis oriente ex contrarietate, & repugnantia scripturarum.

FALSITAS maximè arguitur ex
16 contrarietate, seu repugnantia apparente in eadem scriptura, vel instrumento, aut etiam inter vnam, & alteram scripturam; vnum, & alterum instrumentum. Sic instrumentum non probat quando est diuersum à protocollo, seu matrice, quia tunc recurritur ad matricem, & illi statur in dubio magis quàm instrumento inde 17
sumpto: si verò protocollum sit diuersum à matrice prima, statur ipsi matrici. Et licèt Alij contrà: firma conclusionem pro veriori. Non vitiat contrarietas in non 18
substantialibus, nec quando consistit in verbis non mutata substantia veritatis, & mentis contrahentium: vsque ad *n.* 133.

EX QVÆST. CLIII.

Pars VIII.

ARGVMENTVM.

De præsumptione falsitatis instrumenti, quando protocollum non reperitur.

ACERRIME inter DD. controuertitur, an probet instrumentum au- 19
thenticum quando eius protocollum non reperiatur? *Author* pluribus adductis discordantibus opinionibus, postea distinguit inter protocollum, & matricem: & quod attinet ad protocollum, cùm certum sit, omnes Notarios teneri ipsa conficere, & seruare, sine dubio quando petitur, exhiberi debet; & nisi exhibeatur, instrumentum tamquam de falso suspectum nihil probat: si verò loquatur de matrice, aut sumus in casu in quo Notarius solet il- 20
lam conficere, & seruare; aut è contrà: primo casu, instrumentum sine matrice redditur falsum, & nihil probat: secundo verò casu, nec falsum dicitur, nec repelli potest: vsque ad *n.* 146.

EX QVÆST. CLIII.

Pars IX.

ARGVMENTVM.

De pluribus, ac diuersis præsumptionibus falsitatis.

PROSEQVENDO *Author* alias
falsitatis præsumptiones, illam pri- 21
mo loco adducit quæ oritur ex mala qualitate personæ inquisiti, seu producentis: sed ad hoc vt instrumentum reddatur suspectum ex ista mala qualitate, requiritur vitium visibile: quod si concurrant insimul bona fama inquisiti, & mala scriben-

tis, & agatur de modico præiudicio, præualet bona fama inquisiti: si verò de magna quantitate, infamia scribentis præualet.

Secunda oritur ex falsa Grammatica, 22 quæ in literis Apostolicis vehemens est; secùs in Rescriptis Imperatoris, vel alterius Principis sæcularis. Oritur & ex clausula non habente rectam constructionem: error tamen in litera, aut in syllaba nõ vitiat, nisi alteretur sensus dispositionis.

Tertia, ex diuersitate atramenti; sed, 23 an leuis, vel grauis sit? remittitur arbitrio Iudicis: potest enim diuersitas atramenti quandóque induci ex mutatione calami: quod si probetur, tollitur suspicio inde resultans.

Quarta, ex diuersitate styli; ista enim 24 diuersitas, præsertim in literis Apostolicis, diuersáque dictandi forma, falsitatem arguit.

Quinta, ex actu insolito, & insolitis 25 cautelis: sed hoc non procedit, quando ex aliqua iusta causa particulari fuit apposita, seu quando nouus modus est bonus, & laudabilis.

Sexta, ex diuersitate papyri, & signi: 26 sic & quando vna charta est longior altera, vel quando instrumentum est scriptum in chartis diuersorum signorum; licèt non probetur ex eo, quod vnum folium sit diuersi papyri.

Septima, ex dissimilitudine quinter- 27 norum ligatorum in libro, & quando foramina reperiuntur vacua in *coperta* libri.

Octaua, si instrumentum antiquum 28 reperiatur scriptum in charta recenti, quando constat quod tempore, quo fuit confectum illa charta non fabricabatur; vel quando in charta antiqua reperitur recens scriptura: hæc tamen sola præsumptio non concludit falsitatem, sed transfert onus probandi contrarium in Aduersarium.

Nona, desumitur ab inuerisimilitudi- 29 ne, quæ falsitatis imaginem habet: præcipuè quando deficiente spatio in charta, carmina restricta reperiuntur in fine, cùm à principio potuissent latiori spatio conscribi.

Decima, quando in instrumento de re- 30 centi stipulato, instrumentarij Testes mortui reperiuntur, vel quando ex dictis Testibus vnus est mortuus, & alter dicit non interfuisse.

Vndecima, ex tarditate registrandi, & 31 protocollandi instrumenta, ex tarditate producendi scripturas, seu quando charta reperitur incisa.

Duodecima, ex scriptura in charta im- 32
munda, vel vituperata, quando vituperatio, & macula sunt in loco suspecto, & substantiali, seu quando post productionem reperiatur macula; sed tunc non tollit fidem, nec inducit falsitatem.

Decima-tertia, ex scriptura posita præ- 33
posterato & retrogrado ordine, si ordo sit de necessitate actus: vsque ad *n.* 192.

EX QVÆST. CLIII.

Pars X.

ARGVMENTVM.

De pluribus præsumptionibus falsitatem excludentibus.

GENERALITER falsitas non præsu- 34
mitur, & ad illam excludendam omnis interpretatio facienda est, etiam verba dubia impropriando, quacunque adhibita distinctione, loci, temporis, rerum, & personarum: quinimò adhiberi debet omnis subtilitas cum interpretatione aliquantulum extranea: quando inter 35
scripturas adsit discordia, omnimodè elaborandum est vt concordentur, etiam per multiplicationem actuum, & personarum, si agatur Criminaliter, secùs si Ciuiliter.

Et quia falsitas sine lucro, & commo- 36
do non præsumitur, multò magis excluditur, si redundet in damnum inquisiti: imò non sufficit modicum lucrum, nec modica vtilitas; quia ad hoc, vt malè factum præsumatur, necesse est vt commodum inde sentiens, vtatur illa re malefacta; quæ si respiciat commodum plurium, tunc ratione incertitudinis contra neminem oritur præsumptio delicti: licèt 37
quando constet de falsitate, lucrum considerari non debeat, cum quandóque ex sola amicitia falsitas committi possit.

Ex multitudine personarum, falsitas 38
excluditur: & ideò non præsumitur in testamento coram septem testibus celebrato, nec in actu gesto palam, & publicè; præcipuè si vigore scripturæ quis steterit in possessione per longæuum tempus, seu fuerit in iudicio eadem scriptura probata: vsque ad *num.* 229.

***

EX

EX QVÆST. CLIV.
Pars I.

ARGVMENTVM.

De pœna Notarij negantis se de instrumento rogatum.

1 ACCEDENDO ad falsitates, quæ per Notarios committuntur pluribus modis; primo loco Notarius rogatus de aliquo instrumento, si requisitus à Parte, copiam dare recuset, rogasse negans, tenetur pœna falsi, & ad omnia damna, & interesse: si dicat non recordari fuisse rogatum, potest cogi ad exhibendum protocollum, aliásque suas scripturas; & quando conuincatur per
2 Testes fuisse rogatum, debet cogi ad nouiter conficiendum, & Partibus consignandum: quod si de tempore longinquo fuisset rogatus, & assereret non recordari, puniri non posset, præcipuè si fuisset senex, & bonæ famæ: vsque ad *num.* 14.

EX QVÆST. CLIV.
Pars II.

ARGVMENTVM.

De pœna Notarij conficientis contractum illicitum.

3 NOTARIVS rogatus de instrumento vsurario, seù aliàs illicito, pœna falsi tenetur, secundùm Aliquos: sed verius, & receptius est, quod innodetur pœna periurij, infamiæ, & priuationis Officij: quamuis Multi dixerint esse pœnam amputationis manus;
4 & Aliqui, publicationis bonorum. Sed quidquid sit, tunc Notarius incurrit pœnas si scienter rogatus fuerit, & ex facie instrumenti de Vsura appareat.
5 Extendendo pariter, quod Regula non procedat, si Notarius habeat pro se authoritatem alicuius Doctoris insignis, seu apponat aliquam clausulam illicitam, & vsurariam ad dictamen sapientis.

EX QVÆST. CLIV.
Pars III.

ARGVMENTVM.

De Notario non seruante Protocollum, seu Matricem; & illam exhibere recusante.

AVTHOR præmittit, quod *Matrix*, seù Originale, sit illa prima 6
scriptura, quæ fit à Notario antequam se roget de instrumento, & cum qua instrumentum postea stipulatur: *Abbreuiatura* verò eadem prima notula, quæ solet cæterari, abbreuiari, & in folio volante conscribi: *Protocollum* illud est, in quo Notarius post rogatum, & stipulatum instrumentum, illud redigit in mundum, & perextensum: *Authenticum* tandem est, quod postea sumitur ex dicto Protocollo, & Partibus interesse habentibus à Notario datur in publica forma.

Quibus præmissis Regula firmatur, 7
quod Notarius teneatur seruare, & retinere Protocollum, & matricem instrumenti: quinimò, nec de consensu Partium lacerare possit imbreuiaturam sub pœna falsi. Alij contra. Et in hac 8
contrarietate *Author* dicit, seruandam esse consuetudinem. Non custodiens verò Protocollum, nec exhibens requisitus, nisi doceat de amissione, potest puniri, nec ei creditur si dicat amisisse; adeo vt torqueri possit, nisi aliúde amissionem probet: quod si Protocollum reperiatur in longinquis partibus, tunc
9 scribitur Ordinario loci, vt videat & recognoscat, an sit authenticum & legale: & Notario asserenti, scripturam, quam exhibuit, esse Matricem, creditur, nec tenetur exhibere Protocollum, nisi instrumentum fuerit productum in iudicio: vsque ad *n.* 52.

EX QVÆST. CLIV.
Pars IV.

ARGVMENTVM.

Notarius, qui in instrumento testatur fuisse pecuniã numeratam, si numerata non fuit, an, & quando de falso puniatur.

EX certa & firma Regula, Nota-
rius, qui in instrumento dicit fuisse 10

numeratam pecuniam, quæ reuera numerata non fuit, de falso punitur, ac tenetur; quamuis fuerit posita ante eius oculos, in bursa, vel in sacculo: quinimò etiãpunitur, si dicat in instrumẽto. *Titius habuit, & recepit mutuò*, vel *in depositum*, si reuera pecunia non erat præsens: sic & si dicat fuisse numerata scuta centum, & probetur de quinquaginta: sed si dicat, *Titius confessus fuit habuisse Centum à Seio dante, & numerante*; talia verba non important actum traditionis, & numerationis; secus si dixerit, *confessus est habuisse Centum à Seio, dando, & numerando*: ideóque hoc casu tenetur de pœna falsi, si pecunia certè non fuerit
11 numerata. Quando autem assereret, pecuniam numeratam, quæ reuera fuerit exbursata; non tenetur de falso: nec etiam quando dixerit, quod *Titius Seio mutuauit Centum*, iuncto verbo, *Dedit*. Item nec quando assereret *pecuniam numeratam, quæ reuera numerata non fuit, sed Partes ipsa sic mandarunt*. Ita pariter nisi dicat, *in præsentia mei*: imò si dicat,
12 *Titius confessus fuit habuisse, & recepisse scuta centum à Seio, quæ habuit, & recepit in præsentia mei & testium*: omnia ista verba censentur relata ad eiusdem Partis confessionem; secùs, si vsus fuerit copula, & dicendo, *& habuit, & recepit in præsentia mei*, iuncto verbo, *numerauit*; quia numeratio denotat de se ipsa
13 actualem numerationem. Non etiam redditur falsum instrumentum, quando pecunia fuit verè numerata, sed statim restituta: vsque ad *n.* 92.

EX QVÆST. CLIV.
Pars V.

ARGVMENTVM.

De Notario scribente in testamento, Testatorem ore proprio nominasse hæredem, quem non sic ore proprio nominauit.

CONTROVERSIAM esse inter D.D.
14 dicit *Author*, nunquid Notarius de falso puniatur scribendo in testamento, Testatorem *ore proprio nominasse hæredem*, quem reuera ore proprio non nominauit, sed putà, respondendo Notario, sibi legenti testamentum, & interroganti, *an illud sibi placeret?* dixerit, *placere*, aut quid simile. Plures authoritates P.P. inter se aduersantes refert *Author*: & tandem resolutiuè concludit, quod licèt regulariter Testator ore proprio nominare debeat hæredem, non tamen inde sequitur quod Testamentum sit nullum, cùm plures sint casus, in quibus non data ore proprio nominatione sustinetur, de quibus idem *Author* remissiuè loquendo, te remittit ad multos: & præsertim ad Boss. *in tit. de fals. num.* 55. & ad Clar. *in* §. *Testamentum q.* 37. *per tot.* Sed si Notarius sit iurisperitus, cùm scire debet Iuris conclusiones, ideo cessante præsumptione erroris, intrat præsumptio doli. Et singulariter non tenetur Notarius de falso, dicendo, *hæredem fuisse ore proprio nominatum*, si super hoc examinatur, *ore proprio*, spontè fateatur, sic scripsisse per errorem, credens hoc sufficere: vsque ad *num.* 103. 15 16 17

EX QVÆST. CLIV.
Pars VI.

ARGVMENTVM.

De nonnullis aliis casibus, in quibus Notarius falsum Committit, & pœna falsi tenetur.

FALSVM committit Notarius in
18 pluribus aliis casibus, quorum occurrit *Primus*, quando in instrumẽto dicit, *omnes Canonicos, aut eorum maiorem partem interuenisse*, si reuera non omnes interfuerint: eóque magis, si ponat aliquem pro præsente, qui abfuerit.

Secundus est, quando ante Testium publicationem, eorum dicta, seu alia Iudicis, vel causæ secreta, Partibus reuelauerit, & in Statu Ecclesiæ habetur *Bulla* Pij V. *in ordine* 65. grauissimis
19 pœnis, etiam vltimo supplicio, Iudicis arbitrio puniens Notarios, qui in causis criminalibus Reorum responsiones, Testiúmque depositiones in totum, vel in parte, sine Iudicis, aut fiscalis licentia propalant.

Tertius, quando Notarius aliquid addit, minuit, vel mutat in instrumento
20 postquam de eo rogatus fuerit; quamuis adderet, vel minueret de consensu Partium.

Quartus

Quartus, quando in testamento asse-
21 rit, *se vidisse testatorem*, quem reuera non vidit: vel quando affirmat Testatorem *esse sanæ mentis*, cùm non sit, se rogando de testamento furiosi, vel dementis: seu quando in Actis testatur *fuisse productum instrumentum*, quod reuera non productum, sed tantùm allegatum fuerit: vsque ad *n.* 115.

EX QVÆST. CLV.

Pars I.

ARGVMENTVM.

De pœna Notarij conficientis falsum Instrumentum.

QVæ sit pœna Notarij conficien-
1 tis falsum instrumentum? D.D. non benè firmant: & *Author* relatis sex aduersantibus opinionibus, tandem concludit esse pœnam falsi arbitrariam, extendibilem vsque ad mortem inclusiuè, & vltra teneatur ad
2 damna, & interesse. Si quis autem, Notarius non existens, tamquam Notarius instrumenta conficiat, itidem arbitrariè punietur: quod extenditur ad falsificantem Acta iudicialia: vsque ad *n.* 16.

EX QVÆST. CLV.

Pars II.

ARGVMENTVM.

De Notario conficiente falsum Instrumentum nullum.

NOTARIVS conficiens falsum in-
3 strumentum nullum, in quo deficiat mensis, indictio, locus, numerus Testium, & similia; de falso non punitur: nisi Statutum, seu constitutio caueret, hoc sibi prohibitum sub aliqua pœna. Idem est si conficiat nullum ex defectu formæ, & solemnitatum, quia
4 tunc arbitrariè punitur: quod si mutet datam, vel quid substantiale, pœna falsi imponitur, etiamsi sit nullum, videatur defectu causæ efficientis, & materialis: vsque ad *n.* 32.

EX QVÆST. CLV.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Notarij falsa instrumenta an valeant, & quando.

NOTARIVS de falso condem-
natus non potest Instrumenta 5
conficere, & confecta non valent, quamuis in sententia non sit expressè Officio priuatus, & instrumenta sint facta ad pias Causas, quia non pos-
sũt aliqua probatione coadiuuare. Hæc 6
tamen non procedunt si fuerint celebrata ante condemnationem, licèt suspecta reddantur: quinimo nec quando ignoratur fuisse Notarium condemnatum de falso: similiter nec quando sententia falsitatis fuit secretè, & occultè, promulgata: sic & valent instrumenta confecta pendente processu, & accusatione, dummodò non subsequatur sententia Iudicis declaratoria, quod Notarius à die commissi delicti fuerit inhabilis. Extende, quando Iudex ex aliqua 7
iusta causa in condemnatione Notario famam reseruauit, & authoritatem impartitus fuit condendi instrumenta, *non obstante*, *&c.* Valet insuper instrumentum rogatum à duobus Notariis, quorum vnus sit condemnatus de falso: vel si Partes huiusmodi instrumentum à Notario suspecto, & condemnato rogatum reciperent, & approbarent: vsque ad *num.* 76.

EX QVÆST. CLV.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

Notarij infamis instrumenta an valeant, & quando.

INSTRVMENTA rogata à Nota-
rio infami, nisi deliquerit in Of- 8
ficio, aut fuerit Officio priuatus, vtique valent; quia cùm officium Notariatus non sit dignitas, sed munus; non ideò infertur, quòd etiam infamis non possit esse Notarius: quod si Nota-

rius

rius sit assumptus ad scribendum negotia Principis, vel ad bancum Iuris, quia
2 tunc eius Officium est dignitas, etiam per delictum commissum extra Officium, dignitate priuatur; & inde secuta condemnatione, repellitur ab officio Notariatus. Regula verò non procedit, si infamia Notarij sit occulta; secùs si notoria: sic & in Vrbe Roma, in qua Notarius, nec Procurator admittitur infamis: vsque ad *n.* 90.

EX QVÆST. CLV.

Pars V.

ARGVMENTVM.

Instrumenta Notarij putatiui an, & quando valeant.

INSTRVMENTA confecta à Notario putatiuo, in casibus, quibus
10 præsumitur, quem verè esse Notarium: vtique valent; licèt regulariter, ac generaliter inita censeantur: præcipuè si tali Officio fungebatur, sciente, & patiente superiore habente potestatem
11 creandi Notarios: & generaliter quando non valerent, negari non potest quin faciant aliquam præsumptionem: vsque ad *num.* 98.

EX QVÆST. CLVI.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Notarius quando possit suum errorem corrigere.

POST stipulatum instrumentum,
1 cùm iam Notarius functus fuerit officio suo, errorem suum corrigere non potest, etiam consistentem in omissione loci; & in iis, quæ pertinent ad Partes, & substantiam negotij, si hoc facere velit ex interuallo, & postquam dederit
2 Parti Copiam instrumenti siuè publicam, siuè priuatam. Potest tamen Notarius ea corrigere quæ ad sui officium spectant, vt putà, falsam latinitatem, non mutata substantia sermonis. Potest, si nondum dederit copiam Parti, apponere Indictionem ex errore omissam: &
3 si dubitetur, an sit error in *annis Domini*, potiùs quàm in *Indictione*, error præsumitur in Indictione: quia Annus magis omnibus innotescit. Sibi permittitur etiam authoritate propria apponere diem, mentem, & Consulem omissum, 4
vel istos malè potest corrigere, dummodò corrigat incontinenti, & antequam copia Parti sit tradita, & dummodo singulariter vis non sit in tempore, quia aliàs non posset corrigere sine licentia Iudicis, considerantis, an ipse Notarius sit bonæ, vel malæ famæ; an correctio erroris sit allatura præiudicium, & quale. Sic & potest Notarius 5
corrigere errorem, declarando verba obscura, modò nondum fuerit tradita Parti copia instrumenti: sed non potest errorem suum corrigere sine authoritate Iudicis, quando illum non probat aliunde quàm ex assertione sua: secùs si aliunde probetur error, siue sit in omittendo, siuè in committendo, & siue data sit copia Parti, siue non: quandócunque de licentia Principis errorem corrigere potest, citata Parte; nisi pun- 6
ctum consistat & difficultas versetur in puncto Iuris, quia tunc citatio non requiritur. Quando verò corrigere potest 7
propria authoritate, id sibi facere licet non vocata Parte: vsque ad *n.* 82.

EX QVÆST. CLVI.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Notarij error, quando Partibus noceat.

REGVLARITER Notarij error,
8 etiam causatus ab eius imperitia, & simplicitate, Partibus non nocet: & præcipuè, ac singulariter, si Testator in testamento dixit, *Titius hæres esto*; & Tabellio solùm scripsit, *Titius*, omissa institutione, non vitiatur, sed sustinetur testamentum, quando tale testamentum possit Testibus comprobari: si verò adsit error in sententia per eum rogata, & sit omissum in ea verbum, *condemno*, tunc, licèt videatur non posse probari per Testes, cùm sententia de necessitate requirat scripturam, attamen si dictum verbum subaudiatur ex præcedentibus iam scriptis, tunc sententia non vitiatur. Sic & error 9
consistens in falsa Grammatica, Partibus non nocet; & propterea Notarius

potest

potest ex se ipso errorem corrigere: sed si ex eo Parti damnum afferatur, obligatur ad resarciendum, quia ad interesse semper tenetur. Quando verò omiserit substantialia, tunc cùm correctio dari non possit, Parti nocet error. Alij contra: Et hæc contraria opinio fortè procedere posset, si substantialia supplerentur ex præcedentibus, & subsequentibus. Et error tandem in omittendo, si versetur in illis, quæ scripturam requirunt, Partibus nocet. Alij contra. Alij verò distinguunt, quod prima opinio procedat, si Notarius rogatus à Partibus, quæ sibi dicta fuerunt, per errorem non scripserit: vsque ad *n.*115.

EX QVÆST. CLVI. Pars III.

ARGVMENTVM.

In Notario, an præsumatur potiùs error, quàm dolus? & quomodo error probetur.

REPERTO errore in aliquo testamento, vel instrumento, potius commissus præsumitur à Partibus, quàm à Notario: sed si consistat in pertinentibus ad officium Tabellionis, tunc ab eo commissus censetur: sed quia error iste à Notario commissus nunquam præsumitur, ideo concludenter debet probari. Alij tamen volunt, quod probetur coniecturis, ac etiam per Testes instrumentarios, vel non instrumentarios: quinimò error in testamento commissus, vbi de Iure requiritur numerus septem testium, à duobus ex istis satis probatur: sic & per confessionem Partis, ex aliis scripturis, aliisue instrumentis, nec nõ ex præcedentibus, & subsequentibus: vsque ad *num.*137.

EX QVÆST. CLVI. Pars IV.

ARGVMENTVM.

Notarius an, & quando habeat pro se præsumptionem.

NOTARIVS habet præsumptionem pro se, & ad eum conuincendum probationes esse debent liquidissimæ: quinimò ad eum excusandum omnis coniectura capi debet; verba instrumenti omnimode interpetrando: siquidem quando aliud scripserit, quàm fuerit dictum à Partibus, aut aliàs falsum expresserit, potiùs præsumitur error, quàm falsitas. Instrumenta enim à Notario confecta, fidei magnæ sunt, habent præsumptionem pro se, & semper firma remanent, nisi contrarium probetur: licèt instrumenti fides vacillet, quando contra illud opponatur aliqua falsitatis suspicio: & sicut contra Notarium malæ famæ, lex potiùs præsumit dolum, quàm errorem; è contra bona fama, & legalitas excludit omnem præsumptionem falsitatis, quia ad hoc, vt instrumentum reddatur suspectum, vitium debet esse visibile, & dolus ex circumstantiis præsumptus, non punitur de falso, nisi fuerit commissus in substantialibus: vsque ad *n.*162.

EX QVÆST. CLVII. Pars I.

ARGVMENTVM.

Notarius omittens in instrumento per eum rogato debitas solemnitates, quando, & quomodo puniatur.

SI Notarius omittat in instrumento debitas Iuris solemnitates, crimine falsi, & illius pœna tenetur, quia hoc casu in ea non præsumitur error, præcipuè in testamentis, si omittat solemnitates expressas in *L. Iubemus C. de testament.* Sic & omittens in instrumentis mensem, diem, Indictionem, Locum, Consulem, & similia, quia tunc etiam Parti tenetur ad interesse. Alij contra: & *Author* nihil resoluendo relinquit cogitandum: quare ad eum te remitto. Sed tunc demum ex omissione solemnitatis in instrumento præsumitur dolus contra Notarium, & de falso punitur, si omissa solemnitas sit omnibus notoria, & substantialis, ac Notarius sit sagax, versutus, & peritus: quod totum remittitur arbitrio Iudicis, condemnando semper extra ordinem: vsque ad *n.*18.

EX

EX QVÆST. CLVII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Notarius omittens in instrumento consuetas clausulas, quando possit propria authoritate illas apponere.

ENSETVR à Partibus Notarius
3 rogatus apponere in Instrumento omnes consuetas clausulas ; ideóque nisi apposuerit, propria authoritate apponere potest : sic & potest non mutata substantia contractus verba sui instrumenti ampliare, addere, mutare, & omnia alia facere, quæ ad vtilitatem,& confirmationem contractus, de quo rogatur, spectant, & pertinent ; quamuis tales clausulæ in originali non reperiantur,& copiam Parti tradiderit: quinimò potest supplere clausulas, de consuetudine apponi solitas, quamuis consuetudo nec sit præscripta, nec nota contra-
4 hentibus, cùm possit semper supplere naturalia contractus, dummodo non mutetur substantia negotij, nec ipsæ clausulæ sint contra mentem contrahentium : imò omnes clausulæ apponi solitæ, habentur pro appositis, etiam quod non apponantur : ideóque potest addere in testamentis clausulam, *Iure institutionis*, post verbum, *relinquo*, ad effectum validandi testamentum,quod
5 ea deficiente esset nullum. Sic & clausula Codicillaris censetur apposita ex tacita voluntate Testatoris : & in contractibus clausula Guarãtigiæ,ac omnes renunciationes solitæ, & consuetæ,licèt de illis non fit rogatus in specie : eóque magis, quando ipsi data est facultas conficiendi Instrumentum ad dictamen Sapientis : quod quando verum sit ? & generaliter de materia, *Author*
6 te remittit inter cæteros ad Felin. *in c. ex literis, extr. de fid. Instrument.* & ad Scal. *de consil. sapient. p. vlt. cap.* 1. *& omnib. seq.*

Limitando modò Regulam propositam, Notarius ea tantummodo scribere debet, quæ vidit, & audiuit tempore contractus,nec vllo modo eius formam mutare, aut aliquid scribere contra mentem contrahentium : quinimò in contractu requirente scripturam,nec potest accidentalia supplere, nisi de consensu Partium : sed in dubio præsu- 7
mitur rogatus conficere Instrumentum secundùm formam solitam, nisi in contrarium adsit consuetudo, quæ debet esse vniformis,& Iuri consona: ideóque non potest Iuramentum non appositum, seu non datum, vt clausulam consuetam apponere, nisi adsit consuetudo, quæ plenè hoc casu probanda erit: vsque ad *n.* 85.

EX QVÆST. CLVIII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Instrumentum quando, quomodo, & per quot Testes, & quales reprobetur, & de falso redarguatur.

INSTRVMENTVM an per Testes
reprobetur, per quod, & quo- 1
modo? *Author* dicit esse materiam adeo confusè & intricatè à D. D. pertractatam, vt ex eorum dictis vix certa doctrina elici possit : sed tamen constituit Regulam generalem, & affirmatiuam, quod scilicet Instrumentum per testes reprobetur,instrumentique falsitas probari possit : ideóque, si duo instrumentarij Testes ipsi contradicant, vel asse- 2
rant non fuisse præsentes, tunc omnino instrumentum reprobatum censetur: eóque magis, si testes sint plures quàm duo : quinimò ex dicto vnius redditur suspectum, ità vt eius fides vacillet, & non probet. Si verò contradictores Testes extranei sint plures, quàm vnus, hoc opus, hic labor : & hîc D. D. con- 3
trariantes decertant : *Author*, relatis octo opinionibus, tandem dicit verissimum esse,ad reprobandum Instrumentum, duos extraneos, & non descriptos Testes sufficere, si ità Iudici visum fuerit, & non aliàs : & ità concludit.

Regula tamen non procedit, quando Iure, aut Statuto statutum est, In- 4
strumentum habere pro se Iuris præsumptionem, nec admittere probationem in contrarium, tunc enim Instrumentum Testibus non reprobatur. Aduertendo tamen, quod si Testes volunt reprobare Instrumentum, tamquam falsum, hoc est,quod non sit confectum à Notario, sed abalio, sub falso nomine illius Notarij, talis probatio admittitur.

Et

Et propterea nec Testes admittuntur ad
5 reprobandum inuentarium, quod pro se Iuris præsumptionem habet. Sic & in causa leuis præiudicij, vt putà in possessorio, in quo vnus Testis dicens, se non interfuisse, vel aliter Instrumento contradicens, non facit illud vacillare. In anti-
6 quis verò, magis videtur credendum Instrumento quàm Testibus: & in proposito, tempus antiquum erit triginta annorum. Pariter, & regula non procedit,
7 si Instrumentum contineat verisimilia, vel habeat pro se sententiam; reseruato semper, & generaliter, arbitrio Iudicis quid agendum in materiâ, & circa numerum Testium, & circa omnia alia. Quod si plures, quàm duo reprobent instrumentum, illique directè, & concludenter contradicant, non desunt qui velint satis esse ad Notarium condemnandum de falso: & receptissimum est, sufficere ad inquirendum, siue necessarij testes sint, siue supernumerarij: quinimò & ad torquendum; quamuis multi voluerint, vnicum etiam Testem sufficere ad torquendum. Aliqui voluerunt supernume-
8 rarios testes instrumentum non reprobare: Sed *Author*, residendo in opinione contraria, firmmat vtique reprobare, si non sint singulares, & concludenter deponant. Multóque minùs diceretur reprobatum ab vno supernumerario. Et
9 hinc infertur, quod quando duo ex his scriptis Testibus affirmant se interfuisse, tunc istis magis creditur, quàm centum aliis contradicentibus, quia nunquam reprobari potest, nisi Testes sint omni exceptione maiores, nullàque prorsus minima macula affecti: ideóque fœminæ nunquam censentur idoneæ ad reprobandum instrumentum: itáque qualitas idoneitatis debet articulari, & probari: sed qui dicantur omni exceptione maiores in proposita materia? multùm tribuitur ar-
10 bitrio Iudicis. Sed testes instrumentarij, quamuis patiantur aliquam exceptionem, absque dubio instrumentum reprobant: & ità firmat *Author*: contrarium tenentibus confutatis; præterquam in testamentis, & quando ageretur Criminaliter contra Notarium; quia licèt prædicti Testes censeantur rogati à Testatore, vel à Partibus, non tamen censentur rogati ab ipso Notario, & sic eorum approba-
11 tione quoad Notarium non existente, exceptio militat contra eos: ideóque debent concludenter deponere, & per necesse; & asserentes non fuisse celebratum Instrumentum, vel quid in eo contentum non fuisse dictum, bonam debent reddere rationem, scilicet quod instrumentum non poterat celebrari, nec sic dici provt scriptum est, nisi ipsi vidissent, & audiuissent: ideóque dubitatiuè deponentes, nec reprobant, nec illud suspectum reddunt. Quinimò si tantùm tempus fuerit transactum, quod verisimiliter 12
non possint recordari vtrùm inter fuerint, néc ne, tunc videntur stare pro instrumento, cùm memoria hominis labilis sit: provt si dicerent, *Notarius errauit, quia non audiuimus hæc verba, sed quædam alia, de quibus non recordamur*; tunc ipsi Testes benè dicuntur deponere Negatiuam, & instrumentum reprobare; sic & reprobarent scripturam priuatam, deponendo, non recordari illic interfuisse.
Non reprobarent Instrumentum nec Te- 13
stamentum, deponendo, se fuisse præsentes, & non audiuisse sic dici provt Notarius scripsit; nisi etiam addant, quod si sic dictum fuisset, ipsi audiuissent, nec posset dici quod non audiuissent: sed si omnes testes instrumentarij dicerent simpliciter, non intellexisse oriretur inde suspicio contra Notarium, quæ iunctis coniecturis, esset sufficiens ad torquendum. Non etiam dicuntur reprobare nisi 14
expressè deponant de certo loco, & tempore, in quo fuit rogatum Instrumentum, vel nisi deponant de toto illius tenore, & reddant rationem eorum dicti, etiam non interrogati. Dictorúmque Testium identitas probanda est, scilicet, quod sint illi ipsi qui instrumento interfuerunt, 15
quamuis faciant se vocari eodem nomine, quo vocati fuerunt Testes instrumentarij: sed satis dicitur probata eorum identitas, si de ea appareat ex duabus demonstrationibus, nec agatur de Testibus forensibus, & ignotis, ac in Instrumento descripti reperiantur per nomen, cognomen, patriam, Parochiam, & nomen Parentum: ideóque conclude, quod qui dicit 16
Testes reprobatorios, non fuisse eosdem in Instrumento descriptos, teneatur probare alios reperiri homines eiusdem nominis, cognominis, Parentum & Patriæ: vsque ad *num.* 142.

***

EX QVÆST. CLVIII. Pars II.

ARGVMENTVM.

Testibus coadiuuantibus instrumentum, an, & quando magis credatur, quàm illud reprobantibus.

INSTRVMENTVM, sicut Testibus
17 reprobatur, ità & Testibus coadiuuatur, quando de illius falsitate agatur; magisque creditur coadiuuantibus, quàm reprobantibus: & ideò in conflictu testium, si res sit dubia, pro instrumento iudicandum est; etiam quod Reprobantes, sint plures. Coadiuuantes, pauciores: imò magis creditur duobus coadiuuantibus, & affirmantibus vera fuisse, quæ in instrumento continentur, quàm mille contrarium negantibus. Alij contrà. Et in hac
18 contrarietate, *Author* de more distinguendo dicit, primam opinionem procedere, quando testes deponentes contra instrumentum simpliciter, & generaliter dicerent, contenta non esse vera; secùs si specificè narrarent per extensum totam se-
19 riem facti. Secundò distinguit, quod magis credatur coadiuuantibus ad euirandam falsitatem, non autem ad inducendam probationem instrumenti, nisi essent in numero sufficienti. Tertiò distinguit, nisi Testes deponentes contra instrumentum essent instrumentarij, vel coadiuuantes pauciores, sed maioris fidei.

20 Ad coadiuuandum instrumentum quicunque testes admittuntur, etiam non inscripti: sed ad hoc, vt istis coadiuuantibus magis credatur, debent de directo contradictores impugnare: & in proposito pro comprobatione instrumenti, Notarius habetur tamquam testis. Sed *Author* distin-
21 guendo plures casus, *Primò* dicit, quod quando testes reprobantes sunt plures coadiuuantibus, etiam computato Notario pro instrumento, præferantur. *Secundò*, quando duo reprobant instrumentum, & vnus tantùm coadiuuaret. *Tertiò*, quando Reprobantes sunt in pari numero cum coadiuuantibus. *Quartò*, quando vnus solus testis contradiceret instrumento, & solus Notarius illud coadiuuaret, saluo semper arbitrio Iudicis in præmissis, considerando qualitatem testium, eorum depositiones, naturam negocij, & aliàs circumstantias.

Sic & coadiuuantes præferuntur, quando viua voce deponunt pro instrumento, 22
secùs si sint mortui. Alij contrà. Et *Author* distinguit plures casus, quorum *primus* est, quando vnus testis supernumerarius in instrumento adhibitus, illi contradicit: alij verò decem, vel centum, sint mortui, aut taceant; & tunc magis creditur loquenti. *Secundò*, quando duo Testes non inscripti contradicunt; alij verò in- 23
strumentarij sunt mortui, vel tacent, & tunc præferuntur contradicentes. *Tertiò*, quando duo testes deponunt contra instrumentum, alter verò instrumentarius est mortuus, & tunc isti deponentes reprobant. *Quartò*, quando vnus testis contradicit instrumento, alter deponit pro instrumento, & alter est mortuus, tunc instrumentum non reprobatur: vsque ad *num.* 187.

EX QVÆST. CLVIII. Pars III.

ARGVMENTVM.

Testibus à Notario examinatis, dicentibus non sic deposuisse prout Notarius scripsit, an, & quando magis credatur, quàm ipsi Notario.

REGVLA proponitur, quod si testis
examinatus à Notario, neget se de- 24
posuisse sic, vt scriptum reperitur, magis credatur Notario, quàm Testi, tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus. Regula limitatur, si Iudici contrarium visum fuerit ex qualitate personarum; præsertim, si testis non à Notario, sed ab aliis, Notario scribente, fuerit examinatus, & dicta Examinantium concordent: quod particulariter nota in Statu Ecclesiæ, vbi viget stylus examinandi per Interpretes. Si autem plu- 25
res examinati à Notario, vnanimiter dicant non ita deposuisse vt scriptum est, ipsis magis creditur, quàm Notario, si versemur in Ciuilibus; quoniam in Criminali ad irrogandam pœnam, neutri fides adhi-
betur: quamuis testes sint plures: quinimò 26
multi voluerunt, contradictos testes posse deueniri ad torturam, cùm authoritas Notarij præualeat: vsque ad *n.* 209.

EX

EX QVÆST. CLIX.
Pars I.

ARGVMENTVM.

De producente scripturas, seu testes falsos, quando, & quomodo puniatur.

RELATIS duabus DD. opinionibus, firmat *Author* Regulam, quod licèt Falsum, etiam *vsu* committatur, producendo scienter falsas scripturas: attamen pœna est mitior, & arbitraria, iuxta facti, & personarum qualitatem, & vlteriùs causam amittit. 1 Quod si producatur scriptura abrasa, vel cancellata, producens habetur de falso suspectus, & pecuniariè plectitur: 2 si autem Instrumentum contineat plura capitula, quorum vnum sit falsum, in totum reijcitur.

Sed prorsus euaderet impunis producens, si doceret de Authore, à quo fuit deceptus: quinimò sufficit probare sibi datam fuisse à quocunque, licèt ignoto. 3 Liberatur etiam, si cognita falsitate, ab illius vsu desistat, siue hoc fiat in prima, siue in secunda instantia, dummodò non fiat in fine causæ: vsque ad *n.* 33.

EX QVÆST. CLIX.
Pars II.

ARGVMENTVM.

De producente falsos Articulos, & falsos Testes.

PRODVCENS falsos Articulos, & super illis falsos testes scienter, & dolosè procurans examinari, pœna falsi punitur: 4 quamuis vnicus Articulus, & vnicus testis fuerint producti: & dicitur quis scienter producere, si articulus respiciat factum proprium de recenti, & talis naturæ, vt nullo modo possit ignorantia prætendi: quod si respiciat factum alienum, vel proprium antiquum, in quo obliuio præsumitur, ex capite ignorantiæ datur absolutio. 5 Pœna autem Statuti punientis falsum instrumentum Producentem, non extenditur ad Producentem falsos Testes: vsque ad *n.* 48.

6 Testis verò si dixerit falsum, non super quo principaliter fuit inductus, sed in incidentibus: tunc Producens non tenetur de falso, nec punitur, si declaret nollenti depositione illius Testis.

EX QVÆST. CLIX.
Pars III.

ARGVMENTVM.

De Producente falsa instrumenta ignoranter.

PRODVCENS falsum instrumentum ignoranter, non punitur pœnâ falsi, 7 si doceat à quo habuit: imò ignorantia potest iuramento probari: & semper præsumitur in Rustico: & quando scriptura producta respiciat factum alienum. Et è contrà, si falsitas sit notoria, præsumitur scientia, & Producens pœnâ falsi tenetur, etiam nulla facta declaratione an velit vti, nécne: vsque ad *n.* 59.

EX QVÆST. CLIX.
Pars IV.

ARGVMENTVM.

De interrogatione facienda Producenti falsam scripturam, an illa vti velit pro vera, & legali.

INTERROGATVS, an velit vti instrumento, vel testibus productis pro veris, & legalibus? 8 respondere debet liberè, præcisè, affirmatiuè, vel negatiuè, nulla prorsus conditione adiecta. Quod si respondeat nolle vti, tum instrumentum, quo vti recusat, præsumitur falsum, nec in futurum probat. Interrogatio verò non admittitur, nisi interrogans expresè adijciat causam; quia scilicet intelligat instrumentum, seu examinatos testes de falso redarguere: 9 imò sic interrogans specificè exprimere debet partem scripturæ, quàm prætendit falsam: & similis interrogatio nunquam fieri potest à Iudice ex officio, sed tantùm ad Partis instantiam; necnon debet interrogari Principalis, non Procurator: vsque ad *num.* 80.

***

EX QVÆST. CLX.

§. Detestatio.

ARGVMENTVM.

De Periurij atrocitate, detestatione, & diffinitione.

1 DIFFINITIO Periurij diuersimodè à DD. traditur: *Authori* verò illa placet, quæ aptior videtur, scilicet, quod periurium sit veritatis fraudulenta abnegatio scienter facta ad nequiter decipiendum aliquem, affirmando mendacium cum iuramento. Hoc crimen grauissimum, & atrocissimum est, iure diuino dãnatum; grauius est homicidio, & Adulterio; ideóque Statutum generale de relaxandis carceratis, non extenditur ad de-
2 tentos ex causa periurij. Quandóque leuius & quandóque grauius reputatur: grauius scilicet ratione personæ iurantis, rei, de qua iuratur, & propter quam iuratur, ratione deferentis iuramentum, & ratione causæ: vsque ad *n.* 27.

EX QVÆST. CLX.

§. Pœna.

ARGVMENTVM.

Periurij pœna quæ sit, quando habeat locum, & quando non.

REGVLA ab *Authore* firmatur, periurium puniri extra ordinẽ pœ-
3 na Stellionatus, & arbitraria: nempè quandóque exilij, quandóque capitis, quandóque pœna falsi, vel pro motu Principis, fustigationis, catenæ, berlinæ, seu altera ignominiosiori: & vltra hanc pœnam Criminalem obligatur ad damna, & interesse. Incurritur à promittente de futuro aliquid dare, vel facere, contraueniendo sic iuramento promissorio; maximè si habeat annexum aliud delictum, vt putà, pacis violationem, seù feloniam in Do-
4 minum. Ad hoc tamen vt in iuramento promissorio quis dicatur periurus, non solùm debet probari lapsus temporis, sed etiam quod promittens non fecerit in tempore promisso, & in eodem iuramento contento: nemo de periurio excipere potest, nisi constet de suo interesse: ac soluta pœna cõuentionali, alia pœna nõ exigitur.

5 Extende Regulam ad iuramentum Assertorium, quamuis extra iudiciale: & ad iuramentum decisiuum si de periurio constet per confessionem partis, vel per euidentiam Actorum. Dicitur quoque, & datur periurium in iuramento suppletorio, in iuramento in litem, & calumniæ, dummodo calumnia sit expressa, & de ea con- 6
stet euidenter. Committitur etiam periurium per contrauentionem iuramento, etiam in modica parte substantiali: & quia periurus quicumque dicitur, non iuramento seruato, sic & malè facit, & puniendus est ille, qui hominem prouocat ad iurandum, & scit eum falsum iuraturũ esse, cum via non sit aperienda periuriis.

Impunibile est, si commissum fuerit 7
calore iracundiæ, dummodo proueniat ex iusta causa: extendendo ad illum, qui iurat de credulitate, vel contrauenit iuramento non sponte, sed iussu Iudicis, & Superioris; nisi tale præceptum, & inhibitio fuerit procurata, & affectata, vel præcesserit ex culpa iurantis. Similiter 8
quando Procurator iurat nomine principalis, & in animam constituentis, quia tunc principali contraueniente, ipse Procurator non dicitur periurus; sic & quando iuramento fuit per vim, & metum extortum: sed quia hæc conclusio est controuersa, *Author* nihil firmando te remittit ad Angel. *cons.* 215. ad Roman. *singular.* 449. & 517.

Iuramentum dolo extortum, nullum 9
est, qua propter contraueniens, non dicitur periurus, sed indiget absolutione: sic & iuramentum non etiam firmat contractum, quando statutum præsumit illud dolo, aut metu fuisse extortum: sed quando hoc verum sit? & de materia validitatis huius statuti, *Author* te remittit ferè ad innumeros, & præcipuè ad Mancin. *de Iuram. p.* 4. *effect.* 1. *q.* 4. *n.* 16. & *omnibus seqq.* vbi hæc materia latissimè 10
tractatur. Hæres iurantis, licèt teneatur seruare iuramentum à defuncto præstitum, tamen non seruando, non dicitur periurus, quia iuramentum est quid personale, & iurantis personam non egreditur. Alij contra: & *Author* te remittit ad Tusc. *verbo, Iurament. concl.* 519. *per tot.*

In iuramento promissorio excusat difficultas, seu impedimentum: provt excu- 11
satur ille, qui iurauit aliquid facere impossibile, vel non pendente à sua voluntate: multóque magis necessitas excusat, cùm iuramentum ad illam non trahatur, nec isto casu requiritur absolutio: similiter & paupertas eundem operatur effectum, nisi impotentia seruandi proueneriat ex culpa

iurantis

iurantis,vel tempore iuramẽti fuerit præ-
12 uisa. Extende,si iuramentum fuerit remis-
sum à Parte, cùm id facere possit, nisi sit
delatum à Iudice: & quia in dubio, sem-
per interpretatio facienda est pro exclu-
sione periurij, ideò periurus dici non po-
test contrauenies in casibus à Iure per-
missis, & ex causa legibus inserta: vsque
ad *num.* 146.

EX QVÆST. CLX.
§. Infamia.

ARGVMENTVM.

Periurus an infamis sit, & quando.

AVTHOR distinguendo inter con-
13 trariantes DD. firmat, vt Periurus in
iuramento promissorio appositio cõtractui,
sit infamis, etiam de iure Ciuili, in iura-
mento assertorio sit infamis infamia Ca-
nonica: & quocunque casu, omni dignita-
te priuetur, amittat beneficium omnium
Legum, Canonum, & Statutorum, cauen-
tium credi debere iuramento alicuius. Sed
14 licèt Periurus sit infamis, quia non est talis
ipso iure, requiritur sententia declaratoria
de iure Ciuili, non autem de Canonico;
præterquam in casu *l. si quis maior, C. de
transact.* in quo ipso iure incurritur. Quin-
imò contraueniens iuramento de futuro,
tunc tantùm Periurus dicitur, si fuit inter-
positum ad modum pacti, & præiudicium
inferat Tertio: vsque ad *n.* 175.

EX QVÆST. CLX.
§. Repellitur.

ARGVMENTVM.

*Periurus an & quando repellatur à li-
mine Iudicij.*

PERIVRVS repellitur ab agendo,
15 nisi à Papa absolutionem impetra-
uerit, in causa, qua fuit Periurus, & in ab ea
dependentibus: non tamen repellitur in
aliis causis, nec à defensione suæ Ecclesiæ,
ab accusatione sua, & suorum iniuria. Et
tandem declara tunc repelli, si inconti-
16 nenti doceatur de periurio; secùs, si talis
exceptio requirat altiorem indaginem,
quia tunc non impedit litem inchoari, &
contestari, & Iudex ad vlteriora procedendo, reseruat exceptionem in fine causæ discutiendam: vsque ad *n.* 191.

EX QVÆST. CLX.
§. Clericus.

ARGVMENTVM.

De Pœna Clerici Periuri.

CLERICVS Periurus priuatur be-
neficiis: efficitur inhabilis ad alia 17
obtinenda: collatio ei facta, est nulla ipso
iure; etiam authoritate literarum Apostolicarum: deponitur ab Ordine: & si iniunctam pœnitentiam non egerit, vel pœnitentiam grauem timens, ad Confessionem non peruenerit, excommunicatur. Episcopus verò dignitate Episcopali priuatur: sed Clericus beneficio non 18
priuatur, quando de periurio conuincitur per viam exceptionis, quia tunc non patitur aliam pœnam, sed tantùm à limine Iudicij repellitur, & dummodo constet de periurio per inquisitionem, & fuerit commissum in iuramento iudiciali, vel à causa spirituali proueniat: vsque ad *n.* 215.

EX QVÆST. CLX.
§. Positio.

ARGVMENTVM.

*Periurus an sit, qui positionibus respon-
dendo, falsum iuret.*

PERIVRVS in responsionibus factis
positionibus, licèt videatur punien- 19
dus, attamen hoc tantùm procedit, si iura-
uerit de veritate dicenda, secùs si de cre-
dulitate: sed singulariter, si primò positio-
nibus respondens dicat, *se credere*, & po-
stea iterum cum iuramento respondendo
dicat, *se non credere*, periurium incurrit:
quod si respondeat per verbum, *nescio*, non 20
dicitur Periurus, licèt probetur factum
contrarium: & hinc negans positionem,
partim veram, & partim falsam, de
periurio non punitur, nisi de
eo constet euidenter:
vsque ad *nu-
mer.* 224.

***

EX QVÆST. CLX.

§. Iudæus.

ARGVMENTVM.

Iudæus an ligetur iuramento, & committat periurium.

21 IVDÆVS tenetur seruare iuramentum, & non seruando efficitur Periurus, sicut Christianus: quinimò iurans secundùm legem suam, ligatur in contractu inito cum alio Iudæo: sic & quando iurauerit more suo, & secundùm legem Mosaïcam, in contractu inito cum Christiano: eóque modo si iurauerit more Christiano: & cogitur ad seruandum iuramentum, & non seruando, Periurus efficitur: vsque ad *n.* 234.

EX QVÆST. CLX.

§. Nullus.

ARGVMENTVM.

Iuramentum an firmet contractum nullum? & an ex eius inobseruantia incurratur Periurium.

22 IVRAMENTVM ex Regula generali firmat contractum nullum, quamuis à Statuto prohibitum, & reprobatum, seu inualidum ex defectu solemnitatum: sed si Statutum solemnitates requirens loquatur in personam, tunc contractus non firmatur: in materia vide Mancin. *de iuram. p.* 4. *effect.* 1. *q.* 4. *n.* 7. Sic nec
23 firmatur, si Statutum requirat solemnitates probatorias, aut contractus esset ipso iure nullus: nec desunt dicentes, ab huiusmodi iuramento absolutionem non requiri. Be-
24 nè verum est, quod Iuramentum semper est seruandum ex causa Religionis. Regula procedit, quando lex annullat actum odio vnius contrahentis tantùm; secùs si apponatur in contractu, seu actu à lege annullato in odium vtriusque contrahentis: vsque ad *numerum* 260:

***

EX QVÆST. CLX.

§. Dolus.

ARGVMENTVM.

Periurium non committitur sine dolo, quando hoc verum? & de materia.

PERIVRIVM non committitur 25
sine dolo, & ideo ex culpa lata commissum, non punitur; sed ignorantia facti proprij non excusat, licèt Iuramentum non trahatur ad incognita: & ideò præstitum ex falsa causa non sit validum, nec seruandum; præcipuè si vna cum falsa 26
causa deficiat consensus iurantis. Sed licèt iuramenta recipiant interpretationem ab intentione iurantis, attamen si intentio fuit decipiendi deferentem, interpretandum est secundùm intentionem non iurantis, sed deferentis; verbáque iuramenti interpretantur in odium iurantis; quamuis omnis causa, etiam iniusta, & quælibet fatua credulitas excusat à periurio: ideóque credens dicere verum, si asserat fal- 27
sum, Periurus non dicatur, sed dolum abesse à iurante est probandum: & Mulier, Minor, Rusticus, similésque personæ excusantur ex ignorantia Iuris, vbi agitur de damno vitando: vsque ad *n.* 263.

EX QVÆST. CLX.

§. Reus.

ARGVMENTVM.

Reus inquisitus, & de crimine interrogatus, negando medio iuramento delictum, quod verè commisit, an dicatur Periurus.

APeriurio, & illius pœna Reus crimi- 28
naliter examinatus, delictum negans, nullo pacto de periurio punitur, quamuis de mendacio per eius propriam confessionem constaret. Carceratus verò indebitè, & iniustè, si vt relaxetur, iuret se ad carceres rediturum; non redeundo, de periurio non punitur; licèt in foro conscientiæ peccet: & possit Iudex Reo, quem 29
examinat, pœnam pecuniariam comminari, nisi veritatem dixerit, & illam exigere;

gere; sed hoc in practica non seruatur: quod si periurium Rei sit geminatum, de Iure extra ordinem posset puniri: quamuis *Author* fateatur, nunquam hoc in Praxi vidisse seruatum: vsque ad *num.* 315.

EX QVÆST. CLX.

§. Illicitum.

ARGVMENTVM.

De illicito, turpi, & temerario Iuramento.

IVRAMENTVM turpe, illicitum, seu temerarium, seruandum non
30 est, cum non debeat esse vinculum iniquitatis: turpe verò, & illicitum pluribus modis dicitur, qui sub his duobus carminibus explicantur.

Sit iusiurandum licitum, discerne notando,
Quis, cui, quid, per quod, ad quid, cur, quomodo, quando.

31 Et sic Iuramentum erit illicitum ratione personæ iurantis; Personæ eius, cui iuratur; Rei, super qua iuratur; eius, per quod iuratur; Rei, in qua iuratur, Causæ, super qua iuratur; Modi, cum quo iuratur; Temporis, in quo iuratur.

Iuramenta verò illicita sunt, quando iuretur committi homicidium; doctorem nunquam patrocinari; Scholarem non doctorari; Adulterium committi; cum inimico pacem non fieri; indigenti non succurri; si iugales iurent non cohabitare; si quis iuret Religionem non intrare; vel societatem alicuius delicti, seu coniurationem, & conspirationem
32 facere. Item quando iuramentum excludit opus pietatis, sapit monopolium; si iuret quis Superiori non parere; ad Clericatum non promoueri; testimonium non ferre; de Consilio non esse; non fideiubere pro proximo in periculo constituto; post votum castitatis ducere vxorem; adimplere omnia, quæ ab aliquo petentur; occidere Patrem; stuprare Virginem; exhæredare filium; non alloqui Parentes; non stare in Monasterio; non accusare Vxorem adulteram; soluere Simoniam, non reducere laudem ad arbitrium boni Viri.

Iuramentum temerarium est illud quod fuit præstitum calore iracundiæ; 33
& sine necessitate: quod licèt non faciat periurium, bene facit peccatum. Iuramentum indiscretum, quando quis negligenter, otiosè, vanè, & dolosè iurauerit contra bonos mores naturales, vel à Iure Canonico reprobatos: ideóque iurans facere, quod à Iure Canonico improbatum est, iuramentum seruare non tenetur. Sic & quando fuit præstitum contra vtilitatem publicam, vel Ecclesiasticam libertatem. Iura- 34
mentum præstitum super contractu simulato, illum non firmat, nec est necessaria absolutio: & ideo hæres iurantis non prohibetur opponere exceptionem simulationis; præsertim, si de ea constet euidenter ex facie instrumenti. Iuramentum quoque præstitum super 35
contractu vsurario, non est obligatorium: & licèt iurans soluere vsuras, iuramentum seruare teneatur, potest tamen, antequam dies solutionis aduenial, implorare Officium Iudicis, vt cogat Vsurarium per Censuras Ecclesiasticas ad relaxandum iuramentum. Vide latè de materia tractantem Seraphin. *de priuileg. iuram. priuileg.* 25. *n.* 5. *priuileg.* 59 *n.* 15. *& priuileg.* 61. *n.* 14.

Iuramentum illicitum seruandum non est, si ex illius implemento quæ- 36
ratur iniustitia, propriæ salutis dispendium, seu Testis præiudicium: ideóque iuramentum generale non trahitur ad illicita: & illicitum semper dicitur, nisi tres comites habeat, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam. Sed etiam iura- 37
mentum illicitum seruari debet, si seruari possit sine interitu salutis æternæ: & quandocunque requiritur Absolutio, nisi immineat necessitas, propter quam non possit Superior adiri: vsque ad *num.* 373.

EX QVÆST. CLX.

§. Forma.

ARGVMENTVM.

Iuramentum sub qua forma præstari debeat.

IVRAMENTO non contrauenitur, nisi sit præstitum in debita 38
forma, & seruatis solemnitatibus requisitis.

Prima, consueta forma est, iurare 39

per sancta Dei Euangelia, vel per Deum, cum ista paria sint.

Secunda, quæ pariter practicatur, iu-
40 rare corporaliter tactis scripturis: hodiéque sufficit præstare iuramentum super qualibet scriptura etiam non sacra; ac solus tactus satis est absque vlla expressione verborum.

Tertia, & quidem illicita, quando
41 iuratur per Dæmonem: sed licèt iste mortiferè peccet, iuramentum seruare tenetur; nisi quod iurat prohibitum sit: idem est, si iuret per falsos Deos, & improbam Religionem.

Quarta, & etiam illicita, qua quis
42 iurat per sanguinem, per capillos, per viscera, aut alia membra verecunda Christi: tunc enim, tamquam Blasphemus punitur: si iuret per humanitatem Dei, vltimo supplicio afficiendus est, si in talibus execrandis iuramentis assuetus fuerit: si verò bis, aut ter sic blasphemauerit, mitiùs punitur.

Quinta reprobata, quando quis iurat
43 per aliquam creaturam: sed de Iure Canonica, quamuis peccet, quia iuramentum est illicitum, illud tamen seruare tenetur.

Sexta, quando quis iurat per caput
44 suum: quod si iuret per animam suam, tenetur, ac si iuraret per Deum, ideóque obligatur, præcipuè vbi non requiritur tactus scripturarum; vt in terminis *Leg si quis maior, C. de transact.*

Septima, quando quis iurat per ali-
45 quem Sanctum: sed tunc, si iuramento contraueniatur, non incurritur pœna: *præcit. L. si quis maior.*

Octaua, si quis simpliciter iuret, non
46 exprimendo per quem; tunc enim licèt videatur iurasse per Deum, contraueniendo tamen non efficitur Periurus: sed si quid asserat, aut promittat *in verbo veritatis*, cum tunc iuramentum dicatur per Deum, qui est ipsa Veritas, & Periurus efficitur, & pœnas periurij incurrit.

Nona, inter Nobiles consueta, quan-
47 do quis aliquid asserit, & promittit per fidem suam: & tunc contraueniendo dicitur Periurus, secundùm Aliquos: sed verius est contrarium, cùm non par sit iurare per Deum, & promittere per fidem: etiamsi quis iurasset per tactus manuum, vel *à fede da Gentil.huomo, da Caualiero:* sed si contra veniat, licèt non sit Periurus, efficitur infamis, & extra ordinem punitur: imò in casu *citatæ L. si quis maior*, & in aliis, in quibus non requiritur tactus scripturarum, fidei datæ contraueniens, tamquam Periurus punitur.

Decima, quando quis iurat per Prin-
cipem, vel eius salutem: & tunc iura- 48
mento contraueniens, Periurus est, ac si per Deum intrasset; imò iurans per salutem, nomen, aut venerationem Principis, si dolosè peierauerit, pœna fustigationis plectitur: quod procedit in iurante per Principem Monarcham; secus si per inferiorem: vsque ad *num. fin.* 412.

EX QVÆST. CLXI.

ARGVMENTVM.

Prohibens aliquem testari, vel ad testandum compellens, an, quando, & qua pœna puniatur.

FALSI pœnam incurrit ille, qui prohibet aliquem testari, quia 1
habetur tamquam veritatis occultator: idem est si compellat; & vtroque casu arbitrio Iudicis extra ordinem punitur. Quod si audeat cum armis id efficere, tamquam de delicto publico Reus, pœna *L. Iuliæ de vi pub.* punitur. Quod si, cessante dolo, violentia, & verbis minatoriis; extra ordinem plectitur, & insuper, ex simili prohibitione, seù compulsione obligatur damnum passo ad interesse, actione de dolo & condictione ex lege de Iure *Digestorum*: & ad duplum Iure *Authenticorum*. Hæreditas 2
verò delata alicui ex testamento, vel ab intestato, præcedente prohibitione testandi, seu compulsione ad testandum, aufertur ab hærede, tamquam ab indigno, & fisco applicatur, vel ab intestato successuro.

Quod autem quis fuerit compulsus, 3
vel testari prohibitus, probatur coniecturis: & metu dicitur factum testamentum, si fuerint Testatori minæ illatæ: eò magis percussiones, & verberationes: extendendo ad eum, qui rumore, clamore, & vociferatione fieri impediuit, vel Notarium accedere prohibuit: sed hoc casu probandum est, Testes, aut Notarium fuisse vocatos à Testatore, vel de illius ordine, & impeditos ingredi: magísque generaliter prohiberi dicitur, quando necessaria denegantur ad condendum testamen-

tum,

tum, vel comminatur quis denegationem seruitiorum in infirmitate, seu quid simile, quomodocunque fiat impedimentum, vel compulsio, dummodo fiat dolosè; sed quia dolus non præsumitur, illum alleganti incumbit onus probandi.

Legata relicta in testamento per vim,
4 & metum facto, non debentur, si vis, & metus interuenerit ex parte Legatarij. Et quis probatur impulsus ad testandum ex clausulis insolitis in testamento appositis ad excludendum metum, & prohibitionem: statúrque assertioni Testatoris, dicentis, condidisse propter metum sibi illatum. Et Regula procedit etiam quando id operatur per importunas preces, & suasiones; præcipuè factas Testatori, mortis cogitatione turbato; sed hoc casu hæreditas non applicatur fisco.

In proposito singulariter aduerte,
5 non satis esse probare, Testatorem voluisse testari, nisi etiam probetur id efficere voluisse tempore quo fuit prohibitus, ac impedimentum fuisse tale, vt nullo modo, vel nisi saltèm cum difficultate reparari poterat: in dubio enim, nec metus, nec vis, nec prohibitio præsumitur; quare Testes eam probantes, debent esse idonei, nullámque pati exceptionem.

Regula nec etiam procedit, quando
6 secluſa vi, secluſóque metu, etiam quis ad sui vtilitatem Testatorem hortetur: licèt in Muliere, & in Minoribus, arbitrio Iudicis id consideretur: & semper metus excluditur, quando in testamento interuenerint Consanguinei, vel Confidentes ipsius Testatoris: vel etiam quando post metum illatum tamdiu vixisset Testator, vt si reuocare voluisset,
7 ad libitum potuisset. Similiter non procedit Regula in eo qui procurat blanditiis testamentum fieri, vel prohiberi; quinimò nec est prohibitum hoc procurare cum lacrymis misericordiam petendo, vel adulando; nisi tamen blanditiis fuerit admixtus dolus,

vel prouenirent à Potente, in quo preces æquiparantur minis: vsque ad *numerum* 98.

***

EX QVÆST. CLXII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Simulatio quid, & quotuplex sit? in quo differat à fraude, & falsitate? quando contractus simulatus, sit nullus; quandóve de simulatione agi possit.

SIMVLATIONEM falsitati proximam dicit *Author*; ideóque de 1
illa tractaturus primo loco præmittit, falsum instrumentum propriè loquendo differre ab instrumento simulato: ac pariter differentiam esse inter simulationem, & fraudem. Simulatus, & non fraudulentus contractus est ille, qui fingitur; neque Partes ex illo aliquam obligationem, & actionem oriri volunt, id est, neque valet eo modo quo fingitur, neque alio quo contrahitur; quando scilicet Partes licèt in superficie faciant contractum, illum tamen nihil valere volunt, nihílque agere intendunt. Simulatus, & fraudulentus, qui dolo celebratur, vt Tertius decipiatur, vel vnus ex contrahentibus. Simu- 2
latio verò est quando aliquid fingitur fieri, illud tamen quod fieri fingitur, reuera non fit: tres habet species. *Prima*, est quando in veritate agitur, quod contractus celebratus sit simulatus. *Secunda*, quando celebratur, modico tempore duraturus. *Tertia*, quando Partes conueniunt in mente, vt contractus nihil valeat; sed vera simulatio reputatur, quando sic agitur, vt nihil fiat.

Ex præmissis Regula firmatur, quod contractus simulatus non sit verè contractus, sed ipso Iure nullus est; qua propter opus non est ad illum rescindendum, actionibus reuocatoriis. De 3
hac simulatione excipi potest Ciuiliter, & Criminaliter; quia eius pœna videtur esse falsi: & in Statu Ecclesiæ, ex *Constit. March.* faciens simulatum contractum dolo, & vi damnum alterius, si liberè simulationem fateatur, nulla pœna puniatur; si negauerit, viginti quinque florenorum auri pœna mulctatur. Actio simulationis est perpetua; 4
non tollitur per renunciationem generalem; quinimo, nec per expressam, &

iuramento

iuramento firmatam. Ex contractu simulato non transfertur dominium, nec possessio; & si fuerit factus in fraudem vsurarum, fructus computantur in sortem.

Exceptio similis potest opponi quan-
5 docunque, quamuis sit prohibitum à Statuto instrumento contradicere. Et cessio simulata præsumitur, si fuerit facta partim titulo venditionis, & partim titulo donationis, nisi creditor ce-
6 dat ius indubitatum. Minor, Mulier, & Rusticus excusantur à præsumpta simulatione contractus vsurarij, & pignoratitij: nec auditur particeps simulationis, nisi quando simpliciter de fraude opponat. Non est punibilis simulatio, quando de ambarum Partim consensu, celebratur à Notario vnum instrumentum sub nomine alterius: & contractus facti ex interuallo non arguunt simulationem præcedentis contractus ante an-
7 num celebrati. Talis exceptio opponi non potest aduersùs obligationem Cameralem, vel quando adsit Decretum Iudicis, cum causa interpositum, & secluso præiudicio Tertij: vsque ad *n.* 66.

EX QVÆST. CLXII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Iuramentum an, & quando firmet contractum simulatum, adeò vt possit iurans simulationem allegare.

8 IVRAMENTVM simpliciter præstitum de Instrumẽto non cõtraueniendo, non tollit exceptionẽ simulationis, si de ea appareat verè, vel præsumptiuè. Et licèt Alij contra: extende hoc procedere tàm de Iure Ciuili, quàm de Canonico, siuè iuramentum sit interpositum ex interuallo, siue referatur ad contractum; vt putà, si dicat, *iuro seruare contractum*; siuè referatur ad verba contractus tacitè, vt putà, si dicat, *iuro*
9 *seruare*. Author tamen hanc distinctionem credit potius verbalem, & vtroque casu contractum esse seruandum, præcipuè nisi appareat contrahentes voluisse firmare contractum simulatum per interpositionem iuramenti; isto enim casu, licèt non in totum iuramentum obliget, ligat in foro iudiciali, vbi non consideratur quid tacitè fuerit actum, præcipuè in iuramento promis- 10
sorio, & quando simulatio non fuit detecta, & probata; quinimò nec posset peti Absolutio post litem motam: vsque ad *n.* 94.

EX QVÆST. CLXII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

De probatione Simulationis.

SIMVLATIO, licèt in dubio non præsumatur, attamen probatur 11
coniecturis, quando allegatur per Tertium, & facta sit in fraudem vsurarum; quamuis dictæ coniecturæ non sint plenè, & perfectè probatæ. Quales verò esse debeant? Iudicis arbitrio remittitur: duæ tantùm sufficiunt, præsertim si causa cognoscenda sit, sola facti veritate inspecta: & ex prædictis defertur iuramentum in supplementum: probatur per literas, & per instrumenta; per publicam vocem, & famam; & per confessionem Partis extraiudicialem; sed Testes debent reddere rationem dicti, 12
deponere de tempore tractatæ simulationis; vnus, tantùm non satis est, quia duo ad minus requiruntur idonei, & excellentes, quia licèt simulatio probetur coniecturis, debet tamen in specie esse probata, cùm non omnis simulatio illicita sit: ideóque causa simulationis debet induci, & quidem existens tempore celebrati contractus; cùm inde superueniens non sufficiat. Ac tandem 13
prædictæ coniecturæ debent esse vrgentes, & perspicuæ, non autem leues; & tolluntur per alias coniecturas simulationem excludentes? vsque ad *n.* 145.

EX QVÆST. CLXII.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

De pluribus coniecturis simulationem arguentibus.

PRIMA, & præcipua simulationis coniectura sumitur ex iis, quæ in 14
continenti

continenti fiunt, ex vicinitate, & celeritate actuum, ac ex breuitate temporis; licèt similis præsumptio non habeat locum in materia pœnali.

Secunda, à præcedenti non dissimilis, 15 quæ sumitur ex multiplicatione Instrumentorum, seu plurium Actuum separatorum.

Tertia, quando reperiuntur plures 16 insolitæ clausulæ in fauorem eius, qui est solitus fœnerari: sed quia clausula non præsumitur insolita, ideo est probanda, adeò vt tendat ad maiorem occultationem simulationis.

Quarta, quæ sumitur ex insolitis 17 cautelis; quia licèt abundans cautela non noceat, nec inducat malam fidem; attamen hoc non procedit in iis, in quibus aliàs est præsumptio fraudis.

Quinta, ex pactis insolitis, quæ suf- 18 ficiunt ad arguendum contractum simulatum, si sint plura, etiamsi à Iure non reprobentur.

Sexta, quando in Instrumento repe- 19 ritur clausula, *verè, & non in fraudem*: sed quia hodie de stylo in omnibus contractibus solet apponi, de se sola non sufficiet; imò erit tantæ potentiæ, vt transferat onus probandi in allegantem simulationem.

Septima, ex qualitate personæ, vt 20 quia sit solita similia facere: eò magis, si contractus celebretur interueniente Proxeneta: & in proposito assuetus dicitur, si bis, aut ter similia fecisset.

Octaua, ex paupertate venditoris: 21 sed hæc sola non sufficit ad detegendum vsuras, & simulationes.

Nona, quando pacta in instrumento 22 apposita claudicant, sunt inæqualia, & omnia respiciunt fauorem creditoris: sed hoc procedit, iuncta consuetudine fœnerandi; quia aliàs in persona non suspecta, pactorum claudicatio potest considerari sine simulatione.

Decima, quando contrahens rem 23 emptam non curauit videre, nec de ea informationem accipere: sed tamen de se sola non sufficit.

Vndecima, ex interpositione perso- 24 næ, cùm vnus principalis modus fraudandi sit ille, qui fit de persona ad personam. Alij contra: & multò magis excluditur, quando quis emerit pro persona nominanda.

Duodecima, si contractus celebretur 25 inter personas suspectas, & prohibitas; sed plenè non probat.

Decima-tertia, ex confessione de recepto, non constito de reali numera- 26 tione, quando simus in materia suspecta, & iungantur adminicula.

Decima-quarta, quando venditio durauit modico tempore; & postea res 27 vendita, fuit redempta; si à principio conuentum fuerit vt vendita res intra modicum tempus restitueretur: secùs nulla conuentione præcedente: sed de se sola non satis est.

Decima-quinta, ex modicitate pretij, scilicet vltra dimidiam: sed verius 28 est, hoc esse remissum arbitrio Iudicis.

Decima-sexta, ex venditione fundi melioris, vel domus, ad quam venditor 29 haberet magnam affectionem; sed vnica, & sola nihil valet.

Decima-septima, ex actu clam, & occultè celebrato: sed tamen non ha- 30 bet locum, nisi probetur causa simulationis: & pariter cessat, si probetur causa, ex qua instrumentum fuit clam, & non palam celebratum.

Decima-octaua, ex qualitate loci, vbi celebratur contractus, & generali- 31 ter inducitur à verisimili: præcipuè si contractus sequatur incontinenti post contractum.

Decima-nona, quando probatur, non solùm fuisse tractatum inter Partes, 32 sed etiam quod fuerit firmatum de faciendo contractum simulatum, & ex presse conuentum, & protestatum, quod si contigerit fieri contractus venditionis, adhuc censeatur pignoris.

Vigesima, ex præfatione Instrumenti, & ex præcedentibus, & subsequen- 33 tibus: vsque ad *n.*227.

EX QVÆST. CLXII.

Pars V.

ARGVMENTVM.

Simulatio contractus an, & quando præsumatur ex eo, quod Venditor, seu Donans remaneat in possessione rei venditæ, & donatæ.

REGVLARITER præsumitur si- 34 mulatio ex eo, quod Vendens, Donans, seu Cedens remaneat in possessione rei venditæ, cessæ, & donatæ: vel quando is post traditam possessionem soluerit dacium, seu collectam de eadem re, & iungantur adminicula,

minicula, & probetur causa simulationis: præcipuè quando fuit mutata causa possessionis, vel venditor in contractu
34 reseruauit sibi vsumfructum, interueniente pretio proprietatis, & venditor steterit in possessione per longum tempus, scilicet per triennium; præsertim si pro parte Emptoris non fuerint pacta adimpleta: vsque ad *n. fin.* 254.

EX QVÆST. CLXIII

ARGVMENTVM.

Contractus Emptionis, & Venditionis, quando præsumatur pignoratitius, & fœneratitius, ex pacto de retrouendendo, modicitate pretij, consuetudine fœnerandi, aliisque coniecturis, & quibus.

PRÆMITTIT *Author* pro faci-
1 liori cognitione propositæ Quæstionis, quod contractus dicatur simulatus, illicitus, & nullus, quando Contrahentes sub nomine Venditionis, Pignus contrahant: idquè probatur præsumptionibus, & coniecturis; sed vnica non sufficit: quia tres ad minùs esse debent; & hinc transeundo ad specificas contractus fœneratitij præsumptiones, & coniecturas.

Prima, adducitur, modicitas pretij,
2 quæ tamen cessat propter pactum de retrouendendo, nisi sit vltra dimidiam: sed qualis ista modicitas esse debeat? remittitur arbitrio Iudicis.

Secunda, quando in tali contractu
3 emptionis & venditionis adest pactum de retrouendendo; nisi hoc pactum sit perpetuum: sed contrarium est verius: quidquid Varij varia dicant; quia hoc pactum est licitum, etiam concurrente modicitate pretij, & quamuis sit collatum in voluntatem emptoris.

Tertia, contra eum, qui est solitus
4 fœnerari: sed talis consuetudo probari debet, nec satis sunt trini actus; quia, vltra necesse est, specificè eam probare; scilicet in specie contractus, de quo agitur, & hoc per testes omni exceptione maiores.

Quarta, quæ dicitur potiùs concluden-
5 dens probatio, oritur ex pacto de retrouendendo, iuncta modicitate pretij, & consuetudine fœnerandi.

Quinta, ex pacto de retrouendendo cum modicitate prætij. Alij contra, & 6
Author firmat, hoc totum esse remissum arbitrio Iudicis, qui, iunctis aliis coniecturis, simulatum contractum existimabit iuxta facti, & personarum qualitatem.

Sexta, ex modicitate pretij, & con- 7
suetudine fœnerandi. Alij contra: *Author* verò resoluit vt in præcedenti.

Septima, quando in instrumento em- 8
ptionis & venditionis nullum est appositum pactum de retrouendendo, sed ex interuallo adiunctum fuit. Alij contra: & *Author*, arbitrio Iudicis remittit.

Octaua, ex pacto de retrouendendo 9
infra breue tempus, vt putà infra mensem; seu ex pacto, quod lapso tempore ad redimendum, teneatur emptor, vltra exbursatum pretium aliquid plus dare eidem venditori; & propter iunctum cum pacto de retrouendendo satis probat contractum simulatum.

Nona, ex pacto de retrouendendo 10
non nisi post certum tempus, iunctis aliis coniecturis.

Decima, ex pacto de retrouendendo 11
collato in voluntatem emptoris, iuncta modicitate pretij: quod quidem pactum potest concipi pluribus modis, de quibus *Author* te remittit ad Bero. *C. ad nostram, n.* 38 *& seq de empt. & vendit.*

Vndecima, ex pacto de retrouen- 12
dendo pro maiori pretio, quàm quo res empta fuit: per Regulam, quod quidquid accedit forti, vsura est.

Duodecima, ex pacto quod fructus 13
computentur in sortem in casu retrouenditionis; sic enim est de natura pignoris, vt fructus computentur in sortem; ideóque arguit simulationem.

Decima-tertia, ex pacto, quod quan- 14
docunque emptor recipiat pecuniam perceptam, ipse teneatur restituere rem venditam.

Decima-quarta, ex pacto de retro- 15
uendendo, & modicitate pretij in datione in solutum, quando debitum, pro quo datur in solutum, habet radicem infectam; nec erat licitum, sed vsurarium.

Decima-quinta, quando venditor 16
intra certum tempus obligatur ad redimendum: sed licèt hoc pactum aliquam fraudis præsumptionem inducat, non tamen probat fœnerationem.

Decima-sexta, quando ab emptione 17
& venditione receditur per restitutionem instrumentorum: ac pariter ex

præ

præcedenti tractatu de pignorando, & non de vendendo: de qua materia *Author* loquitur remissiuè ad Cœpol. *de simulat.contr.* & ad Menoch. *de præsumpt. lib.3.præsumpt.122.*

18 Decima-septima, quando probatur Mutuum præcedens; sed hæc sola non sufficit: & cessat, quando probatur,quod venditor per antea quærebat vendere: & quocunque casu, de se sola non satis est.

19 Decima octaua, quando res partim venditur, & partim donatur, iuncto pacto de retrouendendo, vel pacto, quod venditor teneatur soluere expensas, & gabellas de proprio; vel sit apposita aliqua pœna.

20 Decima-nona, quando venditor venditam rem sibi retinet titulo locationis pro modico pretio: præcipuè si locatio fuerit perpetua, & facta incontinenti. Et tandem dicas, quod licèt supradictæ coniecturæ sigillatim & de per se non sufficiant, cumulatè probant: exclusis semper 21 à præsumptione Simulationis, & Vsuræ, Muliere, Minore, Rustico, & milite,qui semper excusantur:vsque ad *n.*130.

EX QVÆST. CLXIV.

§. Principium.

ARGVMENTVM.

Donatio à Delinquente facta, quando in fraudem Fisci facta dicatur, & à fisco reuocetur.

DONATIO facta ante delictum
1 valet, nec potest reuocari à Fisco sub prætextu fraudis: imò quocunque tempore sit facta ante sententiam: extendendo ad donationem siue inter viuos, siue causa mortis factam vxori: & ad venditionem quocunque titulo: licèt donatio causa mortis facta extraneo, per subsequentem confiscationem irritetur: provt inualidatur donatio facta post accusationem porrectam: & venditio post sententiam, non quidem in contumaciam emanatam, sed legitimis indiciis fundatam.
2 Similiter non valet si fiat post delictum ab eo, qui in crimine deprehensus est, vel de sui natura habetur tamquam notorium: & eo magis, si agatur de crimine, pro quo ipso iure imponatur confiscatio; seu dominium, & administratio tollatur delinquenti: tunc enim irritatur etiam donatio facta vxori: vsque ad *n.*46.

EX QVÆST. CLXIV.

§. In fraudem.

ARGVMENTVM.

Donatio, seu alienatio facta à delinquente in fraudem Fisci, quando valeat, nécne.

DONATIO facta ante crimen ab
3 eo, qui delinquere cogitabat, reuocatur à Fisco, tamquam in eius fraudem facta: eóque modo reuocatur venditio: adeò vt nec iuramentum tollat præsumptionem fraudis: ea quippe ratione, quia nihil operatur in præiudicium Tertij: ideóque restituenda sunt bona vendita, & donata, vnà cum fructibus. Quod si fuerit celebrata bona fide, & si-
4 mus in casu, quo bona Delinquentis confiscantur ipso iure, tunc tantùm restituuntur fructus pendentes, & percepti post litis contestationem. Nec est necesse ad reuocationem donationis, quod Donatarius sit particeps fraudis; sed quia in dubio fraus non præsumitur, probari debet specialiter, vt donans de præsenti cogitauerit delinquere. Et licèt Fiscus possit reuocare alienationem, seu donationem in eius fraudem factam, id tamen non permittitur Delinquenti. Et omni casu, Fiscus probare debet causam fraudis præcedentem delictum. Quo verò 5 ad venditionem omnium bonorum, reuocari non potest, nisi emptor fuerit particeps fraudis commissæ: & hæc arguitur, si venditio fuerit facta clam, seu paulò post delictum, pro quo ipso iure bona venirent confiscanda. Quando verò Fiscus reuocat ex quacunque causa, si 6 pretium rei venditæ reperiatur in bonis Delinquentis, tunc restituere tenetur emptori: nec desunt tenentes, quòd siue pretium reperiatur in bonis Delinquentis, siue non, indistinctè Fiscus obligetur illud restituere, quamuis emptor fuerit particeps fraudis. *Author* nihil 7 firmat; & istam conclusionem dubiam,

& indeciſam relinquit conſiderandam: vſque ad *num.* 95.

EX QVÆST. CLXIV.

§. Neceſſaria.

ARGVMENTVM.

Donatio, ſeu alienatio facta in fraudem Fiſci, quando ſuſtineatur, ſi facta fuerit ex cauſa neceſſaria.

8 DONATIO facta ex cauſa neceſſaria per Delinquentem, ſiue antea, ſiue poſt delictum, ſuſtinetur, nec reuocari poteſt; cùm neceſſitas alienandi tollat præſumptionem fraudis: quapropter alienatio, ſeu donatio, vel datio in ſolutum pro ſatisfaciendis creditoribus, nullo modo irritatur. Sanè intelligas, niſi res data in ſolutum eſſet maioris pretij & valoris quàm debitum; quia reuocaretur in exceſſu: provt reuocaretur, ſi de debito legitimè non con-
9 ſtaret. E contrà, debitor Delinquentis, eidem exiſtenti fugitiuo, & contumaci ſoluere non poteſt: extendendo ad Reum læſæ-Maieſtatis, cui à die delicti interdicitur bonorum adminiſtratio: ſed quia cuicunque Delinquenti non condemnato alimenta debentur, ideò coloni partiarij & Afficuarij, ipſi ſoluendo, liberantur.
10 Alienatio ibidem fraudem non arguit, ſi fuerit facta ex cauſa dotis filiarum, vel alimentorum; vel Aduocatis, pro ſcripturis & defenſione ipſius Delinquentis; vel pro redemptione Captiuorum. Quinimò valet etiam quando bona ipſo iure confiſcantur, quamuis fiat poſt accuſationem, & conteſtationem litis: & ad-
11 huc dicitur neceſſaria, ſi fiat alicui propter bene merita, dummodò de iſtis conſtet aliundè, quàm per confeſſionem donantis: vſque ad *num.* 122.

***

EX QVÆST. CLXIV.

§. Omnium bonorum.

ARGVMENTVM.

Donatio omnium bonorum, an, & quando præſumatur facta in fraudem Fiſci.

EX Regula generali, donatio omnium bonorum, vel maioris eo- 12
rum partis, ſeu meliorum bonorum, in fraudem Fiſci celebrata præſumitur; licèt non ſit facta ſimul, & ſemel, ſed interpolatis vicibus, & pluribus perſonis minutatim, vnico, & eodem tempore. Sic & donatio omnium bonorum fa- 13
cta, præcedente capitali inimicitia, quamuis delictum ſequatur ex interuallo. Quod dicimus de donatione, intelligimus etiam de alienatione, & ven- 14
ditione, præſertim niſi facta fuerit iuſto pretio, non publicè, & palam, ſed clam, & occultè: vſque ad *n.* 144.

EX QVÆST. CLXIV.

§. Coniuncta perſona.

ARGVMENTVM.

Donatio facta coniunctæ perſonæ, quando præſumatur in fraudem Fiſci.

REGVLARITER donatio facta 15
coniunctæ perſonæ, etiam rei particularis, nedum omnium bonorum, non præſumitur facta in fraudem Fiſci; præſertim ſi præcedat aliqua cauſa, quamuis leuis. Inter iſtos Coniunctos comprehenduntur Amici maxima amicitia coniuncti cum Donante: ſed coniunctio requiritur talis, vt ab
eodem Coniuncto de facili donata ſub 16
confidentia, repetere valeat; ideóque requiritur etiam amicitia non vulgaris, vltra ſanguinis coniunctionem: vſque ad *num.* 146.

***

EX QVÆST. CLXIV.

§. Coniectura.

ARGVMENTVM.

Ex quibus coniecturis donatio seu alienatio in fraudem Fisci facta probetur.

17 NON sine controuersia à DD. disputatur, vtrùm fraus,de qua agitur, probetur coniecturis ? sed *Author* relatis, & reiectis contrarium tenentibus, Regulam firmat ex præsumptionibus deduci: quarum

Prima erit, si Donans, tempore donationis etiam ante delictum factæ, habuerit capitalem inimicitiam cum eo, quem occidit,vel occidi fecit.

18

Secunda,& quidem non modica,quando huiusmodi Delinquens remansit in possessione rei donatæ.

19

Tertia,quando donatio fuit facta clam, & occultè ; quia ex actu occultè gesto desumitur fraus : ex Regula , *Qui malè facit, odit lucem.*

20

Quarta, quando Donans, incontinenti post factam donationem , vel ex modico interuallo , delictum commisit ; nisi fuerit secutum ex inopinata rixa : quia necesse est,vt præcedat causa delicti committendi : nec dicitur commissum incontinenti , nisi statim , & immediatè sequatur : sed quia contra hanc conclusionem quamplurimi insurgunt , *Author* , rationibus ponderatis , tandem concludit , hoc totum remissum Iudicis arbitrio. 21

Quinta , quæ potiùs probatio erit, quando donatio est expressè facta sub conditione , si contigerit bona confiscari : licèt quisque possit donare , cum prohibitione , quod donata confiscari non valeant. 22

Sexta , quando quis ante donationem dixerit aliqua verba , ex quibus verisimiliter deduci posset eum cogitasse de futuro delicto ; vt putà,*prouidebo rebus meis, & deinde faciam sentire noua:* seu quid simile. 23

Septima , quando in venditione non est numeratum , sed confessatum pretium. E contrà verò cessat suspicio, quando pretium fuerit numeratum ex parte emptoris: quamuis ex parte venditoris , ex sola venditione omnium bonorum fraus arguatur : vsque ad *numerum finalem* 168. 24

LAVS DEO.

SVCCVS

EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII

PARS DECIMA-OCTAVA.

E X

LIBRO QVINTO, TITVLO DECIMO-OCTAVO, QVÆST. CLXV. DE FVRTIS.

ARGVMENTVM.

Furti deteſtatio, diffinitio, & etymologia: quo Iure ſit prohibitum? an ſit priuatum delictum? quæ actio detur? & vtrùm in eodem Iudicio Criminaliter, & Ciuiliter agi poßit? quandóve Iudici permittatur concedere mandatum de perquirendo in domo alicuius.

DETESTATVR Author grauitatem huius criminis: 1
dicit, & probat, illud Iure naturali, ac Diuino prohibitum: exinde affert diffinitionem, quod ſcilicet ſit contrectatio rei alienæ mobilis, & corporalis, fraudulosa, lucri faciendi cauſa; vel ipſius rei, vel etiam vſus eius, & poſſeſſionis, inuito Domino facta. De iure Canonico 2
ſumitur pro omni vſurpatione: dicitur à *furuo*, id eſt *nigro*, eo quod clam, & obſcurè fiat: vel à *ferendo*, id eſt *auferendo*: ſeu à *fraude*: vel à Græco nomine foras.

Hoc crimen non publicum, ſed priuatum eſt; ideóque non poteſt in eo ex officio procedi; niſi furtum eſſet magnum, ratione publicæ vtilitatis; & quando pœna pecuniaria veniret Fiſco applicanda. Sed hodie ſublata eſt difficultas, quia Iudex de conſuetudine in quocunque delicto 3
ex officio procedit. Abigeatus etiam crimen, eſt priuatum, ſed latrocinium eſt publicum delictum.

Furtum quandóque eſt leue, quandóque graue; ideóque in pœnis infligendis attenditur qualitas commiſſi furti, temporis, & perſonarum: fur enim diurnus mitiùs punitur, quàm nocturnus: aggrauatur ratione loci; ex magnitudine rei furatæ; & qualitate furantis, & furtum paſſi; ex qualitate ſpecierum, ſcilicet Sacrilegij, Peculatus, Abigeatus, & ſimilium. Aggrauatur etiam, ſi commit- 4
tatur cum fractura, vel cum ſcalis.

Contra furem agi poteſt Ciuiliter, & Criminaliter ad publicam vindictam, & per viam accuſationis. Ciuiliter datur duplex actio, ſcilicet furtiua, qua quis ad reſtitutionem rei furatæ compellitur; & furti, quæ tantùm eſt pœnalis ad duplum, & ad quadruplum. Datur inſuper rei vindicatio, quæ competit contra tertium poſſeſſorem rei furatæ. Datur condictio triticaria, & conceditur illi, qui 5
in re furata non habebat dominium, ſed tantùm poſſeſſionem, actióque furtiua conceditur aduersùs perſonam furis, eiúſque hæredes. Actio furti datur omnibus 6
illis, quorum intereſt. Iudex poteſt in eodem iudicio Criminaliter furem ad

pœnam

pœnam condemnare, & Ciuiliter ad restitutionem rei furatæ : imò nec debet furem condemnatum, & carceratum relaxare, nisi rem furatam restituat. Potest 7 Dominus in domo alterius perquirere res sibi furatas, non quidem propria authoritate, sed præcedentibus indiciis, & suspicione, ac præstito priùs iuramento de calumnia, implorando officium Iudicis, & familiam impetrando ad perquirendam rem furatam; ipséque Iudex absque 8 indiciis & præsumptionibus perquisitionem concedere non debet, cùm ex ea aliquid infamiæ oriatur, & plerumque scandalis causa detur : vsque ad *numerum finalem* 31.

EX QVÆST. CLXVI.

ARGVMENTVM.

De diuersis furum generibus.

FVR est nomen generis, sub quo plu- 1 res furum species comprehenduntur, fur enim alter est simplex, alter famosus & publicus, alter manifestus, alter occultus. Item diuiduntur, & nominantur Grassatores, Derubatores, Piratæ, Prædones, Raptores, Abigei, Balnearij, Sacularij, Directarij, Plagiarij, Effractores, Expilatores, Circulatores. Fur simplex ille est, qui occultè, & sine armis furatur, siue de nocte clam subripiat, siue de die. Fur publicus, seu famosus, qui tria, vel plura furta commisit, & contra quem fama laborat. Latrones simplices sunt, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis in domibus, vel in itineribus, aut in mari; differunt enim fur, & Latro, quia Latro per vim furatur, fur verò sine vi : Latro 2 publicus, seu famosus de magis communi DD. opinione est ille, qui pluries in strata publica grassatus est cum armis. Manifestus fur dicitur ille, qui in furto deprehenditur; sed hodie differentia inter furtum manifestum, & non manifestum, non datur : quia pœna Dupli, vel Quadrupli, mutata est in corporalem. Grassatores sunt illi, qui prædæ causa in itineribus commorantur : & isti sunt proximi Latronibus, ideóque Statutum super furto disponens, habet etiam locum in Rubbaria, quæ dicitur improbissimum furtum. Piratæ sunt marini præ- 3 dones, & Latronibus æquiparantur. Prædo, & Prædator est ille, qui accipit absque voluntate Domini etiam rem sibi debitam. Rapinæ crimen committitur cùm aliquis aperta violentia alienas res furatur : differt à Raptu, quia Rapina datur in rebus, Raptus in muliere : & fit quandóque cum armis, quandóque etiam sine armis : in tantùm quod omnis Raptor est fur, sed non è contrà : sunt ergo Raptores aliis furibus improbiores, sed tamen non dicuntur fures manifesti, licèt publicè furentur : differunt Fures, & Raptores, quia fur clam subripit, Raptor publicè rapit. Abigei dicuntur, qui pe- 4 cora ex pascuis, vel ex armentis boues subtrahunt: Abigeus dicitur ille etiam, qui consuetudinem habet insidiandi animalibus alienis, ad effectum illa furandi : vel meliùs dicitur ille, qui totum gregem, vel maiorem partem, cum panno rubeo, vel cum ferro furantur. Balnearij sunt, qui furantur in balneis vestes eorum, qui denudati balnea vtuntur. Sacularij, qui vetitas artes in sacculis exercent, partem 5 subducunt, & partem subtrahunt; seu illi, qui sacculas, id est crumenas cautè subducunt, & inopinantibus auferunt, seu quidam Præstigiatores, qui saccis, hoc est soculis quasdam artes exercent, aliud agentes, & aliud agere simulantes. Directarij sunt, qui in alienis cœnaculis se 6 dirigunt animo furandi. Plagiarij, qui liberum hominem, vel seruum alienum scienter vendunt, vinctum retinent, cælant, vel suadent ei, vt à Domino fugiat: hoc Plagij crimen est publicum, & competit accusatio cuilibet de populo. Expilatores Alij dicunt, illos esse, qui cum fractura furantur : Alij verò, qui viatoribus noctu pallia, & vestes diripiunt, quos Vulgus appellat *Cappeggiatori* : Alij dicunt 7 esse illos, qui ne pilum relinquunt in corpore Expoliatorum : Alij verò, illos esse, qui non omnia, sed quædam adeò callidè, & paulatim subtrahunt, vt vix dominus animaduertat, veluti si pili ex corpore, aut ex barba detrahantur : Alij tandem, & veriùs & communiùs, illos esse, qui alienam hæreditatem expilant. Effractores, qui cum fractura furantur. Circulatores, 8 qui dum ipsi serpentibus homines perterrefaciunt, illorum bona subripiunt : vsque ad *numer.* 51.

***

EX QVÆST. CLXVII. Pars I.

ARGVMENTVM.

De Pœna furum.

PŒNA furibus imponenda omnibus à Iure statuta est sed cùm non 1
omnes fures sint æquè odiosi, & improbi reputati, non æquè omnes puniuntur. Sed omissis pœnis de Iure antiquo impositis, & ab *Authore* relatis, hodie fur punitur extra ordinem, & arbitrio Iudicis de iure Ciuili: de iure Canonico Clericus pro furto non manifesto, & de quo non sit publicè diffamatus, leuem patitur pœnam per modum pœnitentiæ; si verò furtum sit manifestum, adeò vt de eo sit publicè diffamatus, non solùm impeditur promouendus, sed etiam iam promotus deponitur, & in Monasterium detruditur ad agendam pœnitentiam: si verò 2
sit incorrigibilis, excommunicatur; contumacia crescente anathematizatur; & perseuerans, Curiæ sæculari traditur. Insuper furibus datur pœna infamiæ, quæ nunquam tolli potest: quæ etiam pœna consequitur eum, penès quem res furata reperta fuit. Pœna furis manifesti, licèt 3
antiquitùs fuerit Quadrupli, Parti applicandi, non manifesti, Dupli; quia tamen dicta pœna recessit ab Aula, de generali consuetudine agitur tantùm ad restitutionem rei, & ad pœnam corporalem.

Pœna Raptoris est duplex, scilicet Ciuilis, & Criminalis. Ciuilis, Quadrupli intra annum, & post annum simpli. Criminalis, exilij, cum publicatione tertiæ partis bonorum, & infamia. Alij dicunt, quod si rapina fuerit commissa cum ar- 4
mis, sit pœna mortis: *Author* verò, pro vnica rapina hanc conclusionem non admittit: sed si quis coadunatis hominibus armatis, fracto ostio & per vim domum alicuius ingressus, in ea furtum commiserit, punitur pœna mortis; quæ imponitur & Grassatoribus, si sæpiùs grassati fuerint; sin minùs, ad Triremes condemnantur. Pœna Prædonis est eadem, quæ Raptoris. 5
Expilatores, Effractores, arbitrio Iudicis puniuntur, provt Sacculatij, & Directarij, ac Balnearij. Piratæ verò furcâ suspenduntur: vsque ad *n.* 32.

EX QVÆST. CLXVII. Pars II.

ARGVMENTVM.

De Pœna furis simplicis.

PŒNAM simplicis furis, omnes conueniunt, non esse pœnam mor- 6
tis, nec mutilationis membri: & licèt pro primo furto imponi posse pœnam fustigationis multi dicant; veritas tamen est, vt mitiùs puniatur, nisi locus, in quo furtum fuit commissum, id suadeat. Quinimò dicit *Author*, quòd nec pro vnico furto facto in Ecclesia imponatur pœna mortis, quando præsertim res non sacra fuerit furata.

EX QVÆST. CLXVII. Pars III.

ARGVMENTVM.

De Pœna secundi; vel magni furti.

PŒNA pro secundo furto, non est mortis; licèt grauior sit imponen- 7
da, quàm pro primo: ideóque pro isto secundo iuncta aliqua aggrauanti qualitate, vel imponitur pœna fustigationis, vel exilij, aut Triremium ad tempus. Pœnam autem magni furti, vna fuit opinio, esse mortis: & hoc magis procederet, quãdo in aliquo loco vigore Statuti Iudici esset datum liberum arbitrium punjendi malefactores. Alij contradicentes nolunt 8
etiam pro magno furto, pœnam vltimi supplicij imponi posse; & hanc contrariam opinionem, vti æquiorem defendit *Author*: vsque ad *n.* 48.

EX QVÆST. CLXVII. Pars IV.

ARGVMENTVM.

De pœna furis famosi, & quando tria furta commissa dicantur, vt fur morti dari possit.

PŒNA famosi furis pro tribus fur- 9
tis, quamuis non commissa fuerint

in

in territorio, in quo pro vltimo furto Reus est carceratus, erit vltimi supplicij, hoc est furcarum; quando tamen hoc disponatur à Statuto; & dummodò pro furtis commissis extra Territorium sit diffamatus in loco, vbi est carceratus, & de omnibus processatus. Extendendo, quamuis furta fuerint præscripta, & quamuis de eis non fuerit condemnatus: sed tamen debent esse distincta tempore, quia non dicerentur plura, si vnico tempore diuersas res furatus esset. 10 Non etiam dicuntur plura, sed vnum, quando quis ex vno loco, tempore tamen diuerso, sed continuato & successiuo, vnam rem, siue plures furatur, quia continuatio temporis vnitatem importat. Idem dicendum, quando quis in vnica nocte; continuato tamen tempore, plura furta committit, quamuis in diuersis locis, & diuersa- 11 rum rerum. Quod in tantùm verum est, vt si quis confiteatur commisisse plura furta diuersis temporibus, non per hoc dicitur constare quod plura furta commiserit ad effectum imponendi pœnam mortis, quia talis confessio intelligenda est, vt commiserit plura diuersis temporibus continuatis. 12 Et licèt multi dicant, quòd quando Reus expressè confitetur interuallum temporis non continuatum, tunc cùm verba confessionis sint clara, ideò non possit intelligi de tempore continuato; veriùs tamen credit *Author*, huiusmodi confessionem, etiam cum expressione, & specificatione temporis, & personarum, nullo pacto inducere probationem, ad hoc, vt faciat numerum; nisi aliter de confessatis furtis appareat. 13 Regula iterum non procedit, nec pœna mortis imponitur pro tribus paruis furtis. Et licèt Alij contrà: secundùm *Authorem* à priori non recedas in pra- 14 ctica. Sic nec faciunt numerum præcedentia furta, pro quibus Reus fuit absolutus: vsque ad *num.* 84.

EX QVÆST. CLXVII.

Pars V.

ARGVMENTVM.

De pœna simplicis, & famosi Latronis, & de pluribus specialibus contra fures insignes, & famosos Latrones.

15 LAtrones simplices, qui scilicet non sæpiùs grassati fuerint, (licèt Alij contrà) pro vnico Latrocinio seu grassatione mori non debent, sed ad Triremes condemnari modò in perpetuum, modò ad tempus, nisi interuenerint vulnera, aut homicidium. Latrones verò publici, & famosi, qui in strata publica, seu alibi sæpiùs grassati fuerint, in loco grassationis furca suspenduntur. Latrones verò, & fures insignes, publici, & famosi, sunt adeò 16 legibus exosi, vt contra eos plura ab eisdem legibus tradita sint specialia: & inter cætera, ad fauorem eorum non recipiuntur Aduocati: qualibet die feriata possunt suspendi: à quolibet impunè occidi: à condemnatione eorum non datur appellatio: ab Ecclesia extrahuntur: Iudex negligens, & eos dissimulans castigare, infamis est: vbique accusantur, capiuntur, & puniuntur. 17 Sed ad hoc vt hæc specialia habeant locum, debent esse aut confessi, aut conuicti, aut in flagranti crimine reperti: vsque ad *num.* 95.

EX QVÆST. CLXVII.

Pars VI.

ARGVMENTVM.

De Pœna Plagiarij.

QVæ sit pœna Plagiarij? DD. diuersimodè loquuntur de iure Ciuili: sed ea opinio vera est, vt sit arbitraria: sic etiam est de iure Canonico, iuncta Excommunicatione de iure autem diuino, est pœna mortis. Et vltra pœnam Criminalem, datur insuper Patri, aut Domino serui rapti, contra furem, & Raptorem, actio Dupli, aut Quadrupli: tenetur ad interesse operarum, & commodi, quod dicti Pater, & Dominus percepturi essent ex seruo, & filio. Sed hæc actio non datur fratri, aut matri, qui non habent filium in potestate. Pœna autem Plagiarij non 19 habet locum in eo, qui seruum, vel filium suum subripit. Si autem Plagiarius est consuetus tale delictum committere, pœna mortis punitur: si verò non consuetus, damnatur in metallum: & hoc non habet difficultatem. Non tamen hæc pœna habet locum, quando quis subripit seruum alienum, credens esse suum. Sic nec punitur eadem

pœna, qui ſeruum ſuum ſubripit, cre
20 dens eſſe alienum. Et tandem nec ille, qui ſeruum alienum ſubripit, credens hoc facere de Domini voluntate: vſque ad *num.* 105.

EX QVÆST. CLXVII.

Pars VII.

ARGVMENTVM.

De pœna Abigeorum.

ABIGEI regulariter, quia antiquitùs in opus publicum condemnabantur, hodie ad Triremes mittuntur, ſeu alia extraordinaria pœna mulctantur. De Iure Canonico nulla eſt determinata pœna, ſed maior quàm pro furto imponitur, quia maius eſt delictum. De Iure autem diuino, qui ouem, vel bouem furatus fuerit, occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno, quatuor oues pro vna reddere iubetur: ſi Iumentum furatus ſit, ad duplum tenetur, 2. *Reg.* 12. *verſic.* 6. Extende vt puniantur pœna mortis in loco, vbi frequentius hoc maleficium committere ſolent. Amplia in eo, qui non furatur animalia, ſed cum panno rubeo illa fugans, efficit vt alter ſubripiat. Extendendo etiam ad illos, qui Abigeatus crimen cum gladio committunt, aut ferro. Et pœna Abigeatus locum habet, non ſolùm quando quis abigit animalia ex agro, vel ſylua ſeu grege, ſed etiam ſi à ſtabulo, vel domo: ac pariter eadem pœna extenditur ad Abigeorum Receptatorem.

21

22

23

Sed ad hoc vt pœna locum habeat; & Abigeatus committatur, neceſſe eſt, vt à fure non vnicum animal abducatur, ſed ex ouibus, capris, & ſimilibus, decem; ex Porcis quinque vel quatuor: niſi quis animalia furetur, quaſi artem exercens furandi: committitur ex furto vnius equi, vel Bouis. Honeſtiores verò perſonæ pro crimine Abigeatus mitiùs puniuntur vilioribus.

24

Non autem Abigeatus comittitur ab iis, qui oues, vel equos errantes in ſolitudine abducunt; vſque ad *n.* 123.

***

EX QVÆST. CLXVIII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Furtum quot modis committi dicatur? & in quibus caſibus furti pœna locum habeat.

REGVLARITER vbicunque quis rem alienam inuito Domino contrectat, furtum committit, & furti pœna tenetur. Extende ad ſubripientem equum vel aſinum alterius, & in ſuas equas inſiliendas conducentem; quia tenetur pœna furti, ſi animo furandi ſubripuerit. Committitur etiam furtum, aquam ex flumine publico ſine Principis licentia ad ſuos priuatos fundos conducendo: à negante depoſitum: & ab occultante illud intercipiendi cauſa. Quinimo depoſitum negans, eſt infamis, & ad Duplum tenetur, quando res fuit penes ipſum depoſita ex cauſa neceſſitatis, vt putà incendij, vel naufragij.

1

2

Creditur, qui poſt ſibi ſolutam pecuniam à Debitore pignus nõ reddit, tamquam fur puniri debet, ſi retineat animo celandi: eóque modo non reſtituẽs rem alienam, contendendo illam eſſe ſuam: & Colonus, finita locatione, percipiens ac retinens fructus ex fundo olim ſibi locato. Sepulchrorum Violatores, fures pariter cenſentur. Sed in materia, *Author* te temittit ad Menoch. *de arbit. caſ.* 387.

3

Vendens rem alienam, ſi fuerit emptori tradita, pretio recepto, furtum cõmittit, & fiſcus pretium aufert à venditore, tamquam ab indigno. Sic & pariter vendens rem alteri obligatam. Extendendo ad eum, qui ex fundo alieno arbores, ſeu fructus ſubripit: nec non ad Retinentem & non Reſtituentem res ruſticas, putà, ſarculum, ligonem, falcem, & ſimilia. Eóque magis ſubripiens, ſcripturas, ſeu inſtrumenta, quæ debitum continebant; quamuis fuerint cancellata. Reſque furatæ reſtitutio non tollit actionẽ furti, niſi à principio animo reſtituendi fuerit ablata, vel ſtatim, commiſſo furto, celeri pœnitentia motus reſtituatur. *Zingari* verò, cæteríque Vagabundi, etiam ex furtis minimis, ſcilicet gallinarum, vel aliorum id genus puniuntur: quinimo etiam quando minantur aliquid furari: vſque ad *num.* 32.

4

5

6

EX

EX QVÆST. CLXVIII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

De Præstantibus auxilium, & consilium in crimine furti; Mandantibus illud fieri; Receptantibus res furatas, aut fures: & an quis furem indicare teneatur.

REGVLA prima erit, quod consilium furto præbens, teneatur eadem pœna, qua ipsa fur. Extendendo ad consulentem, seu persuadentem filiis, aut seruis furta domestica, illisque opem, & auxilium præstantem, dummodo furtum sit secutum. 6 7

Regula secunda proponitur, quæ præcipuè auxilium respicit, quod scilicet auxilium furi ad furandum præstans, eadem pœna teneatur: eóque magis si participet rebus furatis, vel commoditatem ad furandum præstiterit. 8

Regula tertia erit, quod Receptantes res furatas, seù furem scienter Occultantes pari pœna puniantur: à qua tamen excipiuntur Pater, filius, frater, vxor, similes Coniuncti simul cohabitantes: nec pariter tenentur, qui furem, & furtum Scientes, non indicant: vsque ad *n.* 62. 9

EX QVÆST. CLXVIII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Furtum an & quando committatur ab eo, qui rem in via inuentam accepit, & non restituit.

REGVLA proponitur, quod inueniens quid alienum in terra iacens, lucri faciendi causa sustulerit, siuè sciat Dominum, siuè ignoret; furti obstringatur, & in foro conscientiæ retinere non permittatur: quod si accipiat animo restituendi quandocunque apparuerit Dominus, furtum non committit: præsertim, si id publicare fa- 10 11

ciat. Sic nec furtum committit subripiens rem, quæ habebatur pro derelicta, vel de hac erat dubium: vsque ad *num* 70.

EX QVÆST. CLXVIII.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

De furto commisso in incendio, & naufragio.

SAPIENS bona proiecta in mare tempore tempestatis: vel accipiens rem proiectam ex causa necessitatis, putà incendij, furtum committit, publicatione bonorum mulctatur, datur actio ciuilis ad restitutionem rerum intra annum Quadrupli, post annum vero simpli. Licèt Regula non procedat, quando quid fuit proiectum in mare pro derelicto: & ex causa incendij non procedit edictum Prætoris, de quo in *L.* 1. §. 1. *de incend. ruin. & naufrag.* nisi furtum fiat in domo, vbi erat incendium; vel committatur extra, durante incendio. Et in proposito singulariter nota, quod liceat impunè subripere rem ex incendio illicò perituram: nempe materiam ædificij, iuxta *L.* 3. *vbi Gloss. ff. ad leg. Iul. de vi publ.* vsque ad *n.* 90. 12 13

EX QVÆST. CLXVIII.

Pars V.

ARGVMENTVM.

De pœna, & materia amotionis Terminorum.

REGVLA firmatur ab *Authore*, post relatas D. D. opiniones, pœnam amotionis Terminorum arbitrariam esse, & extraordinariam: præcipuè si Termini amoueantur causa occupandi Vicini agrum, vel iam cœpto iudicio finium regundorum, ad occultanda iura aduersarij Vicini, & ad intricandam litem, amouentur. Sic & quando animo nocendi Vicino, seu inter extraneos lites introducendas subripiuntur: qui omnes, vltra pœnam arbitra- 14 15

riam

riam. Criminalem, pecuniaria quinqua-
ginta aureorum pro quolibet Termino
alio loto iuxta *legem Agrariam*, de qua in
l. fin. ff. de termin. amot. puniuntur, non
solùm si sint principales amouentes, sed
etiam mandatarij ; tàm de Iure Ciuili,
16 quàm de Canonico; secundùm quod in
carceres detruduntur ad agendum pœ-
nitentiam; & Auxiliantes per duos men-
ses excommunicantur.

Termini ad propositum, intelliguntur quæuis signa agros ad inuicem diuidentia, siuè sint lapides, siuè pali, arbores, aut similia. Hoc crimen est publicum, cuilibet de populo competit accusatio. Contra tales Amouentes datur iuramentum in litem, ad damna, & interesse, & ad probationem loci, vbi Termini existebant.

Sed si non dolosè amoueantur, vt
17 puta, ex casu arando, vel quid simile faciendo, pœna non habet locum, cùm ad hoc requiratur occupatio : vsque ad *num.* 117.

EX QVÆST. CLXVIII. Pars VI.

ARGVMENTVM.

De Nuncio, famulo, seu alio, qui pecuniam alteri deferendam sibi traditam, in vsum proprium conuertit.

REGVLA inconcussa proponitur,
18 pecuniam alteri deferendam accipiens, & non deferens, sed in proprium vsum conuertens, vt furtum committat, furtíque actione teneatur. Extendendo ad Recipientem pecuniam ab aliquo debitore, vt illam creditori deferat in extinctionem debiti, quas pecunias, vti suas, eidem creditori in ex-
19 tinctionem proprij debiti soluat. Intellige Regulam, dummodo pecunia non fuerit data numerata, sed in sacculo sigillato, tunc enim non transfertur dominium; quia si fuerit data numerata, non quidem actione furti, sed tantùm Ciuili ad restitutionem quis obligatur: vsque ad *numer.* 130.

EX QVÆST. CLXIX. Pars I.

ARGVMENTVM.

De Commodatario, Depositario Sarcinatore, Custode, aliisvè similibus personis vtentibus re sibi dictis titulis tradita, ad alium vsum, quàm ad destinatum.

VTENS re aliena ad alium vsum,
1 quàm ad destinatum, furtum committit, siue creditor vtatur pignore, siue Depositarius re deposita. Extendendo ad Commodatarium, vtentem re commodata ad alium vsum : & illum, qui equum sibi commodatum vsque ad aliquem destinatum locum, longiùs duxerit, & equitauerit. Fullo au-
2 tem, seu sarcinator, qui aliena vestimenta polienda, vel sarcienda accepit, si in alium vsum contrectauerit, vt puta, vendendo, pignorando, aut etiam pro sui seruitio illis vtendo, furtum commit-
3 tit ; cùm generaliter omnis Custos alicuius rei, illam in vsum proprium conuertens, dicatur rumpere fidem, & furtum committere : vsque ad *n.* 12.

EX QVÆST. CLXIX. Pars II.

ARGVMENTVM.

De Commodatario, Depositario, Custode, aliáve persona; an, & quando teneantur de furto rei, ipsis in depositum, commodatum, seu custodiam datæ.

FVRTVM non reputatur casus
4 fortuitus, nunquam enim committitur sine culpa eius, qui rei furatæ custodiam habet; ideóque Depositarius tenetur pro re, quæ sibi fuit furto sublata, dummodo dolus, seu lata culpa intercedat: quinimò etiamsi leuis, aut leuissima, si depositum habebat cum titulo lucratiuo. Idem est in Commodatario, quia incontractu facto gratia Recipientis tantùm, Recipiens tenetur etiam de leuissima culpa ; nisi furtum fuerit commissum taliter, vt de eo, neque diligentissimus vir potuisset suspicari:

cari: præcipuè in contractu Precarij, in quo quis non tenetur, nisi de dolo, &
5 lata culpa. Sed si quis recœperit custodiam cum titulo mercedis, etiam de leuissima culpa tenetur; nisi fuerit sibi sublata per rapinam, seu cum fractura; quia tunc reputatur casus fortuitus, nec obligatur; præsertim si tales res fuerint positæ in loco solito, quamuis in se susceperint rei periculum, &
6 casum fortuitum; non enim hic extenditur ad insolitum, & inauditum; nisi res fuerit data æstimata: vsque ad *num.* 144.

EX QVÆST. CLXX.

Pars I.

ARGVMENTVM.

De asserto Procuratore, an, & quando furtum committat exigendo à debitore sub falso Procuratoris nomine.

FALSVS Procurator, exigens
1 pecunias alienas, furti tenetur: & falsus dicitur, nedum qui nunquam fuit Procurator, sed etiam qui reuocatus fuerit, aut tempus expleuerit. Extendendo ad se facientem falsum Nuncium, vel hæredem creditoris, cùm non sit: sed non reputantur manifesti fures, nec de furto obligantur, si exi-
2 gant animo deferendi ad Creditorem, quia tenentur tantùm condictione ob causam, præcipuè si eis debitor soluit, vt eum faciant liberari à creditore: vsque ad *n.* 35.

EX QVÆST. CLXX.

Pars II.

ARGVMENTVM.

De Asserto Creditore, an, & quando committat furtum exigendo prætensum creditum à debitore, qui verè debitor non erat.

CREDITOR falsus exigens in-
3 debitum à bona fide soluente, & se debitorem credente, furtum facit, & furti actione tenetur, non solùm si exigat à debitore principali, sed etiam à procuratore debitoris soluente sua propria pecunia, dummodo induxerit debitorem ad credendum se talem. Licèt Alij dicant teneri, quamuis dolo non induxerit: vsque ad *n.* 44.

EX QVÆST. CLXXI.

Pars I.

ARGVMENTVM.

De crimine Peculatus, & Residui, illiúsque pœna: quando habeat locum, & quando non.

OMNES illi, qui pecunias publicas intercipiunt, *L. Iulia, Peculatus* 1
tenentur: & quia pœna deportationis recessit ab Aula, hoc ideo intrat pœna arbitraria, & quadrupli, contra intercipientem bona fisco incorporata: si nondum sint incorporata, dupli. De Iure autem Canonico, Ecclesiastici sibi appropriantes, seu alienantes bona Ecclesiæ, excommunicãtur donec restituant: quod si efficere nequeant, deponuntur.

Pecunia autem publica, pro cuius subtractione intrat pœna Peculatus, est 2
ea, quæ ad fiscum, seu Ciuitatem Romanam spectat, vel ad Dominum non recognoscentem Superiorem: & eò magis hoc crimen committitur à Iudicibus, & aliis publicis Administratoribus, qui Peculatum committunt. Extendendo ad eum, qui ferrum, vel quid simile inserit auro, argento, vel æri publico: & ad eum, qui Deo donatum & consecratum acceperit, interceperit, seu abstulerit: nec non ad fingentem se fisci creditorem, ab eiusdem fisci debitore priuato pecuniam exigentem. Ad illum, 4
qui in Tabulis æreis, aureis, vel aliis publicis aliquid finxit, immutauit, vel interseuit: & ad eum, qui in publicis literis pecuniã scripsit in minori quantitate, quam Respublica vendidit, vel locauit. Ad Perforantes muros Ciuitatis ad opẽ, & auxilium præstantes, & procurantes, vt publica pecunia intercipiatur, & subripiatur, ad suscipientes tales pecunias subreptas; ideóque tenentur publici cusores monetarum Ciuitatis, sibi retinentes partem monetæ, vel ex Cæsarianis 5
metallis, aurũ, argentum vè furantur, seu qui prædã ab hostibus captã subripiunt:

eóque

eóque modo *Pagatores* militum, qui soluere debentes stipendia Militibus in bona pecunia, soluunt in pecunia minoris ligæ,
6 vel minoris ponderis. Extende ad Thesaurarium, qui aurum in Ærario reconditum sine Principis licentia, aut mutuo dat, aut in proprios vsus conuertit. Et generaliter pecuniæ publicæ Exactores, qui mutuo dantes, seu in alios vsus pecuniam impendentes, vnà cum mutuo recipientibus, Quadrupli pœna puniuntur: quòd si non mutuent pecuniam incorporatam, solùm pœna Dupli imponitur.

7 Pœna verò de Residuis, est minor, quàm Peculatus: sed si quis sæpiùs illud crimen commiserit, vltimo supplicio damnari potest. Et in Peculatu irremissibiliter semper pœna mortis habet locum.

Huiusmodi crimen quinquennio præscribitur, non committitur ab eo, qui à
8 debitore Ærarij pecuniam recipiens, vt ad Thesaurarium deferat, sibi retinet, nec ab illo, qui pecuniam traijciendam suscepit. Quæ autem dicuntur de crimine Peculatus, locum non habent in crimine de Residuis, in quo tantùm pœna arbitraria habet locum: & committitur principali-
9 ter duobus modis. *Primò* scilicet, quando publica pecunia in aliquem vsum destinata, ad illum vsum non expenditur, sed penès se retinetur. *Secundò*, ab Administratore publicarum pecuniarum, qui eas sub-
10 ripuerit, retinuerit, & in vsum proprium conuerterit, finita administratione: quia si ea durante interceperit, tenetur de Peculatu: vsque ad *num.* 65.

EX QVÆST. CLXXII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Sacrilegium quid, & quotuplex sit? quando, & quot modis committatur? de eius pœna, & quando habeat locum.

1 SACRILEGII crimen grauissimum, & atrox, nil aliud est, quàm violatio, vsurpatio, vel læsio rei sacræ huius criminis species sunt quatuor, *prima*, circa Personam, percutiendo Clericum. *Secunda*, per Coïtum, cognoscendo Monialem. *Tertia*, circa sacrum, vt putà violando Ecclesiam, seu Cœmeterium. *Quarta*, per furtum rei sacræ, aut in loco sacro: & Sacrilegium propriè committitur, quando rapitur sacrum de sacro; quia si rapiatur sacrum de non sacro, vel non sactum de sacro, propriè Sacrilegium non dicitur de iure Ciuili, licèt de iure Canonico omnibus dictis casibus committatur. Pœna eius quidquid varij varia dicant, arbitraria est, sed extendibilis vsque ad mortem de iure Canonico infligitur Excommunicatio, & vltrà incurritur infamia: est crimen publicum, ac mixti fori: & cùm Sacrilegium sit furtum, ideò Statutum de furto loquens, in odium Sacrilegij, locum habet. Sacrilegus est, qui rem sacram 4 vendit: & Sacrilegium committitur, furando rem profanam de Ecclesia, quamuis non adhuc consecrata.

EX QVÆST. CLXXII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Locus sacer qui dicatur, & quæ etiam dicantur res sacræ ad effectum, vt Sacrilegij pœna locum habeat.

LOCVS sacer intelligitur, qui ritè Deo per Pontificem consecratus 1 fuit, non priuatim authoritate alicuius Sacerdotis. Ecclesia dicitur locus publicè consecratus: Oratoria, & Confraternitates, cùm dicantur priuatim consecratæ, ideò aliquid in eis subreptum, propriè non inducit Sacrilegium. Cœmeteria gaudent priuilegiis Ecclesiæ, ideóque in eis Sacri- 2 legium committitur, extendendo ad Monasterium, & Hospitale: sed in hoc vide Decian. *tract. crim. lib.* 6 *c.* 24. *&* *c.* 30.

Intrantes in ædiculas Sacerdotum per vim, & inde aliquid abripientes, puniuntur 3 plusquàm fures, sed mitiùs Sacrilegis: & pro prædictis ædiculis, intelligas illas domunculas propè Ecclesiã, quæ Canonicæ vocantur. Res sacræ dicuntur quę sunt cõsecratæ à consecrandi potestatem habẽte, seruatâ solemnitate iuris Canonici: ideó- 4 que propriè dicuntur Calices, Custodia, in qua reponitur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Corporalia, Patenæ, & Reliquiæ Sanctorum, libri sacri pro seruitio Ecclesiæ destinati, vestes, cum quibus diuina officia celebrantur, paramenta Altarium, Imagines Dei, & Sanctorum, ornamenta Ecclesiæ, Cruces, & omnia alia, 5 quæ de Consilio Theologorum similia censentur: vsque ad *n.* 75.

EX

EX QVÆST. CLXXIII.

Pars I.

ARGVMENTVM.

De fraudantibus Gabellam, & eorum pœna: quando habeat locum, & quando non.

FRAVDANTIVM Gabellas ea
1 est pœna, vt res, de quibus solui debebat, incidant in Commissum, & earum dominium ipso iure transeat in Fiscum, sed non earum possessio, nisi sequatur Iudicis declaratio. Gabellam fraudatam esse, coniecturis probatur; & ideò ex libris ipsius Gabellarij, non soluta apparet:
2 ignorantia non excusat, nisi esset omninò probabilis: & eò ipso dicitur defraudata, quo quis transiuit cum mercibus, eâ non solutâ, vbi solui debebat. Istáque conclusio adeò vera est, vt nec etiam requiratur interpellatio Gabellarij, etiam videntis, quamuis non secuto effectu, & non consummata fraude; vt in eo, qui in itinere repertus est intra Territorium, vbi solui debebat. Alij contrà: *Author* verò distin-
3 guit, ponderando verba prohibitionis, vt scilicet prima opinio procedat, si prohibitio loquatur per verba præsentis temporis, aut imperfecti: secunda verò, si per verba præteriti, vt si dicat, *extraxerit*, nam tunc requiritur actus perfectus, & consummatus: quinimò sic deprehensus in itinere, ad pœnam fraudatæ Gabellæ obligatur, quamuis dicat, se pœnituisse, & solutionem offerat. Exempti verò, & Priuilegiati, res deferentes, denunciare tenentur Gabellario; & si portauerint res non suas, tenentur defraudatæ gabellæ. Sed si Gabellarius non adsit,
4 vbi gabella erat soluenda, Commissum non incurritur, quando sarcinator in loco gabellæ dimittit pecuniam sub lapide, & eam Gabellario indicat. Quando autem deferantur plures res ab vna, & ea-
5 dem persona, quarum aliquæ erant suppositæ oneri, soluendæ gabellæ, aliquæ autem non; tunc incidunt in Commissum tantummodò res, pro quibus gabella soluenda erat. Alij contra firmantes, quod portans res alienas licitas cum suis illicitis, teneatur Domino rei licitæ ad omnia damna, & interesse; cùm ex vna illicita etiam licitæ cadant in Commissum. Licentia habita à Gabellario transeundi sine solutione, excusat à Commisso: quin- 6
imò nec expirat morte concedentis, nec reuocari potest, nisi re integra: & data nullo expresso tempore, durat tantùm per dies septem: non specificata quantitate mercium, intelligitur de prima vice, & prima extractione. Bestia inuenta si- 7
ne mulione vltra locum, vbi soluitur gabella, non incidit in Commissum, cùm fieri debeat interpretatio, vt aufugerit à Mulione: nec pariter intrat pœna Commissi, nisi quando quis transierit dolosè: vnde Sarcinator, qui supra sarcinas equitando dormiens transiuit, excusatur à pœna, si expergefactus retrocedens, solutionem obtulerit. Minor habet termi-
num triginta dierum ad gabellam soluen- 8
dam, nisi dolus interueniat: post verò triginta dies succurritur illi ope restitutionis in integrum, & sic non potest defraudatæ gabellæ pœna puniri. Huiusmodi pœna non transit ad hæredes de- 9
fraudatoris, nisi quatenus res, quæ in Commissum inciderunt, ad eum peruenerint, quia tunc obligatur, cùm in illis resideat actio pœnalis, quæ quinquennio contra Gabellarium, & Fiscum præscribitur. Et licèt fraus, ac dolus conducen-
tis merces, & non soluentis gabellas, no- 10
ceat Domino mercium etiam ignoranti, attamen datur ipsi regressus contra conductorem, qui si sit pauper, & non soluendo, Dominus restituitur in integrum aduersùs Gabellarium pro exclusione Commissi ex clausula generali, *si qua mihi* 11
iusta causa, &c. quia gabella cùm sit odiosa, ideò restringenda, & pronunciandum contra Gabellarium in dubio: vsque ad *numer.* 53.

EX QVÆST. CLXXIII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

De Gabellariis plus debito exigentibus, & de eorum pœna.

PVBLICANVS exigens plusquàm
debet exigere de gabella soluenda 12
pro mercibus consuetis, punitur exilio, vel extra ordinem arbitrio Iudicis; sed si exigat gabellam non impositam à Principe, vel quando exigere non debebat, vel exigendi non erat ei concessa facultas,

13 Ciuiliter etiam tenetur ad Quadruplum, & quandocunque obligatur pro suis famulis exigentibus, eiúsque hæredes tenentur pro malè ablatis: vsque ad *n.* 65.

EX QVÆST. CLXXIII. Pars III.

ARGVMENTVM.

Noua Vectigalia, seu Gabellæ, an, & à quibus imponi possint.

14 NOVA vectigalia imponi non possunt à non habente authoritatem: & secùs imponens, punitur de iure Ciuili pœna centum aureorum; efficitur infamis, damnatur ad exilium perpetuum, & ad restitutionem ablatorum: ista enim Vectigalia, cùm sint de reseruatis maximo Imperio, nisi à supremis Principibus Superiorem non recognoscentibus imponi non possunt: quinimò in Mari nunquam exigi possunt sine licentia Papæ: vsque ad *num.* 80.

EX QVÆST. CLXXIII. Pars IV.

ARGVMENTVM.

Gabellas imponendi, & exigendi ius quando præscribatur.

15 IVS exigendi, & imponendi gabellas potest præscriptione acquiri, tanti scilicet temporis, cuius memoria non existat in contrarium; nec requiritur Principis scientia: Et quidquid Alij contrà; non recedas à conclusione: vsq; ad *n.* 103.

EX QVÆST. CLXXIV. Pars I.

ARGVMENTVM.

Furtum non committitur, nec furti pœna locum habet in pluribus casibus hac eadem quæstione explicatis.

1 AVTHOR quamplures figurat casus, in quibus pœna furti excluditur, neç furtum committitur, quorum

Primus est, quando non est secutus effectus, excipiendo publicos Latrones, qui 2
in viis publicis furantur; qui tamen, nisi deuenerint ad actum proximum, mitiùs sunt puniendi.

Secundus, quando furtum committitur sine dolo, nec animo furandi, vel animo 3
lucrandi, sed tantùm iniuriam faciendi causâ: ideóque Plagium ab eo non committitur, qui libidinis causa alienam ancillam rapuerit, nec ab illo, qui iocosè furtum commisit.

Tertius, in eo, qui rem suam subripit, non valens aliter ab aliquo recuperare, vel 4
copiam Iudicis habere. Sic nec committitur in re communi: licèt furtum committatur ab emptore, si rem emptam, ante pretij solutionẽ, inuito vẽditore, acceperit.

Quartus præcedentis ampliatiuus, vt furtum non committatur ab eo, qui credi- 5
dit rem, quam subripuit, esse suam, si credulitas fuerit iusta, & probabilis.

Quintus, non committitur à subtrahente rem furatam furi in fuga posito: & licèt 6
multi huic opinioni aduersentur, attamen firma conclusionem pro veriori: præcipuè quando Domino, vel Iudici rem subtractam detulerit: quod si vendiderit, & rei venditæ pretium in proprium vsum conuerterit, vtique fur est.

Sextus, quando non contrectatur res furata, scilicet non traducitur de vno loco ad 7
alium: dicitur enim contrectatio à *con*, quod est *simul*, & *traho*, quasi simul cum bonis furantis alia bona trahantur: quapropter *Contrectatio* dicitur *amotio de loco ad locum*, scilicet extra locum vbi furtum committitur. Et hinc oritur occasio disputandi, numquid fur possit puniri in loco, vbi fuit deprehensus cum furto ratione contrectationis? vbi vna fuit opinio Affirmatiua, & illa quidem communis: Altera negatiua, quam de practica seruari multi asseruerunt. In hac contrarietate, & DD. conflictu, prima opinio licèt verior est limitanda, quando fur non res furatas, sed pretium secum detulerit, ac nisi in loco contrectationis moram fecerit: si verò volueris seruare contrariam, & negatiuam sententiam, ab ea recedas quando furis fuit mutata conditio, vel à principio furatus fuerit: animo ad alia loca contrectandi, vel esset vagabundus.

Septimus, in re stabili, cuius possessionem propria authoritate inuaserit, fur non 8
dicitur, nec pœna furti tenetur, nisi ex fundo alieno aliquid subripuerit, vt putà, cretam effoderit, & de loco ad locum transtulerit.

Octauus,

Octauus, non committitur furtum in
9 iuribus seu rebus incorporalibus, cùm in ista contrectatio non cadat.

Nonus, in eo qui furatur propter ne-
10 cessitatem famis, dummodò necessitas sit extrema, & aliter, quàm furando viuere non possit: quæ verò necessitas extrema dicatur arbitrio Iudicis remittitur.

Decimus, furtum commissum in re
11 minima, impunibile est: & minima dicitur, in qua quis non reputat sibi nocumentum fieri, attenta qualitate personæ furatæ: nam quandóque in gallinis, anseribus, & vnico ouo furtum committitur.

Vndecimus in furto facto Hostibus, &
12 Infidelibus; quando ab istis subripiuntur sublata à Christianis, seu Reliquiæ, vel Corporà Sanctorum.

Duodecimus, in famulo creditore sui
13 Domini, qui non valens consequi salarium debitum, illi tantundem furatur, quando Iudicis copiam habere non valet, vel Dominus esset adeò potens, vt ab eo, neque iudicialiter suum creditum consequi possit.

Decimus-terius, furtum factum Me-
14 retricibus publicis, si de iure loquamur: quia in practica huiusmodi conclusio non admittitur, & tale furtum punitur.

Decimus-quartus, furtum factum in
15 Ludo Alearum ei, penès quem Aleâ luditur, nisi hunc ludum retinens, licentiam habeat à Principe.

Decimus-quintus, in Minore, qui ex-
16 cusatur à pœna ordinaria, si sit pubes; quoniam si impubes, nulla pœna punitur.

Decimus-sextus in furantibus anima-
17 lia syluestria, etiam incidendo arborem, in qua apes consederint, vt fauos mellis ex illis accipiat; licèt Dominus fundi prohibere possit, ne quis proprium solum
18 ingrediatur: quòd si animalia sint mansueta, aut domestica, solita adire, & redire, furtum committitur; exemplificando in subripiente columbas ex alterius columbario. Cætera ad materiam, vide penès Fach. *controuersiar. iur. lib. 1. cap. 1.*

***

EX QVÆST. CLXXIV. Pars II.

ARGVMENTVM.

De furto domestico, & illius pœna.

PROSEQVENDO casus, in quibus furtum non committitur, nec furti actio 19
locum habet; Decimus octauus est in furto domestico, quod impunibile esse multi voluerunt, nisi esset magnum. Domestici in proposito dicuntur filius, & seruus, libertus, mercenarius colonus, & generaliter omnes qui sunt de familia, & mercimonio alicuius. Furtúmque domesticum dicitur illud, quod factum est à filio, vel 20
seruo: contra enim filium datur Patri actio, scil. in factum, si filius habeat peculium castrense, vel quasi: & è contrà, filius potest agere similiter non actione furti, vel alia famosa, sed in factum, contra Patrem, si sibi suum peculium subripiat. Datur tamen actio furti Priuigno contra Vitricum, licèt secùs Socero, vel Genero, aut Marito contra vxorem, quamuis detur actio in factum Concubina Concubinario subri- 21
piendo, furtum committit. Et inter furta domestica connumerantur etiam furta facta Abbati per suos Monachos: in quibus furtis domesticis Iudex ex officio procedere nequit, nisi furta committantur à famulis, Ancillis, Mercenariis, vel aliis Domesticis non sanguine coniunctis: vsque ad *num.* 117.

EX QVÆST. CLXXIV. Pars III.

ARGVMENTVM.

De crimine expilatæ hæreditatis, quando locum habeat, & quando non eius pœna.

DECIMVS-NONVS casus est in Expi- 22
lata hæreditate: tales enim Expilatores non dicuntur propriè fures, nec contra eos datur furti actio; cùm Expilator tantummodò extra ordinem puniatur. Similis actio, quando sunt plures hæredes, omnibus datur in solidum: non datur contra vxorem, si subripiat de hæreditate sui viri: vsque ad *n.* 136.

EX QVÆST. CLXXIV.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

Furtum non committitur, volente, aut permittente Domino rei subtractæ: & quid si fur credebat, Dominum permissurum.

VIGESIMVS, in furto facto de
23 voluntate Domini rei subtractæ: quòd in tantùm procedit, vt si verè Dominus rei furatæ de furto non curauerit, aut illud sibi fieri permisisset, si sciuisset; fur autem putasset Dominum inuitum, furti actione non teneatur: sic pariter, si credat, eum permissurum, dummodò credulitas fuerit iusta & probabilis: quòd si res à principio fuerit in-
24 uito Domino intercepta, stulta credulitas non excusat; & in dubio, præsumitur factum contra voluntatem Domini, nec assertioni furis dicentis se credidisse Dominum permissurum, minimè standum est; licèt satis esset expediens protestatio illius, qui rem alienam accipiendo, & contrectando, diceret, se credere Dominum permissurum: quòd si ipsi non placeat, offerat, acceptam rem restituere. Sic potest Iudex de furto agere,
25 licèt dicat Dominus permisisse furtum sibi fieri: ipsi enim hoc casu non creditur. Alij contrà: & *Authoris* iudicio, meliùs; & communiùs in practica, accedentibus coniecturis: vsque ad *n. fin.*

EX QVÆST. CLXXV.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Authoritate propria occupans, & inuadens rei suæ, vel alterius possessionem, quando, & qua pœna puniatur.

NEMINI licet propria autho-
1 ritate sibi ius dicere: & ideò, qui rei suæ ab altero possessæ occupat, & inuadit possessionem, eam restituere, & dominium amittere compellitur. Extendendo ad Vsufructuarium, & Proprietarium, qui se inuicem expellunt: & ad Feudatarium, expulsum à Domino directo, siue ab alio: ad Emphyteutam, qui si expellat Dominum directum, emphyteusim amittit: ad Debitorem, occupantem rem suam in pignus Creditori traditam: ad Vniuersitatem propria authoritate inuadentem rei 2
suæ vel alienæ possessionem, & ad inuadentem possessionem vacantem, nisi illam statim esse suam probet: ad Occupantem propria authoritate, siue ante litem motam, siue etiam post, aliquid 3
controuersum: & æstimatio in casibus prædictis semper fit, respectu proprietatis, non possessionis: eúmque, qui clàm possessionem alterius occupauerit propria authoritate, expulsus potest expellere. In beneficialibus verò, si quis occupet propria authoritate beneficium, illud perdit: licèt hoc non procedat in eo, qui beneficij possessionem vacantem propria authoritate sine executorialibus apprehendit; quamuis sibi hoc facere prohibeatur.

Extenditur Regula ad occupantem, 4
& propria authoritate inuadentem totam rem communem; ac non solùm si inuasio, & occupatio facta fuerit dolosè, verùm etiam si sine dolo, lata culpa intercedente. Extenditur ad deiectum, qui deijcientem propria authoritate expellit, nisi id efficiat incontinenti, sed ex interuallo; & multò magis conuocatis hominibus, quia tunc intraret dispositio *Bullæ Sixti V.* super conuenticulis, de qua 5
alibi dictum est: quòd si incontinenti deiecerit, etiam armata manu, & conuocatis hominibus, nulla pœna irrogatur, cùm vnicuique liceat suam possessionem tueri.

Non tamen procedit Regula in furioso, quamuis factus sanæ mentis adhuc retineat, sed si furiosus habeat lucida interualla, inuasisse præsumitur tempore sanæ mentis: & ideò nisi secùs probet, puniendus est. Non procedit etiam in Pa- 6
tre, vel Domino, occupantibus propria authoritate res filij, vel liberti; quia sufficit dari contra ipsos actionem in factum: licèt è contrà, si filius, vel libertus quæ ad Patrem, & Dominum spectant, occupauerint, teneantur pœna *dict. leg. si quis in tantam, Cod. vnde vi.* Pater, & Dominus tenentur quoque de facto filij, vel serui; ille scilicet peculio tenus; iste noxaliter, si filius vel seruus inuaserint

rem

rem alienam. Extende ad Abbatem,
7 Prælatum, Monachum, Tutorem, & similes; qui si respectiuè propria authoritate inuadant res Ecclesiæ, vel Pupilli, non incidant in dictam pœnam, nisi hoc efficiant conuocato consilio Monachorum, & aliorum, ad quos spectat: Et licèt Alij contrà: firma pro communiori. Declarando non procedere in vita Prælati occupantis, qui respectu commoditatis, eâdem in vita priuatur, & de proprio tenetur ad pœnam.

Magistratus autem, nisi vltra Offi-
8 cium effecerit aliquid, vti priuatus occupando suas, aut alienas res, non tenetur pœnis *dict. leg. si quis in tantam:* à quibus pariter excluduntur Commodatarius, Depositarius, & Colonus, qui cùm possidere non dicantur, ideò propria authoritate expelli possunt. Sic & Procurator, seu negotiorum Gestor id faciens, Domino non iubente, ipse Dominus pœnam non incurrit: similiter & filius occupans propria authoritate aliquam rem hæreditariam pro sua Legitima: provt neque occupans authoritate Iudicis, vel de licentia Principis; quamuis Decretum Iudicis sit inualidum, & iniustum: Alij
9 contra, & forsan verius, si decretum emanauerit sine citatione, & causæ cognitione, vel notoriè esset iniustum, & constaret spoliantem nullum ius habere, & fuisse immissum in possessionem non citata Parte; vel emanatum fuerit à Iudice incompetente.
10 Similiter nec ille, qui credens se possidere, cùm verè non possideat, alterius possessionem inuaserit, eam ingrediendo; quia præsumebat vacantem: quòd si vnus habeat possessionem ciuilem & legitimam rei occupatæ propria authoritate, alter detentationem, alter verò proprietatem, inuasor non omnibus, sed tantùm possessori obligatur. Inueniens equum in pascuis credens esse suum, vel si accipiat damnum dantem, pœnas prædicans non incurrit; quia generaliter euitatur, quando copiam Iudicis habere non potest, vel alio modo rem suam consequi: ideóque occupando rem hæreditariam, hæreditate iacente, vel ex clausula *Constituti*, aut *Precarij*, ab iis pœnis quis esset immunis: provt omninò liberatur, qui inuasit sine vi, quæ necessario requiritur, & quinque modis committitur; alia enim est expulsiua, alia ablatiua, alia compulsiua, alia turbatiua; alia demùm inquietatiua, de quibus *Author* 11
te remittit ad Menoch. *de recup. possess. in prælud. num.* 37. *& sequent.* Et quia recessit ab Aula pœna, *l. si quis in tantam, Cod. vnde vi:* quæ est propria criminis, de quo agimus; eius loco successit Arbitraria, augenda, vel minuenda, iuxta facti, & personarum qualitatem, & secundùm quod vis illata fuerit; poterit enim imponi pœna *l. Iuliæ, de vi publ.* vbi publica vis adsit: & *l. Iuliæ, de vi priuat.* vbi vis priuata: absque 12
eo quod inuadens condemnetur ad aliquid in vtilitatem Partis, præter restitutionem possessionis: sed quando, & in quibus casibus pœna *dictarum legum* locum habeat? vide Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cas. 394 per tot.* Et demum nullam 13
pœnam incurrit inuadens rem suam, vel alterius, sine vi, & cum licentia Iudicis, vel Principis, etiam per vim: vsque ad *num.* 148.

EX QVÆST. CLXXV. Pars II.

ARGVMENTVM.

Creditor authoritate propria inuadens, & occupans rem Debitoris sibi debitam, aut pignoratam, an, quando, & quas pœnas incurrat.

CREDITOR propria authoritate occupans rem sibi debitam, vel obligatam, incurrit pœnam *l. si quis in tantam, C. vnde vi:* amittit ius suum, & conueniri potest *l. Iulia, de vi publ. & vi priuat.* eóque minùs accipere potest propria authoritate rem Debitoris, vt eam habeat in solutum, vel in pignus, vel eius personam capere, nisi esset de fuga suspectus, & præmissa protestatione de incontinenti ducendo ad Iudicem, cuius antea copiam habere non possit pro obtinendo mandato. Extenditur 15
Regula ad Creditorem compellentem Debitorem per vim, vt sibi soluat: vel qui aufert Debitori suo rē alterius. Sed limitando Regulā, Declara, vt qui propria authoritate creditum exigit, nō in totum debito priuetur, sed tantùm illa parte, pro qua sibi ius dixit: & Creditor occupans rē sibi nō debitā, nec obligatam, non tenetur ex Edicto D. Marci, de quo in *l. extat. ff. de eo, quod met. cāus.*

sed tantùm de vi adhibita ; ideóque non amittit creditum occupans rem Debitoris sibi hypothecatam: vel quando exigit propria authoritate à fideiussore sui Debitoris : de hac conclusione dubitat *Author*, cùm certum sit, Iudicem adire debere : vsque ad *n.* 174.

EX QVÆST. CLXXV.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Authoritate propria quando quis possit ingredi possessionem rei pignoratæ, vel hypothecatæ, vigore pacti, & licentiæ à debitore concessæ.

PROPRIA authoritate ingrediens
16 possessionem alterius ex præcedenti pacto, & conuentione, nullam incurrit pœnam : imò vigore pacti exequutiui, nulla alia facta declaratione, rem pignoratam accipere potest, cùm in dubio vigore dicti pacti recepisse præsumatur. Valet enim pactum capiendi possessionem propria authoritate, etiam factum cum Ecclesia, nisi consistat in rebus Deo dicatis,
17 & consecratis ; eò magis fieri potest cum pupillo debitore ; si apponitur ad executionem iuris realis ; necnon ad executionem iuris personalis, quando contineat simpliciter ingressum possessionis ; ideóque sustinetur non solùm in contractu pignoris, sed in quocunque alio : & potest Testator dare licentiam ingrediendi possessionem propria authoritate, hæredibus, Legatariis, & similibus : quapropter, nedum excusat à violentia, sed etiam à clandestinitate, transit ad hæredes, & contra hæredes debitoris, qui tale pactum fecit ; transit etiam in singularem successorem, & cedi potest cuilibet, dummodo cedatur actio personalis, & de iure cedentis constet clarè, & apertè : eóque magis si in contractu adsit clausula *Con-*
18 *stituti*, & *Precarij*. Et ex eo solùm, quod debitor licentiam impartiatur creditori ingrediendi fundum propria authoritate nisi intra terminum soluerit ; censetur constituta hypotheca : quod tamen non procedit post Iudicium intentatum coram Iudice, vel post interuersam possessionem. Irerum non procedit, nisi data mora debitoris, & die aduenientc
19 solutionis. Nec valet pactum, vt res in pignus data cedat in solutum ipsi creditori ; præcipuè si apponatur incontinenti in constitutione pignoris, provt nec vt pretio non soluto in tempore conuento, res in pignus data censeatur empta pro iusto pretio ; quia cùm hæc videatur venditio conditionalis, non admittitur, nisi iusta rei æstimatio facta sit à Iudice, & eadem adiudicata : vsque ad *n.* 216.

EX QVÆST. CLXXV.

Pars IV.

ARGVMENTVM.

Quando Creditor vigore pacti habet authoritatem ingrediendi possessionem propria authoritate, numquid debeat adire Iudicem, & adeundo vtrùm debeat citare Partem.

VIGORE pacti de ingrediendo possessionem rei pignoratæ, seu 20
hypothecatæ, potest creditor illam ingredi, etiam non adito Præside, & sine eius licentia : quod si velit cautiùs agere, & Iudicem adire, Iudex non potest licentiam impartiri, nisi Parte citata, præsertim quando non per Instrumentum, sed per Testes constat de huiusmodi pacto ; Debitor citatus contradicat, allegando solutionem, vel aliud obijciendo ; quo probato repellat agentem : quia tunc esset necessarius libellus, & actionem intentare per viam ordinariam : quod si debitor nihil opponeret, tunc iudiciarius ordo seruari non deberet : & si 21
de debito liquidè per Instrumentum constaret, etiam Parte non citata, Iudex licentiam ingrediendi impartiri posset : sed si facta esset conuentio inter debitorem, & creditorem, & simpliciter data licentia ingrediendi, tunc creditor deberet Iudicem adire, debitorem citare, & libellum offerre : vsque ad *numer.* 226.

***

EX

EX QVÆST. CLXXV. Pars V.

ARGVMENTVM.

Authoritate propria si quis vigore pacti poteſt occupare rem debitoris, nunquid hoc poſſit facere, creditore reſiſtente, & per vim.

22 PACTVM capiendi poſſeſſionem propria authoritate non attenditur, quando inuenitur reſiſtentia; cùm nec valeat cum expreſſa conuentione ingrediendi, Reo reſiſtente; quamuis apponeretur in pignore, ſeu in hypotheca vigore pacti executiui, & adeſſet clauſula *Precarij* vel *Conſtituti*. Et licèt Alij contra; firma pro veriori, & declara, poſſe quidem creditorem ingredi cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi reſiſtentia non habeat admixtum delictum; cùm tunc non ſpoliandi animo, ſed ius ſuum defendendi vim intuliſſe videatur.

EX QVÆST. CLXXV. Pars VI.

ARGVMENTVM.

Authoritate propria non licet ingredi poſſeſſionem rei pignoratæ, ſeu hypothecatæ; etiam quòd creditor habeat pactum ſic ingrediendi, debito non liquidato: & quando hoc verum ſit.

23 DEBITO non liquidato, pactum ingrediendi poſſeſſionem propria authoritate non habet executionem: Et licèt Alij contra; Extende, vt debiti liquidatio iſto caſu ſit facienda ſolemniter Parte citata, & dato libello: licèt executionem habere poſſit, quando per illius exercitium, & apprehenſionem poſſeſſionis, debitum deducitur in notorium: vel quando ſic inter Partes expreſsè conuentum fuerit: ſeu adeſſet 24 clauſula *Conſtituti*, vel *Precarij*, iuncta pacto ingrediendi: ſic nec eſt neceſſaria liquidatio, quando debitum erat iam liquidum in contractu, & nulla in eo erat oppoſita conditio: vſque ad *n.* 248.

EX QVÆST. CLXXV. Pars VII.

ARGVMENTVM.

Pactum ingrediendi poſſeſſionem rei pignoratæ, an, & quando poſſit exerceri contra ſingularem ſucceſſorem, & Tertium Poſſeſſorem.

IN propoſita materia vna fuit opinio, quod tale pactum afficiat 25 etiam ſingularem ſucceſſorem: Altera verò negatiua. Et in hac contrarietate conſiderandi ſunt duo effectus, vnus ſcilicet, quod ex tali pacto oriatur quædam actio perſonalis contra debitorem ad patientiam ingreſſus, quæ non tranſeat ad ſingularem ſucceſſorem. Alter verò, quod oriatur ius reale, ex quo ſuccedat parata executio ſecundùm voluntatem creditoris, & iſto caſu tranſeat contra ſingularem ſucceſſorem: ideó- 26 que vtramque opinionem ſuſtinendo, dicas non procedere in contractibus, quando agitur de excutione iuris perſonalis, quod non tranſit in ſingularem ſucceſſorem: nec extenditur ad vltimas voluntates: quinimo nec quando agitur de executione iuris, ſi Tertius Poſſeſſor 27 non habeat cauſam ab eo, contra quem principaliter oritur ius exequendi; vel quando non erat in ſe liquidatum; nec erat in actu producendi; vel quando ſimpliciter fuit data facultas generaliter ingrediendi arbitrio boni Viri.

Negatiua opinio limitatur, quando ſententia Iudicis, & illius licentia non 28 poteſt mandari executioni contra Tertium, vel alienatio fuit facta, lite pendente; & ſic Iure exiſtente in actu productionis, & liquidationis; quia tunc pactum executiuum tranſit etiam contra ſingularem ſucceſſorem; præſertim ſi iſte ſciebat, litem agi cum ſuo Authore ſuper re in ipſum alienata, & quæ- 29 ſtio pendebat ſuper dominio. Sic & procedit, quando fuit expreſsè conuentum, quod debitor rem pignoratam alienare non poſſit ſine licentia Iudicis, vel debitoris; niſi ageretur de executione iuris perſonalis in vltimis voluntatibus; vel de executione iuris realis; adeſſet clauſula *Conſtituti*, ſeu *Precarij*; vel Poſſeſſor haberet ſingularem hypothecam, vel generalem in re pignorata;

seu exerceretur à creditore incontinen-
30 ti quod fuit translata possessio. Potest insuper factum istud exerceri contra Tertium Possessorem, si fuerit oppositum in traditione ipsius rei; nec est necessaria excussio principalis debitoris; licèt hoc exequi non possit, nisi citato, & vocato dicto Tertio Possessore: vsque ad *num.*283.

EX QVÆST. CLXXV.
Pars VIII.

ARGVMENTVM.

Hæres, an, & quando possit authoritate propria hæreditatem occupare.

HÆRES potest propria authori-
31 tate res hæreditarias apprehendere, siuè sit hæres vniuersalis siue institutus in re certa: & siue etiam post mortem vsufructuarij, vel sub conditione, dummodo hæreditas sit vacans, & à nemine possessa: quia si bona hæreditaria ab alio possideantur, etiam stante Statuto concedente facultatem apprehendendi possessionem propria authoritate, hoc efficere non possit; cùm Statutum sit intelligendum, dummodo possessio sit vacans, non autem ab altero occupata: vsque ad *numer.*290.

EX QVÆST. CLXXV.
Pars IX.

ARGVMENTVM.

Fideicommissarius, an, & quando res fideicommisso subiectas debeat capere de manu hæredis, an verò eas possit propria authoritate occupare.

CVM regulariter fideicommissa-
32 rius debeat capere hæreditatem de manu hæredis, hoc ideo, si aliquas res fideicommisso subiectas subripuerit, & propria authoritate occupauerit,
33 priuatur iure suo. Quod intellige, dummodo hæreditas fuerit adita: secus è contra: prout non procedit in fideicommissario instituto post alterum fideicommissarium, vel data licentia à Testatore, quæ data intelligitur si dixerit, quod liberè sua bona in illum deueniant, vel prohibuerit ei aliquam molestiam inferri: vsque ad *num.*305.

EX QVÆST. CLXXV.
Pars X.

ARGVMENTVM.

Vsufructuarius, an, & quando possit propria authoritate vsumfructum capere.

VSVFRVCTVARIVS non potest ca-
pere vsumfructum propria autho- 34
ritate, sed illum recipere debet de manu hæredis. Excipe Vxorem relictã Dominam Massariam, & Vsufructuariam; quæ ex consuetudine Bulgari filiis hæredibus institutis, potest propria authoritate alimenta suscipere: & eò fortiùs, si sit relicta vsufructuaria post mortem extranei. Similiter nõ procedit Regula, 35
quando Vsufructuario esset data licentia à Testatore capiendi vsumfructum propria authoritate; vel in legato apposita verba, *sine contradictione, & molestia*; seu adesset clausula, *omni me-* 36
liori modo: & singulariter quando relicturus vsusfructus certi fundi, obligatione iniuncta hæredi colendi; quod si idem hæres in hoc fuerit negligens, poterit vsufructuarius propria authoritate apprehendere: vsque ad *num.*317.

EX QVÆST. CLXXV.
Pars XI.

ARGVMENTVM.

Legatarius, an, & quando possit propria authoritate rem sibi legatam occupare, & occupãdo in quam pœnam incidat.

LEGATARIVS debet legatum ac-
cipere de manu hæredis; & aliter 37
illud occupando propria authoritate, perdit omne ius quod in eo habet. Quod procedit siue subtrahat rem in specie, siuè consistentem in quantitate; quinimò, & in legato alimentorum. Regula limitatur legato facto pauperi,

cùm

cùm dilationem non admittat : licèt procedat in hærede, qui rem legatam alteri subtrahendo, perdit Quartam, ideſt falcidiam, quæ applicatur fiſco.
38 Limitatur pariter propoſita Regula, quando Teſtator dederit licentiam Legatario capiendi poſſeſſionem propria authoritate, quamuis fuerit relictum in teſtamento minùs ſolemni; dictáque licentia præſumitur data, quando Teſta-
39 tor vſus fuerit verbis *accipiat, capiat*; vel ſi prohibuerit hæredi, ne moleſtiam inferat, præcipuè ſi ceſſet dolus, vel lata culpa. Extende, vt etiam propria authoritate capi poſſit legatum factum ad pias Cauſas, ex cauſa alimentorum, ſtudiorum, vel periculum eſſet in mora. Iterum extende, vt non amittatur, quando Teſtator conſtituiſſet ſe precario nomine rem legatam conſeruare; &
40 eò magis, ſi res tempore mortis Teſtatoris reperiatur penès Legatarium, vel hæres ſciens rem apprehenſam, tacuit longo tempore, & nullam controuerſiam mouit: eóque magis, ſi præcedat conſenſus poſt aditam hæreditatem. Quandocunque verò Legatarius non occupauit totum legatum, ſed illius partem, non toto legato priuatur, ſed ad proportionem occupationis: vſque ad *n. fin.* 335.

EX QVÆST. CLXXVI.

Pars I.

ARGVMENTVM.

Furtum quomodo, & ex quibus probetur.

LICET furtum non præſumatur, & qui furtum allegat probare debeat, attamen cùm ſit inter delicta difficilis probationis, ex coniecturis, & præſumptionibus dicitur concludenter, & manifeſtè probatum. Probatur ergo per querelam Partis, quando fuerit vir bonæ famæ, & conqueſtio fiat incontinenti, ac ſtatim commiſſo furto. Probatur ex acclamationibus factis in domo: vel quando in loco, vbi dicitur furtum commiſſum, fuit auditus ſtrepitus, ſeu rumor, ſi reperiatur fractum oſtium, vel capſa, vbi furatæ res exiſtebant. Inducitur ex publica voce, & fama, ex fuga famuli, ex eo quod fuerint repertæ ſcalæ in domo, ſeu ante domum, in qua fuit furtum commiſſum: ſed omnibus dictis caſibus, ad hoc, vt prædictæ coniecturæ probent, debet conſtare, quod res, quæ dicitur furata, fuerit in loco, vbi ſubtracta prætenditur, aliàs non diceretur probatum corpus delicti. Intelligas, non requiri pre- 3
ciſè probari, quod tempore commiſſi furti ibi eſſent res furto ſubreptæ, ſed ſemel adfuiſſe; cùm de præterito præſumatur in præſens.

EX QVÆST. CLXXVI.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Furti quantitas, & qualitas quando probetur iuramento illius, cui furtum factum fuit.

REGVLA proponitur affirmatiua, quod ſcilicet probato furto, circa valorem, & quantitatem rei furatæ, ſtetur iuramento damnum paſſi: & nedum ſuper probatione quantitatis rerum furatarum, earúmque valoris, ſed etiam ſuper probatione expenſarum, damnorum, & intereſſe: & propterea Statutum volens, quod de damnis, & intereſſe ſtetur iuramento damnum paſſi, multò magis locum habet in furto. Datur huiuſmodi iuramen- 5
tum etiam contra auxiliatorem finis, cuſtodem, commodatarium, & depoſitarium rei furatæ: non tamen defertur Iudæo contra Chriſtianum; nec quando agitur criminaliter ad puniendum furem pœna corporali, vel pecuniaria applicanda fiſco; nec tandem defertur, niſi vbi furtum aliàs probari non poſſit, nec res furata ſit oculis demonſtrabilis.

Quando verò ageretur contra Villam, ſeu Communitatem, quæ vigore 6
Statuti tenetur de furtis, & rubariis commiſſis in eius Territorio, tunc quantitas, qualitas, ſeu valor rerum derubatarum, etiam conſtito de furto, non per iuramentum damnum paſſi, ſed per Teſtes, aut aliàs probari debet: datur enim hoc iuramentum in odium furis; 7
ideo concedi non poteſt contra Communitatem, quæ non deliquit, ſed tenetur ex delicto alterius: & propterea generaliter non conceditur contra Cauponam, Nautam, ſeu Stabularium, quando

quando tenentur pro furto suorum familiarum. Sic & non datur, nisi præuia Iudicis taxatione, qui præcipuè considerare debet personarum qualitatem, & circumstantias, vel si de furto constet plenè, & concludenter, aut per Rei confessionem, aut per Testes illud conuincentes; secùs, si de eo non constaret, nisi præsumptiuè. Alij contra: sed quia veritas huius declarationis pendet à veritate alterius inspectionis, scilicet quando iuramentum in litem deferatur nec ne, propter dolum præsumptum; de materia in proposito vide Seraphin. *de priuileg. Iuram. priuileg.* 31. *n.* 27. Eo quia probatio facta per iuramentum in litem recipit probationem contrariam; quidquid Alij contra; ab hac sententia, vt æquiori, ne recedas.

8

9

EX QVÆST. CLXXVI.

Pars III.

ARGVMENTVM.

De indiciis furti.

AFFERT *Author* in hac Quæstionis parte particularia indicia contra furem, quorum.

10

Primum est, mala fama: & hæc magis operatur contra assuetum furari: & contra conuersantem cum malis hominibus, & præsertim furibus: sed de se sola non sufficit, nisi aliis coniecturis adminiculetur.

11

Secundum, quandóque oritur ex mala Natione, seu patria Rei: sed hoc leuissimum, imò nullius momenti esse, *Author* arbitratur; cùm sit valde periculosum affirmare aliquam Gentem, seu nationem esse furtis procliuem.

12

Tertium, contra Vicinum, qui propterea magis informatus præsumitur de rebus existentibus in domo, vbi furatum fuit; ideóque facilius torquetur, quàm alij: sed quia est indicium remotum, non sufficit ad torturam, & contra hominem bonæ famæ nihil operatur.

13

Quartum, contra eum, qui habet notitiam domus, vbi furtum fuit commissum, ibi denique conuersari solitus fuerit, dummodo sit homo malæ famæ, secùs è contra.

14

Quintum, ex transitu insolito per viam, & locum, vbi furtum factum fuit: idémque de eo, qui frequentabat locum, vbi fuit commissum.

15

Sextum, contra illum, qui fuit visus exire de domo horâ ipsâ furti commissi cum *fardello*, seu aliqua re sub brachio, & pallio: & idem de eo, qui tempore commissi furti visus fuit introire, & exire, nisi esset bonæ famæ.

16

Septimum, contra inuentum in loco furti, horâ illius, absque eo, quod assignet causam commorationis ibidem.

17

Octauum, ex fuga famuli, seu alterius domestici: licèt de per se sola non facit indicium ad torquendum, præsertim nisi ex parte Domini concurreret verisimilitudo, quod furtum fuerit sibi factum; vel nisi famulus aufugisset à Ciuitate.

18

Nonum, contra eum, cuius pileus, pallium, scalæ, aut similia fuerint inuenta in loco furti; nisi iste esset Vir bonæ famæ, & contrarium probasset.

19

Decimum, contra eum, qui laruatus, alieno, vel incognito habitu succinctus præsertim, ac expedito repertus fuerit, cùm sic sint soliti incedere fures ne cognoscantur, & possint melius alienas domos conscendere.

20

Vndecimum, contra eum, cuius forma pedis in venti fuerit in via, ex qua furtum transportatum fuit: sed hoc tollitur ex bona fama, & nisi alia concurrant ad torturam non sufficit.

21

Duodecimum, contra illum, qui pauper existens, visus est expendere pecuniarum quantitatem, præsertim eiusdem formæ, & materiæ cuius erat pecunia subtracta: sed tamen de se solùm ad torturam non satis est.

22

Decimum-tertium, contra eum, penès quem reperiuntur instrumenta ad derubandum apta, provt sunt scalpellum, grimaldellum, seu similia.

23

Decimum-quartum, ex inimicitia: quinimò ex inimicitia non oritur, quidquid Aliqui dicant, præsertim si inimicus fuerit Vir nobilis, & integræ famæ.

24

Decimum quintum, contra eum, qui non vocatus, nec citatus, & sine aliquo interesse denunciat Curiæ furem; instat, vt contra eum procedatur; aut quid simile facit, per quod credat, se ostendere illius criminis expertem.

25

Decimum-sextum, contra eum, qui potuit furtum prohibere, & non prohibuit: sis enim redditur suspectus de complicitate.

26

Decimum-septimum, contra eum, qui de furto transigit, vt puta, promittens

27

tens restituere rem furatam, vel rei furatæ pretium.

Decimum-octauum, contra eum; ad
28 cuius commodum res furata cederet; vt putà, scriptura; seu instrumentum subtractum; licèt de per se solùm non sufficiat ad torturam.

Decimum-nonum, mala physiognomia Inquisiti;
29 sed leuissimum est, nec exprimendum in decreto torturæ sine derisione Iudicis exprimentis, vt dicit *Author*.

Vigesimum, contra Inquisitum, qui
30 habet turpe nomen, seu cognomen; vt putà, si vocaretur *Rampino*, *Sgaffigna*, *Truffa*, *Borsaruolo*, aut simile.

Vigesimum-primum, contra eum,
31 qui aliàs de furto fuerit condemnatus ex absciſſione auricularum, seu bullatione, quæ vt pluribus furibus datur pro pœna: & hoc non solùm facit indicium ad torturam, sed etiam, quod possit interrogari super aliis.

Vigesimum-secundum, non oritur
32 ex eo, quod quis fuerit nominatus ab Astrologo, seu Diuinatore sufficiens ad torturam: Aliqui volunt ad inquirendum; *Author* dicit, in nihilo valere, cùm furta inuestigare similibus artibus prohibeatur.

EX QVÆST. CLXXVII

Pars I.

ARGVMENTVM.

Furata res inuenta penès aliquem, an faciat contra ipsum indicium ad torturam.

EX Regula generali, quod res furata inueniatur penès aliquem,
1 non oritur indicium ad torturam sufficiens. Fallit tamen Regula, quando is, penès quem res furata inuenta fuit sit malæ famæ, & consuetus res furtiuas penès se habere, vel edere: & si esset famulus Domini rei subtractæ, posset torqueri, quamuis bonæ famæ. Oritur pariter contra eum, qui rem furatam emisse dicit ab ignota persona, vel non recordari à quo emerit. Quod
2 tamen non procedit contra *Strazzarolos*, seu *Regatterios*: oritur tamen aliqua suspicio, quæ adminiculata aliquid operatur, nisi doceat de Authore: quinimo non sufficit sola nominatio, sed requiritur etiam probatio; attamen non sufficit ad condemnandum de participatione furti, seu illius receptatione, quamuis concurrant alia indicia: quidquid Alij contra: vsque ad *n.* 15.

EX QVÆST. CLXXVII.

Pars II.

ARGVMENTVM.

Emens rem furtiuam, an, & quando furti teneatur.

EMENS scienter rem furtiuam, tamquam furti Reus extra ordi-
3 nem punitur: eóque modo tenetur, rem furatam scienter dono recipiues, vel pignore accipiens: sed quia in dubio præsumitur potius ignorantia, quàm scientia, ista probari debet per claras, & concludentes probationes; licèt oriretur aliqua præsumptio, si emisset paruo pretio, clam; aut res emptæ non conuenirent emptori, nec illis egeret; vt putà, si Caupo emeret libros, vel
4 similia: & licèt aliqui velint, quod recipiens in solutum rem furtiuam furti non teneatur, *Author* contrarium verius credit: vsque ad *n.* 28.

EX QVÆST. CLXXVII.

Pars III.

ARGVMENTVM.

Emens rem furtiuam, an, & quando eam restituere teneatur, sibi pretio non restituto.

EMENS rem furtiuam tenetur illam restituere Domino, etiam sibi
5 non restituto pretio, quamuis emat in nundinis, & publico mercatu: quinimo nec valet Statutum, quod sine restitutione pretij emptor, seu pignore accipiens rem furtiuam, non tenetur illam restituere. Alij dicunt huiusmodi Statuta valere, sed esse strictè interpretanda, & intelligenda; ideóque non attendi, quando Hebræi fœnerantes, scienter res furtiuas pignore accipiunt, vel emunt, sed teneri restituere Domino,

pretio

pretio non soluto, & ad hoc sufficere præsumptiuam, & verisimilem scientiam : eóque fortiùs, si tales res essent
6 alicuius Ecclesiæ, vel Clerici : nec habent locum, si res recipiantur à famulo, cuius inuerisimile erat esse eas. Ementes res furtiuas à Latronibus, vel Prædonibus non tenentur restituere, nisi pretio soluto, dummodo emerint paruo pretio, & publicè testati fuerint emere intentione restituendi Domino ; præcipuè, si vltra protestationem concurrat aliqua præsumptio ; & protestatio fiat palam, & publicè per proclamata,
7 & *Cridas*. sed si contingat, Dominum rei furatæ sponte soluere pretium emptori, non datur illi repetitio, quando autem emens rem furtiuam, illam Domino restituit, si venditor fuit ipse fur absque dubio ab eo pretium recuperabit : sed si emerit abalio, qui priùs bona fide emerat, nec res ipsa reperitur, quia bona fide consumpta fuit, emptor rem ipsam non restituit, licèt teneatur illius valorem Domino restituere, quatenus 8
fuerit factus locupletior. Alij dicunt, quod huiusmodi bonæ fidei emptor, si illam alteri reuendiderit, teneatur indistinctè pretium restituere, siue fuerit factus locupletior, siue non : Alij quod non teneatur restituere pretium Do- 9
mino rei furtiuæ, nisi ex eo fuerit factus locupletior: hoc est, quod vltra pretium in emptione rei furatæ erogatum, aliquid plus superlucratus fuerit. Hanc opinionem, quamuis controuersam, *Author* dicit verissimam, & semper amplectendam : vsque ad *n.* 15.

LAVS DEO.

SVCCVS
EX VARIIS QVÆSTIONIBVS, ET COMMVNIBVS OPINIONIBVS CRIMINALIBVS.

PROSPERI FARINACII
PARS DECIMA-NONA.
EX
LIBRO QVINTO, TITVLO DECIMO-NONO, QVÆST. CLXXVIII. §. I. DE HÆRESI.

ARGVMENTVM.

De diffinitione, & etymologia Hæresis : de Hæreticorum Sectis, & speciebus : quæ requirantur, vt quis Hæreticus dicatur? ac de aliis ad materiam necessariis.

HÆRESIS, & Hæreticorum materiam tractaturus *Author*, protestatur, quod
1 si vnquam in suis laboribus se labi, & hallucinari contigerit, nunquam tamen à fide Catholica, quàm Romana, & Apostolica profitetur Ecclesia, discedere noluisse declarat : sic & ego, ex hoc Tractatu Succum exprimens publicè fateor: 2
quod si contingat ob imperitiam, & iudicij mei imbecillitatem, ob materiæ, de qua agitur, difficultatem, errare, protestor, inquam, me omnino submittere censuræ S. R. E. ac firmiter me semper credidisse, credere, & crediturum,

diturum, quidquid sancta R.E totius Orbis fidelis Magistra, orthodoxè tenet, prædicat, & docet: quam quidem protestationem confirmatam volo, & intelligo in principio, medio, & fine: quia sic ita testor omnibus, sic Deo confiteor, sic iuro, sic firmiter declaro.

Quibus sic præmissis alacri animo prouinciam sub eo, & cum *Authore*, quærendo quid sit hæresis? cum plures ad materiam adducat diffinitiones, illam tantùm reporto, quòd sit scilicet *obstinata impugnatio alicuius articuli Fidei, cum pertinaci assertione contraria falsitatis.* Hæreticus autem, licèt diuersimodè diffiniatur, breuius est dicere, quòd sic ille, qui errorem aliquem habet contra Fidem cum pertinacia. Ex quibus constat, Hæresim pluribus modis committi, errorúmque plures esse species, & plures Hæreticorum Sectas reperiri. Secta nuncupatur à *sequor, eris*, & est propriè habitus animorũ, & propositum in malo circa falsam disciplinam; indéq; enim tales dicuntur Secti, id est separati, & diuisi ab vnitate Ecclesię, & Fidei.

Ad hoc, vt quis propriissimè dicatur hæreticus, quinque requiruntur; *Primò* scilicet, quòd professus fuerit Catholicam fidem: *Secundò*, quòd de Catholica Fide non omnia neget: *Tertiò*, quòd habeat errorem in intellectu: *Quartò*, quòd talis error sit in illis, quæ sunt Fidei ad consequendam vitam æternam: *Quintò*, quòd talem errorem pertinaciter defendat. Alij dicunt, duo requiri; error scilicet in Fide, & pertinacia. Alij verò requirunt tria, scilicet falsam credulitatem, irrationabilem, & peruersam voluntatem in Concupiscibili, impugnationis pertinacitas ex parte Irascibilis. Et Alij demum dicunt Quatuor, si scilicet, vt sit Baptizatus, & Christi fidem professus: 2. vt pertinax sit in credendo falsum: 3. vt aliquam fidei sententiam credat, aliquam neget: 4. vt habeat errorem in mente.

Hæreticus duplex est, scilicet affirmatiuus, & negatiuus. Affirmatiuus est ille, qui errorem, qui habet in mente, aut verbo, aut factis ostenditur, & fatetur. Negatiuus, qui legitimis testibus conuictus de Hæresi, constanter in Negatiua persistit, verbóque Catholicam fidem profitetur, qui propterea tamquam impœnitens Curiæ sęculari traditur, tribus concurrentibus, scilicet, quod verba, seu facta ab accusato probata, & gesta, apertè sint hæreticalia, nec alium sensum habere possint, quam Hæresis: 2. quòd de dictis verbis, aut factis hæreticalibus per Testes contestes, & omni exceptione maiores sit conuictus: 3. quòd constet, eundem accusatum asseruisse prædicta verba, seu facta hæreticalia se credere, & ab aliis credenda esse. Alia, & principalis affertur Hæreticorum distinctio: aliqui enim dicuntur Hæretici propriè, alij impropriè, alij propriissimè: & sic aliquando dicuntur largè sumpto vocabulo, aliquando verò strictè: & hinc sequitur excommunicatum, largè, & impropriè dici hæreticum: idem de Simoniaco: sed veritas est, quòd iste non sit Hæreticus, nisi credat licitum esse spiritualia emere, & vendere.

Vnde dicatur hæresis? Varij varia tradiderunt, *Author* verò dicit denominatam à verbo Græco αἱρέσις quòd *electionem* significat, quasi quod sit ille, qui sibi beneuisam credulitatem eligit, vt ex D. Hieronym. *in Epist. ad Galat.* Hæresis enim nomen olim, nec turpe, nec odiosum erat, quia nil aliud significabat, quam *Sectam*, seu *electionem*: hodie verò turpe, odiosum, & infame est; cùm significet falsam contra Fidem opinionem: vsque ad *n.* 43.

EX QVÆST. CLXXVIII.

§. II.

ARGVMENTVM.

De multis casibus particularibus, ex quibus quis hæresim incurrit.

HÆRETICVS propriè est, qui malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ, alitérque credit de Articulis Fidei, quàm credat Ecclesia Romana. Articuli Fidei sumuntur strictè, largiùs, & largissimè: strictè sumpti sunt illi, qui reperiuntur expressi in Symbolo Apostolorum: largiùs veniunt omnes diffinitiones factæ per Romanos Pontifices, & Concilia: largissimè verò, secundùm quod Articulus respicit omnem veram sententiam circa Fidem, etiam nondum diffinitam: ideóque Hæreticus dicitur ille, qui nouas, & falsas opiniones, nouásque Sectas, peruersáque dogmata gignit, vel sequitur: necnon ille, qui sacram Scripturam sciens volénsque, contra sensum Ecclesiæ Romanæ interpretatur. Sic & Hæreticus est, qui asserit, peccatum esse, Imagines Sanctorum venerari: Papam non habere potestatem concedendi Indulgentias plenarias ad remissionem pœnæ debitæ in Purgatorio,

debitis circunſtantiis ſeruatis : vel aſſe-
rens, non habere poteſtatem in tempora-
libus, neque abſolutè, neque in ordine ad
ſpiritualitem. Aſſerens Excommunicatio-
nes Papæ, & Prælatorum non eſſe timen-
das : diſpenſationes ſummi Pontificis non
eſſe ſeruandas: Papam non habere poteſta-
tem condendi Canones, nec illis obedien-
12 dum. Qui falſa aſſerit in materia animæ,
ſcilic. quòd ſimul cum corpore moriatur:
non dari Paradiſum, nec Infernum: quòd
anima ſit ſanguis, generetur ex præexiſten-
ti materia, & ex traduce : quòd ſubſtantia
animæ rationalis, ſeu intellectiuæ non ſit
forma per ſe humani corporis : quòd tra-
ducatur de corpore in corpus : quòd ani-
ma ſit aut Dei ſubſtantia, aut ex Dei ſub-
ſtantia: quòd non à Deo immediatè cree-
tur: quòd animæ impiorum poſt mortem:
vel in Dæmones, vel in alia animalia ſuis
meritis congrua, tranſeant : quod anima
cum corpore moriatur, & cum eodem
corpore ſit reſuſcitanda in die Iudicij :
13 quòd anima ante creatum corpus pecca-
uerit, & ex pœna peccati in corpus in-
cluſa fuerit, quaſi in carcere. Similiter
Hæretici ſunt negantes liberum Arbi-
trium ; aſſerentéſque, prædeſtinatos à
Deo non poſſe mutare voluntatem ideó-
que iis, neque nocere mala, neque prode-
ſſe bona. Idem de credentibus, iuſtum
14 poſſe ſcire certò ſe eſſe prædeſtinatum,
vel dicentes, fato omnia regi ; ſic & ille,
qui deuiat à Fide in leui Articulo, leuitas
enim Articuli, quantum ad materiam
Fidei, non excludit hæreſim, licèt pœna
mortis non imponatur, ſed alia mitior,
15 Iudicis arbitrio Hæreticus in vno articulo
poteſt dici ſimpliciter verè, & propriè hæ-
reticus in omnibus : provt Hæreticus præ-
ſumitur ille, qui in publicis prædicationi-
bus concitando turbam contra Clerum,
aſſerit, Laïcos ſoluendo Decimas Clericis,
aut eis confitendo, & dando oblationes,
peccare, cùm omnes Clerici ſint mali, &
16 de Eccleſiis remouendi. Hæreticus pariter
eſt, qui dixit duas vxores, ſic credens,
poſſe duas vxores duci ſimul : præcipuè
quando eas duxerit publicè, & palàm : &
è contrà, ceſſat ſuſpicio hæreſis: & hoc cri-
men efficitur mixti fori, quando error non
adeſt in intellectu : & quæ dicuntur de
Viro ducente duas vxores, procedunt etiã
in ſcienter nubente cum aliena vxore, &
prædictis Inquiſitores imponunt pœnas
17 extraordinarias. Hæretici inſuper reputan-
tur, & contra eos Inquiſitores inquirere
poſſunt, qui pertinaciter aſſerunt, licitum
eſſe furari, adulterari, & occidere : ſic &
blaſphemare conſuetus, licèt largo modo
Hæreticus dicatur, ſi tamen monitus blaſ-
phemare non ceſſet, tunc vt hæreticus re-
putatur, ſi blaſphemiam nõ eſſe peccatum
exiſtimet. Idem de eo, qui ſingulis annis 18
ſua peccata non confitetur, Sanctiſſimam
Euchariſtiam non ſumit, carnes diebus ve-
titis comedit in contemptum Eccleſiæ.
Generaliter verò Hæreticus non eſt, qui
malè ſentit de iis, quæ non ſunt Fidei, vt 19
exemplificari poteſt in eo, qui ſolem cre-
dit non eſſe maiorem terra, & iis ſimilia :
vſque ad *num.* 82.

EX QVÆST. CLXXVIII. §. III.

ARGVMENTVM.

*Hæreticus, an ſit, qui quod verè pecca-
tum eſt, aſſerit non eſſe peccatum,
& è contrà.*

ASSERENTES non eſſe peccatum, 20
quòd verè contra Dei præcepta
peccatum eſt, hæretici reputantur ; ſecùs ſi
dubitent in aliquo particulari caſu, & tene-
rent opinionem negatiuam, etiam fortè
non veram : provt hæreſis non eſt dicere
Iudæis, & inter Iudæos vſuras eſſe permiſ-
ſas, licèt Hæreticus ſit, qui aſſerit matri-
monium cum carnali copula eſſe peccatũ:
necnõ ille, qui obſtinatè iurare recuſat, cre-
dens, quod iurare peccatũ ſit : vſq; ad *n.* 90.

EX QVÆST. CLXXVIII. §. IV.

ARGVMENTVM.

Dubius in fide, an Hæreticus ſit, & quãdo.

DVBIVS in Fide, is ſcilicet qui non 21
magis ad vnam, quàm ad alteram
partem mentem applicat, Hæreticus eſt :
& dubius quinque modis dicitur, ſcilicet,
ſubreptitia probatione, veritatis elucida-
tione, imperfecta adhæſione, voluntaria
excitatione, pertinaci defenſione : dubius
enim in Fide, ſi in dubitatione perſiſtat,
non ſolùm dicitur Hæreticus, ſed Hæreti-
cus pertinax, & Apoſtata, licèt dubitet in
vno tantũ Articulo, ſed impropriè, & largo
modo ſumptus. Regula procedit in dubita-
tione, quæ habet pertinaciam animi, de-
liberationem, & placentiam in dubitando;

ſecùs

secùs si dubitatio procedat à scrupulo conscientiæ ex primis motibus, qui frequenter contra voluntatem accidunt: imò ille, qui post dubitationem se confirmat in Fide, & talibus motibus resistit, si sit in Charitate, meretur; sicut is, qui resistentiam facit stimulis carnis. Idem de eo, qui dubitans, non se firmat pertinaciter, sed paratus est se corrigere. Et in proposito scias quod differunt inter se dubitatio, titubatio, ignorantia, error, & nescientia: dubitans enim, applicat animum suum ad plura, & nescit quid eligat; ignorans est, qui nihil scit, sed scire debet; errat qui credit vnum, & est aliud; nescientia est, cum quis ignorat ea, quæ scire tenetur. 23 In non adhuc diffinitis, & determinatis ab Ecclesia, in quibus essent diuersæ opiniones, tunc non solùm dubitans, sed etiam deligens vnam, non est Hæreticus, dummodò paratus sit acquiescere illi opinioni, quam Ecclesia amplectitur. Ex quo *Dubius* reputandus est, qui dubitet de illis credibilibus, quæ directò ad Fidem spectant, & quæ quis explicitè scire tenetur; secùs si dubitet de credibilibus ad Fidem pertinentibus, & quæ explicitè credenda omnibus non proponuntur. Et tandem 24 Dubius in Fide, si omissa dubitatione partem Catholicam firmiter amplectatur, ad gremium Ecclesiæ recipiendus est, abiurata tamen priùs hæresi, in qua dubitatiuè pertinaciter insistebat: vsque ad *num.* 108.

EX QVÆST. CLXXVIII.

§. V.

ARGVMENTVM.

Disputare de Fide, an, quando, quomodo, & quibus liceat.

25 DISPVTARE de Fide non licet: eò minùs de mysteriis Fidei ab Ecclesia iam determinatis. Laïcus verò interdicitur hoc efficere, tam publicè, quàm priuatè sub pœna Excommunicationis, etiam quod sint Personæ doctæ, & literatæ: quinimò prohibitum est etiam Clericis. Non licet disputare de fide cum Hæreticis, & Infidelibus, nec de opinionibus Philosophorum tangentibus Fidem. Pœna verò talium Disputantium erit arbitraria iuxta qualitatem personæ, loci, & temporis. Et licèt Hæreticus non sit, qui in casu à iure non permisso disputat de Fide; attamen Hæreticus esset, si assertiuè, non autem dubitatiuè aliquid falsum assereret: sed Excommunicatio, quam incurrunt Laïci disputando de Fide non imponitur ipso iure, quia requirit citationem, monitionem, & sententiam. Et quamuis cum Hæreticis disputare prohibitum sit; laudabile tamen est, contra Hæreticos scribere. Permittitur cum Hæreticis disputare, doctis, & eruditis Theologis, non vt in dubium reuocent Fidem, sed vt Hæretici conuincantur: eisdémque Theologis non prohibetur inter seipsos disputare exercitij causa, & vt eruditiores ac disertiores euadant, præcipuè Theologis, quibus pùblicum docendi munus authoritate publica demandatur, provt sunt DD. & Professores diuinarum literarum, & sacrorum Canonum, quibus licèt de fide, & publicè, & priuatè disputare; non quia, vt ea quæ semel diffinita sunt, dubia reddant, vel retractent, sed vt ea potiùs, & omnem veritatem Catholicam confirment, & nouos subinde nascentes errores confutent. 26 27

Sed vbicunque cum Hæreticis, & Infidelibus disputatio licita est, ad disputandum non admittuntur, nisi idonei, sufficienter instructi, & firmi in fide; ac dummodò disputetur coram Auditoribus doctis, & sapientibus; secùs coram simplicibus, & idiotis, coram quibus periculosa est disputatio, nisi isti simplices essent sollicitati ab Infidelibus, qui niterentur eos corrumpere, quia tunc coram ipsis permissa est; quinimò, & necessaria disputatio: vsque ad *n.* 127. 28

EX QVÆST. CLXXVIII.

§. VI.

ARGVMENTVM.

Iudæi, & Infideles contra Fidem sentientes, an sint Hæretici, & contra eos possint Inquisitores procedere.

IVDÆI, & Infideles, quamuis contra Fidem sentiant, Hæretici non dicuntur, nec pœnas contra Hæreticos statutas incurrunt; ideóque Inquisitores eos processare non possunt. Alij contrà. *Author* verò conciliando dicit, quod sint Hæretici impropriè, & largè sumpto vocabulo. Extende Regulam ad Cathecume- 29

num, qui constanti animo Baptismum suscipere statuit, quod si postea in Hæresim lapsus fuerit, Hæreticus propriè non di-
30 citur, nec vti talis punitur. Inquisitores verò non possunt procedere contra Iudæos delinquentes, nisi quando contra Fidem nostram, in eiúsq; vilipendium & contẽptum aliquid committant, seu in contumeliam Creatoris, vel Ecclesiæ; aut impediant sanctum Officium aliquo modo. Quod si Iudæi, & alij Infideles spontè Christiani facti, iterum ad Iudaismum redeant, tamquam Hæretici puniuntur, & condemnantur in pœnam capitis, & confiscationis bonorum.

Cognoscuntur ipsi Reiudaïzantes si-
31 gnis exterioribus per decem infra scripta; 1. quando Iudæus baptizatus, rebaptizatur à Iudæis. 2. quando celebrat solemnitates, & festiuitates Iudæorum. 3. quando defendit Iudæorum errores. 4. quando vtitur nomine sibi imposito in Iudaïsmo. 5. quando pertractat negotia solita à Iudæis pertractari, provt est exercitium vsurarum; 6. quando est de ratione eorum, qui ad Iudaïsmum redierunt. 7. quando ad remo-
32 tas migrat regiones sine literis patentibus sui Episcopi. 8. quando natus ex iam baptizato apparet circumcisus. 9. quando cum tota familia proficiscitur ad remotas Regiones, vbi commorantur multi Iudæi. 10. quando sic ad remotas Regiones transmigrando conatur euitare vrbes, & oppida Christianorum, eundo per itinera insolita, & se occultando quantum potest. Et in proposito Iudæi, & alij Infideles bapti-
33 zati, si priores ritus seruent, compellendi sunt ad illos deserendum & obseruandum Christianæ fidei ritus, etiamsi fuerint effecti Christiani dum erant infantes: quinimò etiamsi fuerint coactè baptizati, & effecti Christiani. Sic & puniuntur, vti fau-
34 tores, receptatores, & auxiliatores hæreticorum, Infideles receptantes, fauentes, seu auxilium præstantes Christianis ad Iudaïsmum transeuntibus, vel redeuntibus, pœna arbitraria: verùm si ijdem Iudæi receptant Christianos transeuntes ad Iudaïsmum, cùm soleant eos exbaptizare, & de nouo lauare, quod *Purificationem* vocant, & publicè caput radere, tunc puniuntur pœna capitali, & confiscatione bonorum. Et licèt Iudæi contra fidem Christianam delinquentes, non sint Hæretici, attamen si errent in illis, quæ etiam Christianæ fidei sunt communia, & conueniunt; Hæretici reputantur, & ab Inqui-
35 sitoribus puniuntur. Verùm Inquisitor sine Episcopo, & Episcopus sine Inquisitore non possunt punire Iudæos, quando committunt aliquod crimen, pro quo sint subiecti Iurisdictioni Inquisitorum, & tamquam Hæretici puniendi sint: vsque ad *n.* 148.

EX QVÆST. CLXXVIII. §. VII.

ARGVMENTVM.

Protestatio an, & quando excuset protestantem ab Hæresi, & illius suspicione.

PROTESTATIO est confessio quædam, qua declaratur quid Protestans de Fide sentiat; seu est religiosa, & modesta deprecandæ impietatis, & pertinaciæ cautio, animi vestri declaratoria, & certificatoria. Regula ergo proponitur, quod protestatio excuset Protestantem; & ideò, si quis aliquid hæreticale asseruerit, dubitans in fide errare, protestetur non intelligere se à fide recedere, se corrigere paratum exhibere, & sanctæ Ecclesiæ iudicio submittere, tunc ista protestatio excusat, & præseruat ab omni hæresis crimine; prodéstque illi qui erroneum librum conscripserit, quia licèt liber damnandus veniat, non tamen erit damnandus *Author*. 36

Non iuuat Protestantem, quando faciat contrarium eius, quod protestatur: & si- 37
cut excusat in iis, quæ quis explicitè credere non tenetur, sic in illis non prodest, quæ explicitè credere obligamur. Hæc in foro fori; secùs in foro conscientiæ, in quo protestatio pio animo facta excusat ab hæresi, quamuis protestans errauerit in iis, quæ explicitè scire tenetur. Non excusat pariter quando quis à Iudice monitus, & certioratus, quod hæresim di-
cit, ab ea recedere nolit: quia sicut iuuat 38
vbi verba sunt dubia, & mens loquentis, aut scribentis, ambigua; sic non prodest quando versamur in claris, & pertinaciter in errore perseueratur. Quare ab Inquisitoribus diligenter perquirendum est, quo animo huiusmodi protestationes fiant, & quantum illis credendum sit, remissum est arbitrio Iudicis. Quinimò iste Protestans corripiendus est per reuocationem erroris, ne Matris Ecclesiæ disciplina deseratur, & reuocatio fieri debet, non sub nomine Erroris, sed Retractionis, aut simili modo de-
notante temerè, vel minùs considerate di- 39
xisse, & quod propterea tale dictum improbat: vsque ad *n.* 161.

EX

EX QVÆST. CLXXIX.
§. I.

ARGVMENTVM.

Hæreticus an sit, qui falsum opinatur, credens sic ab Ecclesia teneri.

HÆRETICVS non est ille, qui falsò
1 aliquid opinatur, credens sic ab Ecclesia teneri, dummodò paratus sit corrigi, vbi in errorem se lapsum cognoscit. Alij cõtrà. Sed prima opinio verior. Credulitas verò secundùm propositam Regulam, non excusat errantem in Articulis fidei contentis in Symbolo, quos quilibet explicitè scire tenetur; & in aliis obligatur errorem suum reuocare, etiam sibi iuncta aliqua
2 pœnitentia; ac etiam est torquendus super prætensa credulitate, & intentione, concurrentibus indiciis, & circumstantiis: vsque ad *n.* 8.

EX QVÆST. CLXXIX.
§. II.

ARGVMENTVM.

Simplicitas, an, & quando excuset ab hæresi, & illius pœna.

ERRANS per simplicitatem sic
3 credens teneri ab Ecclesia, excusatur ab hæresi: eò magis rusticus, idiota, & simplex errans in Fide, si sic errauerit credendo alicui Viro docto, & ab eo deceptus, nisi monitus pertinaciter erroribus adhæserit. Eóque fortiùs excusatur si in Fidei subtilitatibus errauerit, nisi constanter peruersæ doctrinæ adhæreat, ideóque simplicitas, & ignorantia excusat ab Excommunicatione, nisi erronea credulitas sit circa Articulos fidei: ex quo non excusat in crimine Schismatis, cum quilibet scire debeat, quod diuisio ab Ecclesia Romana, magnum est crimen. Nec etiam ex-
4 cusatur simplex persona, pertinacia, & impœnitentia concurrentibus; tenetur enim monita, vel dubitare incipiens, Peritiores consulere, & cauta sollicitudine veritatem quærere: quòd nisi efficiat, non in totum excusata culpa, mitiùs de hæresi punitur: vsque ad *n.* 23.

EX QVÆST. CLXXIX.
§. III.

ARGVMENTVM.

Ignorantia, an, & quando excuset errantem in Fide.

IGNORANTIA excusat in cri-
5 mine hæresis, qui enim ignorat, non consentit; & sine consensu, & voluntate, hæresis crimen non committitur; præsertim si ignorantia cadat in iis, quæ quis explicitè scire non tenetur: & eò fortiùs si fuerit insuperabilis, & inuincibilis; sed quia talis non præsumitur, ideò ignorantia veniens ex lata culpa, seu ignorantia crassa, & supina, quæ talis dicitur cùm facillimo negotio superari possit, non excusabit; eóque magis, si sit affectata, & in iure naturali; cùm non cadat in iis, quæ quis explicitè scire tenetur, vt sunt Articuli fidei in Symbolo contenti. Ex- 6
cusat tamen ab hæresi, & illius pœna, quamuis non excusetur à peccato, si pertinacia careat: & tamen debet errores suos reuocare purè, simpliciter, sine conditione, voce sua, & constanti asseueratione; sed tamen non tenetur fateri sic errando peccasse contra fidem Catholicam, saltèm mortiferè, nec post reuocationem Reuocanti pœnitentia iniungenda est; 7
quamuis tutius fortè erit aliquam imponere: ac tandem concludas, quòd ignorantia non excusat in crimine Sortilegij: vsque ad *num.* 39.

EX QVÆST. CLXXIX.
§. IV.

ARGVMENTVM.

Sine intentione hæretica, & praua, hæresis non committitur: quando hoc verum sit? Et quid de hæresi commissa iocosè, lubrico linguæ, per iram, aut simili modo.

HÆRETICVS est, qui seriò, & ma-
8 la intentione hæreticalia verba prò-fert; secùs si iocosè, lubrico linguæ, inaduertenter, ex ira, & subitaneo impetu, aut propter magnam animi perturbationem,

& commotionem, seu corporis dolorem proferat. Sic nec hæreticus dicitur qui iocosè asseruerit, quod habebit vxorem in alio sæculo, dummodò se statim correxerit; & hæc, vel similia dicens, grauiter reprehensus, & admonitus, vt in futurum caueat, nulla imposita pœnitentia, liber dimittitur. Regula proposita non
9 habet locum in profitente hæresim, & prædicante; quamuis dicat non credidisse hæresim prædicare; quia in dubio hæreticalia verba proferens, & multò magis hæreticalia facta exercens, habet contra se malæ intentionis præsumptionem. Hæ-
10 reticales ritus, & cæremonias fecisse fatens, credulitatem autem, & intentionem, errorémque in intellectu sub prætextu ignorantiæ, & inaduertentiæ prorsus negans, hæreticus est; & super intentione torquendus, nisi aliunde sit conuictus, quia tunc esset puniendus: verùm si in primo casu tortus persistat, adhuc tamquam suspectus de hæresi leuiter plectendus. Mala verò intentio probatur ex coniecturis, ex qualitate verborum, & factorum. Sublimitando modò propositam
11 Regulam, conclude vt hæreticalia verba proferens sine mala intentione, iocosè, lubrico linguæ, ex leuitate, fatua simplicitate, vel ex iracundia, impunis non euadere debeat, sed ei aliqua leuis pœna, vel pœnitentia sit imponenda, vt in posterum sit memor, ne labatur per lasciuientem sensum talia verba dicere: vsque ad *numerum* 66.

EX QVÆST. CLXXIX. §. V.

ARGVMENTVM.

Explicitè, & implicitè credere quid sit? quandóve, & quomodo quis teneatur explicitè credere, an verò sufficiat implicitè.

12 IMPLICITE credere, est simpliciter credere, quod credit Sancta Romana Ecclesia. Explicitè verò, est Articulos Fidei explicare, distinguere, & defendere. Explicitè creditur in genere, & in specie: in genere is credit, qui in genere credit omnes Articulos, & quemlibet Articulum esse verum, nullúmque falsum: in specie, quando vnum ab altero scit distinguere, & quemlibet sigillatim distinctè, & singulariter credit. Firmatur ergo Regula, quod Articulos Fidei quisquam, etiam Laïcus explicitè credere obligatur: quinimò dictos Articulos taliter scire, vt eos omnes memoriæ habeat, & retineat, eos scilicet, qui in Symbolo continentur: sed & Prælati, Rectores Ecclesiarum, Curati, Theologi, & similes obligantur, nedum 13
omnes fidei Articulos etiam largo modo sumptos explicitè scire, sed etiam illos defendere, eorúmque rationem reddere. Simplices Clerici, & Sacerdotes inferiores ipsi quoque tenentur explicitè credere sed & Laïci omnes Christiani explicitè scire, & credere tenentur omnes illas Fidei veritates, quæ sunt publicè apud omnes diuulgatæ; alios verò Articulos largè sumptos, respicientes diffinitiones factas à Romanis Pontificibus, & Conciliis, satis est 14
tantùm implicitè credere. Fidei nostræ credulitas alia est directa, alia indirecta, de qua *Author* loquitur remissiuè. Laïcus credere debet Articulos fidei contentos in Symbolo, eósque scire, non quidem communiter, & in confuso, sed distinctè, & singulariter, ità vt quoties de illis interrogatus fuerit sciat illos esse articulos Fidei: vsque ad *n. fin.* 84.

EX QVÆST. CLXXX.

ARGVMENTVM.

Libros Hæreticorum penès se retinens, quando, & qua pœna puniatur.

LIBROS Hæreticorum nemo penès se retinere potest, nedum eos legere, 1
aut describere: damnatos libros habens, statim eos comburere, vel Officio sanctæ Inquisitionis præsentare obligatur; quod si secùs, variæ, & diuersæ statutæ sunt pœnæ, mortis scilicet, capitis, deportationis, abscissionis manus, confiscationis bonorum, Excommunicationis, à qua vigore *Bullæ Cœnæ Domini*, nisi in mortis articulo, solus Summus Pontifex absoluere potest, & Sacerdotes absoluentes, grauissimè puniuntur. Retinentes, & legentes, dicuntur Hæreticorum fautores, ac de hæresi suspecti, 2
talísque suspicio, & præsumptio quandóque dicitur vehemens, & sufficiens ad exigendam purgationem, & abiurationem arbitrio Iudicis, expendendo personarum, & librorum qualitatem, aliásque circumstantias. Quinimò etiam Iudæis, aliísque Infidelibus prohibita est librorum Hæreticorum

ticorum, & damnatorum retentio, sancitum ex *Constit. Iulij III. de Anno* 1544. in qua Iudæi sub pœna pecuniaria, confiscationis bonorum, corporalis, & vl-
3 timi supplicij, tamquam à fide Christiana apostatantes, prohibentur, ac præcipuè, vti libro *Talmud*, cum suis glossis iunctis *Constitutionibus* Plurium Summorum Pontificum, statuentibus esse comburendum. Retinentes, & Legentes tales Hæreticorum libros, Excommunicationis vinculo innodantur, cuiuscunque dignitatis existant; etiam Cardinales, Imperatores, & Reges. Quinimò talis excommunicatio incurritur etiam ab eo, qui Hæreticorum libros legere incepit, & deinde pœnitentia ductus desiuerit: & multò magis
4 falsantes, seu corrumpentes libros Catholicos, illísque hæretica dogmata immiscentes: ac præcipuè reputari debent fautores Hæreticorum, & vti tales puniendi deferentes istos prohibitos libros de Terris hæreticis ad Prouincias Catholicas, illos Componentes ex proposito, qui tamquam veri Hæretici reputantur.
5 Scriptores librorum damnatorum, & Hæreticalium, dicuntur de Hæresi suspecti, eorum Impressores excommunicantur ex *Constit. Pij IV. de*
6 *Anno* 1564. Retinens autem libros hæreticales sine nomine, nisi Authorem ostendat, ipse præsumitur Author; oritur inde vehementissima hæresis suspicio sufficiens ad torturam; quod si nolit abiurare, pro hæretico condemnatus est. Damnatus Author propter hæresim, ipsiúsque libri damnati censentur, sed non incurritur pœna Bullæ *Cœnæ Domini*, eos legendo, nisi hæresim contineant. Prohibitio retinendi extenditur, quamuis habeant in se aliqua vtilia, intelligendo de operibus erroneis, non autem de bonis, & Catholicis, quæ damnata non intelliguntur: sed hæc
7 Declaratio hodie nihil iuuat, cùm adhuc retineri non possint ex *Constit. Summorum, Pontificum Iulij III. Pij IV. & Bullæ Cœnæ Domini*, nisi fuerint approbati à sede Apostolica. Extende ad retinentes libros Magorum & Sortilegorum ex *Constit. Pij IV. & Clementis VIII.* ex quibus reiiciuntur omnes libri, & scripta Geomantiæ, Hidromantiæ, Aëromantiæ, Piromantiæ, Onomantiæ, Necromantiæ, siuè alia, in quibus con-
8 tinentur Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspiciæ, & Incantationes Artis magicæ. Sic & retinens, seu legens vnum solum Hæreticorum librum, non solùm impressum, sed etiam manuscriptum, siuè magnum, siuè paruum, siuè etiam literas hæresim continentes: sed tales libros retinens, vel legens, nec est verè hæreticus, nec ex hac sola retentione vt hæreticus puniri potest; nisi pro hæresi aliæ concurrant coniecturæ, & præsumptiones. Potest tamen quis retine- 9
re libros Hæreticorum de licentia Papæ, quæ licentia verò ab Inquisitoribus concedi minimè potest. Episcopi verò, & Inquisitores hos libros retinere, & legere possunt ad confutandum eorum errores, licèt hodie solis Inqui- 10
sitoribus hæc facultas impartiatur. Excusantur retinentes, seu Legentes ignoranter huiusmodi libros: vsque ad *n.* 50.

EX QVÆST. CLXXXI.

§. I.

ARGVMENTVM.

Sortilegia qualia sint hæreticalia, & qualia non, & de eorum pœnis.

SORTILEGVS est qui per sortes inquirit futura contingentia, vel 1
præsentia, & præterita, quæ per naturam cognosci non possunt. Sortilegij nomen generale est, sub quo continentur Diuinatores, Incantatores, Sortilegi, Idololatræ, Magi, Arioli, Aruspices, & alij: ex quo Regula firmatur, quod sortilegi hæreticales, hæreticaliáque sortilegia fabricantes, vt hæretici puniuntur ab Inquisitoribus; quando præsertim sortilegia sapiunt hæresim manifestè, & hæreticale dicitur sortilegium quotiescunque à Dæmone exquiritur, & petitur aliquid, quod soli Deo reseruatum est, nec Dæmonis potestati tributum, ac vbicunque à Dæmone perquiruntur futura; sed in proposito, per Bullam Sixti V. *in ordine* 21. *Bullar. p.* 1. *fol.* 52. 2
in qua non solùm damnantur sortilegia, diuinationes, & incantationes ad futura præsciendum fabricata, sed etiam Astrologia iudiciaria, Chiromantia, & his similes artes, seu scientiæ. Verùm 3
hæc procedunt, quando Dæmon consulitur ad futura scienda, quæ per naturam sciri non possunt, qualia sunt omnia, quæ à mero, & libero hominis arbitrio pendent, & quæ Deus posuit in

ſua poteſtate, & ſunt triplicis generis. Primò, quæ ſunt ſupernaturalia myſteria, gubernationes, mutationes Regnorum, & rerum publicarum. Secundò, ea quæ dependent ex arbitrio humanæ voluntatis, vt quid cras ſim facturus, vel cogitaturus. Tertiò, ea quæ omnino, & propriè ſunt futura contingentia, & determinatam cauſam non habentia: hæc igitur futura Dæmon præſciendi facultatem non habet; ſecùs, ſi quæ à
4 Dæmone quis ſcire cupit, ſint talia, quæ illius notioni ſubdantur, vt Eclipſis, ſterilitas, & fertilitas Terræ, aut iis ſimilia, quæ in cauſis naturalibus continentur, de quibus Dæmones interrogans, non reputatur Hæreticus, quamuis
5 grauiter peccet. Inquirens à Dæmone prorſus occulta, æquiparatur, ac ſi perquireret ſcire futura: ſic & quando à Dæmone perquiruntur ſecreta cordis alicuius. Sunt, & reputantur hæreticalia ſortilegia facta cum inuocatione, ſeu interrogatione Dæmonis pro inueniendis furtis: non tamen ſapit hæreſim quærere cum inſpectione Aſtrolabij, ſine Dæmonum inuocatione. Dicitur hæreticale factum pariter ad inuenienda furta, vel ſciendum alia occulta, quando accipitur phiala aqua plena, & ante eam ponitur puer, vel puella virgo cum candela, ſeu cereo accenſo, reſpiciens dictam aquam di-
6 cendo iſta verba, videlicet: *Angelo bianco, Angelo Santo, per latua Santità, per la mia Verginità mõſtra mi chi hà tolta la tal coſa, & che ne hà fatto.* Alij dicunt tale ſortilegium hæreſim non ſapere. Hæreticale benè eſſet, & in eo locum haberet pœna hæreſis, quando Dæmon inuocaretur ad ſe transformandum in alias ſpecies, cùm id facere non poſſit; vel quando in ſortilegiis miſcerentur Sacramenta, præſertim ſi interueniret abuſus Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, hoc enim caſu intraret pœna mortis, & ſimiles ſortilegi traderentur Curiæ ſæcu-
7 lari. Immiſcens ſacrum Chriſma, & Oleum ſanctum, hæreſim non committit, niſi imploret auxilium Dæmonis ad ea, quæ de ſui natura facere non poteſt.
8 Hæreticale eſt quando aliquis Puer rebaptizatur, ſeu baptizatur hominis cadauer, vel baptizantur imagines, ſi ſic baptizans habeat errorem in intellectu, malè ſentiens de Sacramẽto Baptiſmatis, & in dubio talis error præſumitur. Hæreticale pariter eſt, Dæmonem tenere ligatum in annulo; quamuis falſum ſit, quod Dæmones cogi poſſint ab hominibus ſtare ligati in annulo, vitro, pixide, vel alia re; licèt Dæmones ſic captos, & vinctos ſe ſimulent, vt credentes decipiant. Intendens charac-
9 teribus, & ſignis ignotis, Hæreticus largo modo dicitur: & eò magis ſortilegia, & præſertim hæreticalia punienda ſunt, quæ fabricantur ad nocendum hominibus, animalibus, & ſegetibus; provt damnata, & prohibita ſunt ad curandum morbos: quod ſi pacta fiant cum Dæmone, verè ſapiunt manifeſtam hæreſim. Hæreticale enim ſortilegium eſt omne illud, in quo aliquis Hæreticus interuenit.

Magicam artem exercentes, ſeu Hæ-
10 reticales ſortilegi, vt Hæretici habendi ſunt. Magia enim diſtinguitur in duas ſpecies; vna ſcilicet vera & naturalis, ex occultis rerum naturis, & virtutibus profecta, ab omni ſuperſtitione, & hæreſi aliena, paucis tamen nota: altera omni ratione, & veritate vacua, fallax, & noxia, Dæmonum fraudibus, & maleficiis implicata, abominabilis, & damnata. Computatur inter hæreticalia ſor-
11 tilegia, Superſtitio, quæ eſt *Sententia contra fidem, ratione adinuentionis quaſi ſuperflua inſtitutio:* & poteſt eſſe Hæreſis, ratione adhæſionis; & etiam Secta, ratione defenſionis. Differt ab Hæreſi, & à Secta, quia hæreſis inducit præſumptionem, & deliberationem, falſíque adinuentionem; Secta ſuperaddit imitationem, ſuperſtitio diuturnitatis inueterationem: & quia ſuperſtitio dicitur à *ſuperſtitibus*, ideſt *ſenibus*, qui multis annis ſuperſtites per ætatem delirant, quia ſenes ſuperſtites delirare dicuntur; ſic & Hæretici: qua propter Hæreſis dicitur ſuperſtitio. Propriè verò ſuperſtitio dicitur à *ſuperſtando*; ſi-
12 cut enim in fide intellectus captiuatur, ità etiam errore inflatur, & eleuatur.

Superſtitionis autem crimen pluribus modis committitur, nempè per obſeruationem ſeu cultum Idolorum, per obſeruationem temporis in conſtruendis ædificiis, aliiſque negotiis peragendis, pacta ineundo cum Dæmonibus,
13 vel ſtrictiùs viuendo quàm ſint mores eorum cum quibus quis inhabitat. Omnes ſuperſtitionum ſpecies, ſecundum diuerſos fines cultui diuino aduerſantur: aliæ enim aduerſantur reuerentiæ Dei, vt Idololatria: aliæ verò aduerſantur, vt homo inſtruatur à Deo, provt eſt ſuperſtitio diuinationum, & conſultationum

tationum è Dæmone : & aliæ demùm aduersantur directioni humanorum
14 actuum, secundùm præcepta Dei, sicut superstitio observationum. Superstitiosum, & impium est, somniis credere: sic & credere, alias dies fortunatas, alias autem infelices esse: Deus etenim eodem modo fecit omnes dies. Superstitiones non omnes sapiunt hæresim, sed illæ dumtaxat, quæ mala intentione creduntur; vt cùm Creaturis, putà, tempori, numero, loco, personis ac cæremo-
15 niis plus tribuimus, quàm Deo; firmiter credentes, aliter quàm cum illis superstitionibus non posse obtineri quod est in votis : ex quo si in superstitione quis exerceat actum, vel dictum hæreticale, tunc superstitio dicitur sapere manifestam hæresim; secùs si simpliciter exerceatur absque Dæmonum tacita, vel expressa pactione, nec adhibeatur ad Magiam, Necromantiam, Piromantiam, Astrologiam, & similia exercenda.

Vt hæreticus punitur, & tamquam
16 talis puniendus est, impius ille sortilegus, qui Corpus Christi sacratissimum in luto conculcare, & deturpare ausus est. Lamiæ verò, seu Striges, Hæresis crimen incurrunt. Harum lectæ sunt triplicis generis, Hæresis scilicet, superstitionis, & Illusionis : vt plurimùm sunt Apostatæ à fide Catholica, eò quia coram Diabolo Christum abnegarunt, Ecclesiæ sancta Sacramenta
17 conculcarunt, & Diabolo obedientiam promiserunt. Sed istæ Lamiæ si pœnitentes veniam petant, & ad Ecclesiam ex corde redire velint, sunt recipiendæ, nec Curiæ sæculari tradendæ, quamuis infantes occiderint, seu alia atrociora, & nefanda crimina perpetrauerint. Sic & sortilegium hæreticale est, quando sacra in eo immiscentur; & illud, in quo homines ligantur ne valeant vxores cognoscere.

Clerici sortilegi verbaliter degradan-
18 tur seu veriùs arbitraria pœna puniuntur : sic pariter & Laïci arbitrariè mulctantur, nisi talia sortilegia sapiant manifestam hæresim : & insuper sunt excommunicati ipso iure. Chiromantiam profitentes non sunt hæretici, nisi insimul Dæmonem inuocent, aut necessariò aliquid futurum indicent : sic pariter de Astrologis, quamuis per Astra,
19 illicita arguant. Necromantia est penitus improbata, ac illi credens, est peior Infideli pagano, & ex *Bulla præcitata Sixti. V.* expressè damnantur facientes natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, fortuitísque casibus, aut actionibus ex humana vo- 20
luntate pendentibus, aliquid affirmare audeant. Augures, Diuinatores largo modo, indirectéque reputantur Hæretici : vsque ad *num.* 66.

EX QVÆST. CLXXXI.

§. II.

ARGVMENTVM.

Adorare, & inuocare Dæmones, an, & quando Hæreticale sit de pœna, materiáque adorationis, & inuocationis Dæmonis.

SORTILEGIA in quibus Dæmonum adoratio interuenit, aut 21
per modum sacrificij oblati, aut per modum precum, & missarum, per honorem Latriæ, & duliæ, aut aliàs quoquo modo, sapiunt hæresim manifestam : & propterea huiusmodi sortilegos obedientiam, & reuerentiam exhibentes Dæmonibus, vt hæreticos puniendos esse ab Inquisitoribus, statuit Adrinus VI. *in sua Extrau. edit.* 1573. Dæmones enim adorantur, aut per honorem *Latriæ*, aut *Duliæ*. Honor 22
Duliæ exhibetur duplici de causa. Primò, in signum sanctitatis. Secundò, in signum regiminis, iurisdictionis, vel potestatis. Inter Latriam, & Duliam hæc est differentia; quòd honor Latriæ est ille, qui Deo debetur; honor verò Duliæ, qui Sanctis, & beatis Spiritibus exhibetur. Triplex adorationis genus distinguitur, Latriæ scilicet, Duliæ, & Hyperduliæ, Latria est *cultus supremus Deo debitus* : vel, *summæ veneratione* 23
cultus soli Deo exhibendus : vel, est *voluntaria professio diuinæ Maiestatis*; Dulia est, *honor, vel cultus, qui exhibetur Creaturæ ratione excellentiæ singularis sibi communicatæ à Deo*; Hyperdulia, est cultus inter vtrumque medius, latria quidem inferior, sed maior Dulia : & ex hac veneramur Sanctissimam Virginem, veri Dei matrem, cui non qualiscunque Dulia debetur, sed illa, quæ per duliam propius ad latriam accedit.

Offerens sacrificia Idolis, aut illis honorem diuinum tribuens, ipso facto hæreticus

23 hæreticus censetur. Sic & circulos faciens in terra, illósque aliquibus signis muniens, puerum in medio ponens, aut quid simile faciens, & Dæmonem inuocans : & generaliter Hæretici reputantur Dæmoni obedientes in iis, quæ in fidei Christianæ oppobrium redundant : ex quo hæreticale est, Dæmonem inuocare, vel postulare, ad aliquod suffragium, vel auxilium, eiúsque responsa petere, quamuis sine adoratione ex Bulla Sixti V. 21. *Bullar. p.1. fol.52.* per quam datur facultas Inquisitoribus contra istos Sortilegos procedendi, quando adest error in mente, scilicet, quod Dæmon possit facere illud, ad quod inuocatur eius potestate
24 actiua totaliter. Adorantes ergo Dæmones, & eius sacrificantes, malè tamen sentientes de fide, vt putà credentes, quod cultus Latriæ, seu Duliæ sit illis exhibendus, vel quod omninò in tali adoratione, & cultu consequantur: quod à Dæmone petunt, non obstante Dei prohibitione, Hæretici reputantur & vt Hæretici puniuntur ; secùs si hoc faciant, non malè sentientes de fide, nec sic vt supra credentes de Dæmone,
25 sed vt aliquo pacto inito cum Dæmone, faciliùs assequantur, quod intendunt, tunc enim non sunt hæretici, licèt grauissimè peccent : vsque ad *num.*80.

EX QVÆST. CLXXXI.

§. III.

ARGVMENTVM.

Sortilegia ad tentandum alicuius pudicitiam fabricata, an sint hæreticalia, & de eorum pœnis.

26 SORTILEGIVM non dicitur hæreticale, quando exquiritur à Dæmone, vt alicuius mulieris pudicitiam tentet, licèt turpe, & peccatum mortale grauissimum reputetur ; non enim tunc aliquid requiri dicitur, de quo potestatem non habeat, imò eius proprium sit, homines tentare, & ad peccandum prouocare : generaliter ergo præbens pocula amatoria, non est Hæreticus, cùm hoc sit crimen de per se, & non punibile pœna hæresis ; sed alia
27 pœna. Idem imagines faciens ad amorem prouocandum, potiùs videtur superstitiosus, quàm Hæreticus : sunt tamen similia sortilegia prohibita tàm de Iure Canonico, quam Ciuili : eadem fabricantes, sunt vehementer de hæresi suspecti, & propterea contra eos Inquisitores procedunt: quinimò si sic agentes, & ob id inuocantes Dæmonem, crediderint, ipsos Dæmones posse facere id, ad quod implorantur, esset hæresis manifesta. Similiter quando inuocando 28
Dæmonem ad actum luxuriæ, ipséque adueniens dixisset inuocanti, quod spueret in Crucem ; & inuocans, Dæmoni obediens id efficeret absque pœnitentia cordis, hæreticus esset ; si timore Dæmonis, non totaliter à fide recedendo, scelus illud horrendum patraret.

EX QVÆST. CLXXXI.

§. IV.

ARGVMENTVM.

Sortilegiorum Iudex quis sit, an Inquisitor, an verò Ordinarius Ecclesiasticus.

INQVISITORES non cognoscunt de sortilegiis, & diuinationibus, 29
quia in dubio non præsumuntur hæreticalia, & à Iudicibus sæcularibus ea tantummodo sortilegia puniuntur, ex quibus proueniunt homicidia, cædes animalium, & alia damna in præiudicium iustitiæ sæcularis, & Reipublicæ. Hoc crimen est mixti fori, quapropter absolutus in Curia sæculari, nisi fuerit sufficienter punitus, poterit Iudex Ecclesiasticus maiorem & congruentem pœnam infligere : & è contra si Maleficus, & Sortilegus fuerit leuiter castigatus à
Curia Ecclesiastica, poterit tunc Iudex 30
sæcularis seueriùs punire, & damnare, etiam ad mortem ; neque tunc censetur quis pro eodem crimine bis punitus, quia vtraque punitio pro eadem continuata habetur. Sortilegia verò, quæ sapiunt manifestam hæresim, ab Inquisitoribus puniuntur: & manifestam hæresim sapiunt illa, quæ sine aliqua hæresi exerceri non possunt, vel quæ prima fronte præ se ferunt odorem hæresis: sed hodie omnis difficultas cessat ex
Constit. Innocentij VIII. edit. 1484. ex qua 31
conceditur

conceditur Inquisitoribus potestas procedendi contra Maleficos, non solùm à Catholica fide deuiantes; abutentésque Dæmonibus incubis, & succubis,
32 fidémque in sacri Baptismi susceptione habitam abnegantes; sed etiam contra eos, qui suis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, aliísque nefandis superstitionibus, & sortilegiis, mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas, arborum fructus; nec non homines, mulieres, pecora, pecudes, animalia, vineas, pomaria, prata pascua, bladas, fumenta, aliáque terræ legumina perire, suffocari, & extingui faciunt;
33 eosdémque homines doloribus, & tormentis excruciari; ac ne gignere, & mulieres ne concipere, viroſque ne vxoribus, & mulieres ne viris debitum coniugales reddere valeant, procurant; & magis clarè id statuitur contra facientes maleficia ad nocendum hominibus, animalibus, & frugibus, ex *alia Constit. Alexandri VI. de anno* 1523. & ex *Bulla Sixti V.* 21. *Bullar. p.* 1.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. I.

ARGVMENTVM.

De fautoribus Hæreticorum, & qui dicantur.

1 HÆRETICIS fauere quis dicitur, ex omissione, negligentia, cooperatione, facto, consilio, & verbis: hinc ergo firmatur Regula, quod fautores Hæreticorum dicuntur omnes, qui Hæreticos defendunt, laudant, excusant, si hoc faciant appensatè, & dolosè; qui Hæreticis alimenta præstant; vel pecuniam mutuant; & ex
2 hoc oritur suspicio ad indicendam purgationem. Instruentes eos ad celandam veritatem, quando fuerint examinati, ad excusandam hæresim, quam teneant: & isti arbitraria pœna puniuntur. Signa vltra prædicta, ex quibus dignoscitur, quem esse fautorem Hæreticorum, sunt quinque. Primò, quando quis captiuum
3 Hæreticum visitat, susurrat cum eo, & victualia ministrat. Secundò, quando quis lamentatur de Hæretici captura, vel morte. Tertiò, quando quis dicit, Hæreticum fuisse iniustè condemnatum. Quartò, quando quis amaro vultu, toruísque oculis aspicit Persecutores Hæreticorum. Quintò, si Hæreticorum combustorum ossa, seu cineres furtiuè de nocte subripere inuentus fuerit. Sed isti fautores nulla pœna tenentur, nisi constet de hæresi illius, de cuius fauore, defensione, seu receptatione agitur: eóque magis si defendantur hæretici, ne ab aliquo insultum re-
4 cipiant. Possunt insuper Catholici Hæretico in extrema necessitate constituto, ne fame pereat, aliquid dare, vel relinquere; possibile enim est, quod Hæreticus viuens ad fidem conuertatur.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. II.

ARGVMENTVM.

De Negligentibus persecutionem, correctionem, seu punitionem Hæreticorum; & de eorum pœnis.

DOMINI Temporales, si ab Ecclesia moniti neglexerint Hæ-
5 reticos in eorum Statu commorantes extirpare, Ciuitates, & loca, in quibus commorantur, Catholicis occupanda conceduntur post annum à die factæ monitionis, & saluo iure directi Dominij, si fuerint feudatarij: quapropter Princeps recipiens in suo Principatu, & Statu Hęreticos, incurrit excõmunicationes Bullæ in *Cœna Domini*: quinimò, si requisitus recusęt Hæreticos apprehendere, est suspectus de hæresi. Rectores autem, & Moderatores pro-
6 uinciarum, ac ciuitatum, de iure Ciuili, negligentes castigare pœnis statutis Hæreticos, decem librarum auri pœna mulctantur, & æstimationis suæ periculum sustinent. Quæ autem facere, &
7 obseruare debeant, ne reputentur negligentes? vide *Constit.* Innocentij IV. *de anno* 1252 & Alexandri IV. *de anno* 1265. Isti Officiales negligentes dicuntur de hæresi suspecti, & Hæreticorum fautores: iurare debent vnà cum Do-
8 minis Temporalibus, quod Ecclesiam contra Hæreticos adiuuabunt; quod si renuerint, omni Officio, & honore priuantur, excommunicantur; & Ciuitates negligentes, Episcopali dignitate priuantur; & Episcopus negligens deponitur,

ponitur. Et Regula prædicta procedit in publicis Personis, quia priuati de ista
9 negligentia non tenentur. Alij contra; & certè veriùs, quia quisque extraiudicialiter Hæreticos à suo errore corrigere tenetur, si id efficere potest.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. III.

ARGVMENTVM.

De pœnis fautorum Hæreticorum, eorúmque Defensorum, Credentium, & Receptatorum.

10 PRÆCIPVA pœna fautorum Hæreticorum, est excommunicatio, in qua si per annum insorduerint, ipso iure efficiuntur infames, nec ad publica officia admittuntur, quod, si fuerint Clerici, & per annum in Excommunicatione perstiterint, tunc omni beneficio, & Officio Ecclesiastico priuantur: quinimo si post annum adhuc insorduerint, tamquam Hæretici condemnan-
11 tur per *Constit.* Iulij III. *de Anno* 1551. Innocentij IV. *de Anno* 1252. Clementis IV. *de Anno* 1265. Alexandri IV. *de Anno* 1258. & Pauli IV. *de Anno* 1558. ex *dictis Constit.* efficiuntur infames, intestabiles, incapaces successionis, & hæreditatis; excludentur ab omni actu legitimo; Ecclesiastica sepultura priuantur; & propterea non solùm sepelientes Hæreticos, sed etiam pari pœna puniuntur
12 sepelientes eorum Receptatores, Defensores, vel fautores; bona ipsorum ipso iure confiscantur; de Iure Ciuili banniuntur, in perpetuum relegantur, arbitrariè puniuntur, & illis indicitur purgatio.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De Defensoribus Hæreticorum, & eorum pœnis.

13 DEFENSORES Hæreticorum incurrunt Excommunicationem; in qua, si per annum perstiterint, sunt infames: quid si citati ab Inquisitore, vel Episcopo, non comparuerint infra annum, vt Hæretici possunt condemnari. Defensor errorum Hæretici, tam- 14
quam Hæreticus punitur, cùm magis delinquat: quàm ipse Hæreticus. Defensor enim Hæreticorum dicitur duplici modo: quandoque enim quis defendit Hæreticorum personas, quandoque eorum errores: quare defensor errorum, vt Hæreticus punitur; Defensor autem personæ, non adeo rigorosè. Iudæi, aliíque Infideles quicunque Re- 15
ceptantes Hæreticos, eorúmque defensores, & fautores ex causa hæresis, ab Inquisitoribus puniri possunt.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. V.

ARGVMENTVM.

De impedientibus Hæreticorum punitionem, ac de eorum pœna, & materia.

IMPEDIENTES sanctum Inquisitionis Officium, in punitione Hæ- 16
reticorum, dicuntur eorumdem fautores de Hæresi suspecti, Excommunicationis pœnã ipso iure incurrunt, in qua, si per annum perstiterint, vt Heretici condemnantur; licèt mitiùs puniri possint pœna arbitraria pro motu Inquisitorum, cõsiderata qualitate facti, & personarum; quamuis indirectè impediant. Statuta contrarium disponentia, non valent: ac Statuentes compelluntur per censuras ad ea tollendum: sunt compellendi à desistendo à tali impedimento
per Censuras Ecclesiasticas, etiam inuo- 17
cato Brachio sæculari: quinimò, nemo sanctum Officium Inquisitionis impedire potest, vel in eius processu se intromittere, quamuis sit Delegatus, vel sub-
delegatus Papæ. Sunt excommunicati 18
etiam præstantes auxilium, consilium, vel fauorem talibus impedientibus, & tamquam suspecti de hæresi abiurare tenentur; sed tamen Hæretici non reputantur, nisi aliter appareat, quod habeant in mente errorem, & pertinaciam in voluntate.

EX

EX QVÆST. CLXXXII.

§. VI.

ARGVMENTVM.

De impedientibus familiares inquisitorum ab armorum vsu, & de eorum pœna, & materia.

19 DOMINI temporales impedientes familiam inquisitorum pro delatione armorum ab iisdem inquisitoribus, vti turbatores iurisdictionis puniri possunt. Inquisitores enim licentiam armorum impartiri possunt suæ familiæ, & deputatis, cuiuscunque generis; dummodò non abutantur: sed propter abusum inquisitoribus non auferetur facultas habendi familiam armatam, vsque ad *num.* 95.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. VII.

ARGVMENTVM.

De impedientibus sanctum inquisitionis Officium in captura Hæreticorum: & de eorum pœna, ac materia.

20 CELANS, & occultans Hæreticum ad effectum, ne ad manus curiæ deueniat, dicitur Hæreticorum fautor, & defensor: eóque fortiùs, si iam captum Hæreticum de manu familiæ vi exemerit; vel precibus, pecunia, aut alio modo eius liberationem procurauerit; ideóque tanquam excommunicati puniri possunt; licèt nec Hæretici reputentur, nec tanquam tales plectantur effectu non secuto.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. VIII.

ARGVMENTVM.

De credentibus Hæreticis, vel eorum erroribus; de eorum pœna, & materia.

21 CREDENTIVM Hæreticorum erroribus, & eorum materiam *Author* tractat remissiuè. Credens autem dicitur ille, qui sequitur errorem, quem aliquis gignit: & in hoc differt ab Hæretico; Hæreticus enim errores gignit, credens verò, illis adhæret: & isti sunt excommunicati ipso iure, vigore Bullæ *in Cœna Domini*, in qua si per annum perstiterint, reputantur infames, & de Hæresi suspecti: si fuerint Clerici, officiis, & beneficiis priuantur.

Sunt isti credentes in duplici differentia: aliqui verò credunt ore, & verbis, 22
aliqui factis, ex quo consolationem petentes ab Hæreticis; in eorum infirmitate, per impositionem manus, dicuntur factis credentes. Audientes conciones, seù prædicationes eorum, efficiuntur suspecti de Hæresi: quod si credant eorum dictis, & 23
erroribus, vt Hæretici puniuntur, nisi excusari valerent per simplicitatem; vel concionantes non essent Hæretici adhuc declarati, vel crederent eis in iis, quæ quis explicitè credere non tenetur.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. IX.

ARGVMENTVM.

De Receptantibus Hæreticos, & de eorum pœna.

RECEPTATORES Hæreticorum tamquam suspecti de Hæresi, 24
suprà positas pœnas incurrunt: si fuerint Clerici, beneficiis priuantur, se tueri non possunt titulo consanguinitatis, si consanguineum Hæreticum receptent in fauorem hæresis; secùs si ex sanguinis affectione. Receptator generaliter punitur, quamuis per vnam tantùm vicem receptauerit, non excusatur ex amicitia, imò nec Pater filium, frater fratrem, vxor maritum, & è contrà, receptare possunt, si agatur de crimine hæresis, & ex causa hæresis ad effectum occultandi hæreticum ne ad ma- 25
nus Curiæ deueniat. Extende quod pœna incurratur, quamuis Hæreticus resipiscat, & Ecclesiæ reconcilietur; & quamuis postea Curiæ indicauerint. Ac in tantum est vera conclusio, vt Iudæi, & alij infideles receptantes, ad instar Catholicorum puniantur. Apostatarum verò Receptato- 26
res, vltra excommunicationem, arbitraria pœna mulctantur. Receptantes tamen Hæreticos, non quia Hæretici sint, sed ex alia causa, non puniuntur vt Receptatores;

tores: quapropter caupones non tenentur receptando, nisi Hæreticus esset iam publicè degradatus, & notorius: sic & recep-
27 tans per vim, vel coactus, aut ignorans: & in dubio, ignorantia potiùs, quam scientia præsumitur.

EX QVÆST. CLXXXII.

§. X.

ARGVMENTVM.

De conuersantibus cum Hæreticis, eorúmque pœna, & materia.

28 CONVERSATIO, familiaritas, & communicatio cum Hæreticis prohibita est: quapropter huiusmodi conuersantes, & communicantes, tamquam suspecti de hæresi possunt torqueri: atque Clerici beneficiis, & officiis priuari, seu ab illis suspendi: & arbitraria purgatio indici, quam si præstare renuerint, aut defecerint, pro conuictis habentur. Cum Hæreticis etiam est prohibita allocutio, transmissio, seu receptio literarum; quodlibet seruitium eis præstare, seu cum ipsis negotiari, eósque visitare; quinimo ex tali visitatione oritur suspicio de hæresi. Similiter est prohibita transmissio mune-
29 rum, eóque fortiùs cum eis parentelam contrahere, vel confœderationem inire, vsque ad *num.* 179.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. I.

ARGVMENTVM.

Apostasia quid sit, quotuplex, vnde dicatur, quomodo in ea procedatur, quis sit Iudex? & alia ad materiam communia.

1 APOSTASIA est temerarius recessus à statu fidei, obedientiæ, vel Religionis, quam quis professus est: dicitur quasi *retrò stans*: est triplicis speciei, 1. Apostasia perfidiæ, seu fidei: 2. Obedientiæ: 3. Irregularitatis, seu Religionis: est publicum crimen, non præscribitur, non requirit ordinem iudiciarium: contra Apostatas fidei potest procedere non solùm Iudex ordinarius Ecclesiasticus, sed etiam Inquisitor, licèt contra Apostatam Religionis Inquisitor non procedat, nisi quid aliud sit admixtum vsque ad *n.* 12.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. II.

ARGVMENTVM.

De Apostata fidei, & quis dicatur Apostata.

APOSTATA fidei est ille, qui in 2
totum recedit à fide, & iste propriè dicitur *Apostata*: tamquam Hæreticus punitur, omniáque iura de hæresi loquentia procedunt in Apostatis. Differt tamen Apostata ab Hæretico; Apostata enim discedit in totum à fide, Hæreticus non in totum, sed in aliquo articulo, & propterea se Christianum non negat. Dicitur Apostata qui Dæmoni vel Idolis sacrificia facit: ex quo reiterans baptismum, vel transiens ad ritus Iudæorum, Apostata dicitur. Persuadens ad Apostatandum à fi- 3
de, capite & confiscatione bonorum punitur; & Christiani proficiscentes ad Saracenos ex desperatione, vel libidine, tamquam Hæretici reputantur.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. III.

ARGVMENTVM.

De Apostatante à fide coacto, & per vim.

METV, & vi Apostatans à fide, si 4
metus fuit grauis, mortis scilicet, & tormentorum, Hæreticus non dicitur, nec reputatur: sed ad hoc vt excusetur, necesse est, vt statim metu cessante, ad fidem redeat: si enim diù tacuit, & non reclamauit, consensisse videtur in hæresi: quinimò etiam ex vi, & metu Apostatans, in foro exteriori reputatur Hæreticus, nec euitat pœnam extraordinariam.

Sed singulariter nota, quod si vis fuit 5
absoluta, & non conditionalis, excusatur non solùm ab hæresi, sed etiam à peccato: vis autem absoluta dicitur, quando quis renitens inuitus, & reclamans, ligatus cogitur non per se, sed per alium flecti, idola adorare, circumcidi, seù quid horrendum patrare: conditionalis verò, quando quis pro euitanda morte aliquod factum hæreticale commisit, vsque ad *n.* 33.

EX

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De pœna Apostasiæ fidei.

APOSTATA fidei punitur pœna mortis, sicut puniuntur alij Hæretici: adiungitur pœna confiscationis bonorum, etiam feudalium, in præiudicium filiorum: Vassalli liberantur à iuramento fidelitatis; memoria Defuncti damnatur; efficitur infamis; priuatur hominum consortio, & omni actu legitimo; prohibetur esse Testis, alienare, donare, & testari, efficitur incapax hæreditatis, tam delatæ, quàm deferendæ; siuè ex testamento, siuè ab Intestato: expellitur à Ciuitate, & excommunicatur: vsque ad *num.* 52.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. V.

ARGVMENTVM.

De Apostasia Obedientiæ, illius pœna, & materia.

APOSTASIA Obedientiæ in genere sumpta, nil aliud est quàm 7
transgressio præcepti: committitur ab illo, qui transgreditur præcepta sui Prælati illíque, vel sacris Canonibus ex superbia, & contemptu non obedit; vel quia sic credat non esse obediendum, quod Papa non habeat potestatem condendi Canones, vel ex alia causa. Isti Apostatæ puniuntur pluribus pœnis, infamia scilicet, arcentur ab accusando, & ferendo testimonio; excommunicantur; si fuerint contumaces, deponuntur; & 8
pertinaces Curiæ seculari tradũtur. Non tamen Apostata dicitur is, qui præceptis Prælatorum, & Canonum non obtemperat, non quia neget Apostolicam potestatem, sed propter alicuius commodi acquisitionem, vel damni, aut periculi euitationem: sic nec dicitur Apostatà, licet grauiter peccet non obediens præceptis Romanæ Ecclesiæ ex fragilitate, ignorantia, vel concupiscentia: vsque ad *n.* 60.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. VI.

ARGVMENTVM.

De Apostasia Religionis, seu Irregularitatis.

APOSTASIA Religionis, seu Irregularitatis, dicitur is, qui ab Ordine, 9
vel Religione quam professus est, discedit, dimissóque habitu ad sæculum redit: seu is qui recedit à Monasterio sine licentia Superioris, quamuis Religionis habitũ retineat; vel Monachus claustralis, qui sub habitu Clericali, habitum Religionis coopertum defert, seu abscondit Scapulare sub veste, sub manica, seu alio modo. Similiter Moniales exeuntes de 10
Monasterio sine Superioris licentia. Similes Apostatæ excommunicantur, quãuis egrediãtur è Religione ex causa studij: & hinc Sacerdos, seu Clericus vxorẽ ducens, tamquam in genere Apostatarum, ab Inquisitore punitur, licet si postea pœnitẽs, ad Clericatum redeat, possit cum illo misericorditer dispẽsari: Laïcus verò vxorem habens, ad Ordines se promoueri falsò procurãs, punitur tamquam Clericus vxorem ducens. Non 11
autem dicitur Apostata monachus, qui monachalem habitum nõ defert in cella, in balneis, seu aliis similibus locis secretis. Notabiliter verò Apostata honestè viuens, non ità grauiter punitur; nec ille talis dicitur, qui è Religione egreditur animo redeundi; licèt publicè incedendo absque habitu Religionis, etiam per horam, sit excommunicatus. Similiter nõ est Apostata Nouitius egrediens de Religione: quamuis rapiens Nouitiũ ex Monasterio, sicut & suadens quemli- 12
bet ad apostatandum à fide capite puniatur. Itidem Apostata non dicitur erectus à sua Religione propter malos mores: ex quo Monachus Apostata, si pœnitens redire voluerit, omnino in Monasterio recipitur, & Abbas cogi potest ad illum recipiendum; sed postea sic reuersus, nõ potest amplius eligi in Abbatem, & electus reiicitur, nisi fuerit dispensatus à Papa. Monachus fugitiuus, non di- 13
citur Apostata: & fugitiuus propriè dicitur ille, qui abiiciens obedientiæ iugum, se subtrahit Præposito suo, & vt illi non subiiciatur, à Monasterio recedit, siuè habitum dimittat, siuè non & propterea omnis Apostata est fugitiuus; sed non è contra, omnis fugitiuus, Apostata: vsque ad *n.* 95.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. VII.

ARGVMENTVM.

An dicatur Apostata Monachus, qui aliam ingreditur Religionem laxiorem, vel strictiorem.

MONACHVS ingrediens alteram Religionem laxiorem de licentia
14 Superioris, Apostata non dicitur: sed hoc prohibetur ex Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. quinimò nec potest strictiorem ingredi; quamuis zelo perfectioris vitæ, nisi petita licentia Superioris. Nec etiam Apostata dicitur, qui in minorem Religionem ingreditur: sed Apostata intrans aliam Religionem, siue arctiorem, siue laxiorem, licet Apostasiæ pœnas euitet, hoc tamen intelligendum est, si ingrediatur religionem eiusdem Regulæ, vsque ad *num.* 106.

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. VIII.

ARGVMENTVM.

De Pœna Apostasiæ Religionis, seù irregularitatis.

APOSTATA Irregularitatis, &
15 Religionis, si sæcularis sit, non est excommunicatus ipso iure, sed excommunicari debet: si verò fuerit Regularis, ipso iure excommunicatur: quod si in excommunicatione persistat per annum, negligens ad Religionem redire, & habitum Religiosum, seù Clericalem assumere, tamquam de hæresi suspectus, contra eum inquisitor procedit, affligitur pœna infamiæ, incorrigibilis Curiæ sæculari tradi-
16 tur; si autem in Apostasia fuerit ordinatus, quamuis postea pœnitens fuerit eius Abbati reconciliatus, adhuc sine dispensatione Papæ ministrare non potest. Bona eius acquiruntur Monasterio, quod deseruit, vsque ad *num.* 114.

***

EX QVÆST. CLXXXIII.

§. IX.

ARGVMENTVM.

De Apostasia Clerici sæcularis, eiúsque pœna, & materia.

CLERICVS clericali habitu dimisso, & in vestibus sæcularibus 17
incedens, Apostata est, quamuis tonsuram non deponat: ideóque efficitur ineligibilis, infamis, ac perdit priuilegium Clericale si post monitionem habitum non reassumat, & inde excommunicationem incurrens cogi potest ad reassumendum per censuras Ecclesiasticas, & carcerationem. Non tamen dicitur Hæreticus, nec Apostata, si fuerit solùm in minoribus ordinibus, hic enim cogi non potest ad reassumendum habitum præcisè, 18
sed causatiuè, scilicet si beneficium habeat, tunc enim Apostata efficitur, nisi incesserit in habitu Clericali, seù beneficium resignauerit, vsque ad *num.* 134.

EX QVÆST. CLXXXIV.

§. I.

ARGVMENTVM.

De Schismatis materia, communia: & qui præsertim Scismatici dicantur.

SCHISMATIS species triplex est, quidam enim Schismatici sunt hæ-
retici consummati, quidam hæreticis pro- 1
ximi, quidam alij ab hæreticis distantes. Primi, qui non credunt esse vnitatem in Ecclesia Catholica, vel certè credunt non esse obediendum summo Ecclesiæ Pastori. Secundi, qui ab vnitate Ecclesiæ discesserunt. Tertij, qui probabili ignorantia ducti, putant aliquem summum Pontificem non fuisse ritè electum. Dicuntur Schismatici, largissimè sumpto vocabulo, omnes criminosi, seu consti- 2
tuti in peccato mortali; largè, omnes excommunicati; strictè, insurgentes contra Episcopum, illum ejicientes, Presbyteros sibi faciunt, sed tamen recognoscunt Romanã Ecclesiã; strictissimè, & propriè, qui se contra Romanam Ecclesiã extollentes, ab illius vnitate diuiduntur. Schismaticorũ appellatione veniũt Schismatici

strictè

strictè sumpti, & propriè, non autem largè.

3 Schismaticus differt ab Hæretico, quia Hæreticus credit vnitatem Ecclesiæ, sed opponit se fidei: schismaticus verò è contra. Schisma est contra bonos mores, & vinculum charitatis; Hæresis contra fi-

4 dem. Differt à Seditione, quia schisma opponitur vnitati multitudinis Ecclesiæ, seditio opponitur multitudini temporali Ciuitatis, vel Regni: seditio respicit præparationem ad pugnam corporalem, Schisma ad dissentionem spiritualem. Schisma propriè sumptum est illicita disceptatio eorum, inter quos debet esse vnitas, seù illicitus ab vnitate, & vniuersitate discessus: est nomen Græcum, &

5 *scissuram* significat. Schismatici strictissimè, & propriè dicuntur, qui diuisi ab vnitate Ecclesiæ Romanæ conantur sibi Episcopos, Presbyteros, & proprias constitutiones facere; & veræ Ecclesiæ constitutiones contemnentes, summo Pontifici subesse renuunt, membris Ecclesiæ communicare recusant, scissurámque facientes, aliam Ecclesiam, & alium Pontificem constituunt.

6 Schismatici dicuntur etiam Imperatores, Reges, & Principes, qui venientes contra Ecclesiam Romanam, ab ea diuiduntur, quamuis non habeant errorem in mente, & credant Articulos Fidei: non sunt tamen Hæretici, quamuis ad hæresim multùm dispositi. Participantes cum schismaticis, excommunicantur; in hoc crimine ignorantia non excusat, neque multitudo attenditur. Coniurantes

7 contra Episcopum, largo modo Schismatici dicuntur: Episcopos tamen eijcientes, illorúmque iurisdictionem vsurpantes, dicuntur Schismatici, nisi adhuc Superiorem Romanam Ecclesiam recognoscant; quia hoc casu potiùs inobedientes existimantur. Acephalus Schismaticus non reputatur, licèt improbus vir sit, & supra se nullum Caput recognoscere prætendat:

8 sed si iste Acephalus, nec etiam Papam recognosceret, tunc Hæreticus esset. Sic nec est Schismaticus, qui à proprio Episcopo se separat, nisi contra eum altaria erigat. Schismaticus pœnitens, & ad fidem rediens recipitur, sed abiurare tenetur; & licèt recuperet dignitates, &

9 præeminentias est tamen de iure communi ineligibilis, nec potest amplius promoueri, nisi fuerit plenissimè restitutus.

***

EX QVÆST. CLXXXIV. §. II.

ARGVMENTVM.

De Pœna Schismatis.

SCHISMATICI sunt ipso iure excommunicati, quando propriè & 10
strictè capiuntur sub nomine Schismatis, efficiuntur infames, priuantur omnibus honoribus, dignitatibus, & beneficiis; repelluntur ab Ordine suscepto, priuantur potestate ordinandi, alienandi, aliáque gerendi tam in temporalibus, quàm in spiritualibus; sunt extra protectionem Ecclesiæ; expelluntur è Ciuitate, deportantur, eorum bona confiscantur, si fuerint pertinaces deponuntur, & impœnitentes Curiæ sæculari traduntur, possunt puniri à Iu- 11
dice sęculari sine degradatione, reputantur nedum Hæretici, sed Hæresiarchæ, quando habent errorem in mente, eorúmque filij priuantur bonis paternis, sicut filij Hæreticorum: vsque ad *n.* 58.

EX QVÆST. CLXXXV. §. I.

ARGVMENTVM.

In Crimine hæresis quomodo procedendum, quæ leges seruandæ, de captura Reorum, de Carceribus, de Notarij electione: & de materia.

PROCEDI potest in crimine hæ- 12
resis per accusationem, inquisitionem, denunciationem, & etiam per viam exceptionis: non sunt in hoc crimine seruandæ leges Imperiales, sed Ecclesiasticæ, nisi prædictæ leges Imperiales essent approbatæ à summo Pontifice, vel fauerent persecutioni Hæreticorum: & hinc seruari debẽt leges Federici Imperatoris, per *Constit.* Innocentij IV. *de Anno* 1252. 1254. 1255. approbatæ, vbi amplius, quod Inquisitores possunt per censuras Ecclesiasticas cogere Magistratus sęculares ad seruandas dictas leges Federici, ex *Constit.* Alexandri 13
IV. *de Anno* 1258. Vrbani IV. *de Anno* 1262. Clementis IV. *de Anno* 1265. Ex quibus omnibus generalis infertur conclusio,

vt leges sæculares, & alia quælibet statuta in odium hæresis inuiolabiliter seruanda sint. 14 In pertinentibus ad mores dirigentes actus nostros in Deum, Canonistarum opinio præfertur; in pertinentibus autem ad spiritualitatem, & cognitionem veræ fidei contra Hæreticos, & Infideles, præferenda est Theologorum sententia: & sic quando agitur de modo procedendi, & puniendi Hæreticos, an legitimè sint conuicti, an sint relapsi, & similia, Canonistarum opinio præfertur: quando verò principaliter agitur de fide, & de actibus, de quibus quæritur an sint hæretici- 15 cales, necne? opinio Theologorum Vsu, & consuetudine iamdiu recepta, absolutè cuiusuis propositionis declaratio ad Theologos spectat, licèt in hoc Inquisitionis iudicio, sicut in aliis, seruandus sit Tribunalis stylus, quoad modum procedendi tantùm. Inquisitores de hæresi suspectos carcerare, & carceratos retinere, cum fideiussione, vel sine, relaxare possunt. Debent retinere sub custodia Inquisitum, quando iste est vehementer suspectus, adsunt probationes, vel fuerit confessus. Citatio non requiritur, quando dubitatur ne citatus instruatur ad fugam, sed magna prudentia opus est, in carce- 16 randis istis Reis, cùm sola captura pro crimine hæresis vehementer infamet; ideóque non relaxatur mandatum, nisi saltèm semiplenè probato delicto: quòd si Reus non reperiatur culpabilis, vel leuiter deliquerit, fideiussoribus, vel iuratoria cautione Inquisitoris arbitrio relaxatur. Quomodo verò sint interrogandi prædicti Rei, cùm de hoc non possit haberi certa scientia, *Author* loquitur remissiuè.

Possunt Inquisitores, & Episcopi car- 17 ceres, custodes, & Executores proprios habere pro carcerandis, & retinendis dictis Inquisitis. Notarius in causis hæreticorum eligitur ab Episcopo, seu Inquisitore, potest esse Clericus in sacris constitutus, debet iurare suum officium fideli- 18 ter exercere coram Episcopo, & Inquisitore, & potest recipere mercedem ab Inquisitis, nisi habeat constitutum salarium: sed incerta non debent excedere taxam à supremo Tribunali sanctæ Inquisitionis decretam.

***

EX QVÆST. CLXXXV.

§. II.

ARGVMENTVM.

In causis Hæreticorum proceditur simpliciter, summariè, & sine strepitu & figura Iudicij, & quid importet talis clausula.

IN causis Hæreticorum proceditur summariè, simpliciter, sine strepitu & figura iudicij sublatis solemnitatibus Iuris Ciuilis, non autem Iuris Gentium, vel Naturalis. Requiritur enim contestatio litis, & Legitimatio Personarum: sed hodie loco Accusatoris succedit denunciatio: quilibet indistinctè ad denunciandum admittitur: vsque ad *n.* 21.

EX QVÆST. CLXXXV.

§. III.

ARGVMENTVM.

In crimine Hæresis, quando procedatur per Accusationem.

PROCEDITVR in crimine hæresis per accusationem. Ad eam omnes 19 regulariter admittuntur; etiam prohibiti à Iure Ciuili: admittitur inimicus, strictè & propriè sumptus: in accusatione non debet exprimi locus, aut dies commissi criminis, ne Reus cognoscat Testes super eo deponentes, aut aliquam excogitet fraudem ad occultandam veritatem: pendente Inquisitione super crimine hæresis, si superueniat accusator, silet Inquisitio, & proceditur in accusatione, licèt tamen adhuc inquisitio non cesset: in hoc crimine potest quis esse Accusator, & Testis simul, ea ratione, quia committitur in contumeliam Creatoris, non autem in iniuriam priuatæ personæ. Non est necessaria sub- 20 scriptio ad pœnam Talionis, quia hodie recessit ab Aula; satis est enim, quod si accusator accusationem non probauerit, vel ab accusatione destituerit, tamquam calumniator puniatur: at si esset verus calumniator, puniretur quoque pœna Talionis, cùm de Iure communi, tùm vigore Bullæ Pij V. *Bullar. p. 2. fol. 927.* Accu- 21 satoris

satoris nomen non publicatur, deputatur promotor fiscalis, qui nunquam accusat nisi Testes habeat, nec pœnam calumniatoris timet, quia ex necessitate Officij denunciat; iste Promotor debet suam accusationem in scriptis deferre, præstito iuramento, quod non malitiosè, sed sui Officij necessitate accusat: vsque ad *num.* 43.

EX QVÆST. CLXXXV. §. IV.

ARGVMENTVM.

In crimine hæresis proceditur per Inquisitionem, & quomodo.

22 IN crimine hæresis duplex datur inquisitio, alia generalis, & alia specialis; quæ quales sint? *Author* loquitur remissiuè: & videre poteris *hac eadem Succi p.* 1. *q.* 1. *per tot.* Procedi ergo potest in hoc crimine per inquisitionem, & ex officio sine præcedenti diffamatione: quælibet leuis suspicio in omni vili, & abiecto, satis est; dummodo ista leuis suspicio sit probabilis.

EX QVÆST. CLXXXV. §. V.

ARGVMENTVM.

In crimine hæresis proceditur per Denunciationem, & quomodo.

23 DENVNCIATIO nil aliud est, quàm alicuius criminis delatio: & sic denunciare aliud non est, quàm notificare commissum maleficium. Quadruplex est Denunciatio, Euangelica scilicet, Canonica, Regularis, & Iudicialis: de istarum differentia, & materia, 24 *Author* loquitur remissiuè; & tantùm dicit, quod ex ea sola inquiritur: iuncta fama, sufficit ad torturam. Denunciare quis potest, etiam per literas secretas, dummodo non sine nomine, & iuramento confirmatas: potest fieri verbo, & sine scriptis: Denunciator non tenetur probare suam denunciationem: vsque ad *n.* 73.

EX QVÆST. CLXXXV. §. VI.

ARGVMENTVM.

Proceditur in crimine Hæresis per viam Notorij, & quomodo; quisvè dicatur notorius, & manifestus Hæreticus, & quis occultus.

NOTORIVS, & manifestus Hæreticus est ille, qui contra fidem 25
Catholicam publicè prædicat, aut profitetur, seu qui talis apparet per euidentiam facti, & nulla tergiuersatione celari potest; vel qui in iudicio confessus, aut conuictus, tamquam talis condemnatus fuit. Deprehensus in hæresi dicitur, qui vel publicè prædicat hæresim, vel legitima probatione per Te- 26
stes, vel ex sua confessione conuincitur; & sic deprehensio sola in hoc crimine habet vim probationis: & ad probandum quem esse notorium, & manifestum, duo Testes sufficiunt. Occultus dicitur is, cuius hæresis non pluribus, sed quinque tantùm personis innotescit; vel ille, quem vulgus ignorat; aut qui nemine sciente hæresim in mente retinet.

Quando autem hæreticalis propositio dicatur sapere manifestam hæ- 27
resim, *Author* format quatuor principales Regulas. *Prima*, illa propositio est hæretica, ex qua concesso & assumpto aliquo, quod non potest probabiliter negari, sequitur hæres in fide. *Secunda*, illa propositio est hæretica, ex qua, positis quibusdam veris, quæ nulla tergiuersatione possunt negari, sequitur hæresis manifesta. *Tertia*, quæ in prima ver- 28
borum significatione, & prima fronte sensum habet Hæreticum, quamuis piè intellecta possit habere sensum Catholicum. *Quarta*, quæ asserit peruersum dogma, ex quo cum notorio vero quod negari non potest sequitur hæresis propriè dicta: vsque ad *numerum* 92.

***

EX QVÆST. CLXXXV.

§. VII.

ARGVMENTVM.

De Processu contra Contumacem.

29 ABSENS, & contumax, in crimine hæresis, condemnari potest: pro tali contumace absente non admittitur Procurator, licet admittatur Defensor, & Instructor innocentiæ, seù allegans causam absentiæ: & hoc quando res est dubia, & quando Inquisitus est solùm de hæresi suspectus; secùs si Hæreticus esset, & de hæresi in processu constaret. Condemnati absentis statua comburi debet, quamuis Bannitus in contumaciam audiri debeat quandocunque, & possit suam innocentiam probare: quod si non possit, sed pœnitens misericordiam petat, recipiendus
30 est. Comparens verò infra annum, quamuis fuerit in contumaciam condemnatus, recuperat bona: post annum verò, quoad bona non auditur, nisi doctor de eius innocentia, aut legimo impedimento: vsque ad *n.* 120.

EX QVÆST. CLXXXV

§. VIII.

ARGVMENTVM.

De tortura inferenda in crimine Hæresis.

31 IN causa hæresi, sicut in cæteris criminalibus, Inquisiti torquentur, quamuis sint personæ priuilegiatæ, quæ aliàs torqueri non possint; quod si nihil fateantur, potest adhuc indici purgatio, nisi fuerint sufficienter torti. Hæretico confesso, aut conuicto, datur Tortura pro habendis complicibus: & de pluribus erroribus accusatus, si partim neget, partim fateatur, super negatis torqueri potest.
32 Ad Torturam sola diffamatio satis est; potest Inquisitor loco Torturæ ad eruendam veritatem ieiunia imponere. Torquetur nolens respondere, vel obscurè respondens: sed ad Torturam infligendam indicia præcedere debent, magna quidem, & vrgentia, ac plenè probata per duos, aut plures testes: sufficiunt tamen plures coniecturæ: debet priùs constare de corpore de- 33
licti, videlicet delicto, aut facto hæretico: confessio emanata in tormentis debet ratificari, sicut in aliis delictis. Inferri non potest ex dicto vnius socij criminis, licèt duo faciant indicium: vsque ad *n.* 154.

EX QVÆST. CLXXXV.

§. IX.

ARGVMENTVM.

De Citatione.

DE hæresi inquisiti, accusati, siuè denunciati citantur, vt se ipsos defendendi potestatem habeant: ista 34
citatio cõtra absentem debet esse trina, contra præsentem vnica sufficit. Relapsus verò non est citandus, cùm sine aliqua audientia Iudicio sæculari relinquendus sit: sed quando citatio requiritur, fieri non debet sine probabili suspicione.

EX QVÆST. CLXXXV.

§. X.

ARGVMENTVM.

De Sententia.

SENTENTIA, siuè absolutoria, siuè condemnatoria semper proferenda est in publico, in scriptis, & de die. Absolutoria ferenda est ad fauo- 35
rem illius, qui tortus sustulit tormenta: Condemnatoria non debet ferri super hæresi, sed super facto hæreticali Requiritur citatio Hæretici, qui nunquam absolui potest, vt innocens, sed ob non probatum crimen, nisi constaret de falsitate testium examinatorum.

EX QVÆST. CLXXXV.

§. XI.

ARGVMENTVM.

De diuersis sententiarum formulis.

QVOAD formas sententiæ contra Hæreticum conuictum Pertinacem, Impœnitentem, Relapsum, Absentem contumacem, Pœnitentem & 36
Redeuntem

Redeuntem ad fidem, vehementer, vel leuiter suspectum, contra diffamatum de hæresi, & se canonicè purgantem, seu ob nõ probatum Crimen *Author* loquitur remissiuè ad quã plurimos, quare ex arido *Succum* exprimere nequiui.

EX QVÆST. CLXXXV.
§. XII.

ARGVMENTVM.

De sententia ferenda in crimine hæresis de Consilio Peritorum.

37 SENTENTIA contra Hæreticos facienda est de Peritorum consilio; qui quidem Periti non omnes indistinctè eligendi sunt, sed debent esse Personæ qualificatæ: & in primis illarum probitas necessaria est, vt corruptionis periculum tollatur. Insuper debent esse valdè periti in Theologia, Iure Canonico, & Ciuili sic electi non possunt recusare dare consilium, etiam sine salario: istis discordantibus, consulenda est sedes Apostolica. Inquisitores verò, & Episcopi in pronunciando, nedum tenentur conuocare Peritos, sed iuxta eorum consilium pronunciare.

38 Alij contra. Peritorum, verò iniustum consilium excusat Inquisitores à dolo, sed non à culpa, nisi quæstio esset nimis ardua, & difficilis, vel propter facti contingentiam, vel propter varias D.D. opiniones: sed non tamen tenentur Inquisitores præcisè requirere consilium Peritorum, quia Peritis non est dandus integralis processus, nec etiam publicanda sunt nomina testium, aut aliæ circumstantiæ, ac præcipuè eis iniungi debet silentium sub pœna excommunicationis, ne audeant reuelare recondita processus: vsque ad *num.* 297.

39

EX QVÆST. CLXXXV.
§. XIII.

ARGVMENTVM.

Absolutus in crimine hæresis, an, & quando possit iterum inquiri, & accusari? quandoue Absolutoria sententia in iudicatum transeat, nec ne.

40 ABSOLVTVS in crimine hæresis, potest iterum, non obstante inquisitione prædicta, inquiri, & accusari; quia in hoc crimine sententia absolutoria ex capite innocentiæ non datur, nec vnquam transit in iudicatum; ideóque memoria Defuncti, si semel fuerit absoluta ob non probatum crimen, potest iterum accusari: & absolutus à Sacerdote post cæptam inquisitionem: vel si inueniatur in falsa pœnitentia, aut post pœnitentiam relapsus; seu publicè diffamatus, inquietari potest: quinimò 41
Sacerdoti asserenti, pœnitentem adimpleuisse pœnitentiam iniunctam, non creditur, licèt ob id minuatur pœna; sed absolutus à Pontifice, siuè per viam gratiæ, siuè per viam iustitiæ, aut dispensationis, iterum inquiri, & accusari non potest: vsque ad *n.* 209.

EX QVÆST. CLXXXV.
§. XIV.

ARGVMENTVM.

Defensiones an dandæ sint in causis Hæreticorum antequam torquentur, vel condemnentur.

DEFENSIONES, & indiciorum copiæ dandæ sunt in crimine 42
hæresis, suppressis, tamen nominibus testium, & accusatoris: traduntur ante Torturam, adeo vt neque denegentur relapsis, quando tales se esse negent; quamuis non declarent quas defensiones facere velint: sed denegantur, quando crimen hæresis esset notorium, vel nisi completo processu offensiuo, & defensiuo: sic nec quando Inquisitus vellet probare, non esse hæ- 43
resim, eam, quæ verè est hæresis: & quandocumque datis dilationibus, amputari possunt: vsque ad *n.* 226.

EX QVÆST. CLXXXV.
§. XV.

ARGVMENTVM.

Appellatio an, & quando admittatur in crimine hæresis.

APPELLATIO non datur in crimine hæresis quandocunque: eó- 44
que minus friuola, vel interposita ab hæredibus

hæredibus Hæretici cõdemnati; quamuis licitum sit appellare à grauamine interlocutorio, seù à decreto Torturæ, & possit Iudex suspectus dici, & recusari, causa recusationis graui quidem, & non leui, allegata; quo casu Inquisitor, seu Episcopus remittere debet processum ad supremum Inquisitionis
45 Senatum. Quæ appellatio per Reum deferri debet ad Papam quod si Episcopus grauet, nec grauatus sit de Exemptis, appellat ad Metropolitanum, vel etiam ad Papam, omisso medio: quomodo autem Iudex in hoc crimine, interposita appellatione, regulari debeat? *Author* loquitur remissiùè: vsque ad *num.* 241.

EX QVÆST. CLXXXVI.

§. I.

ARGVMENTVM.

De Iudicibus in crimine hæresis: & primò de Papa, & Episcopo.

QVOD Papa non solùm sit Iudex
1 in crimine hæresis, sed etiam super omnes alios Iudices; omnísque aliorum Iudicum iurisdictio, à potestate Papæ originem habeat non hæsitandum. Quinimò an propositio sit hæretica, nec ne? dignoscendi facultas soli Papæ tribuitur; licèt quando vigeat controuersia de aliqua veritate, an ad fidem pertineat, nec ne? resolutio possit (sic iubente Pontifice) exquiri à Concilio generali. Legatus Papæ de latere cùm
2 summi Pontificis Vices in omnibus plenissimè gerat, ideò, super Inquisitores iurisdictionem habere videtur. Episcopus in crimine hæresis est competens Iudex, & ad eum præcipuè spectat hæresis crimen purgare, cum ipse sit Iudex ordinarius; & quoad Exemptos, reputetur Delegatus sedis Apostolicæ. Alij contra sustinentes, etiam quoad istos, esse Iudicem ordinarium. Prima
3 opinio tamen est magis communis; ideóque ab Episcopo appellatur ad Papam, non ad Archiepiscopum. Potest Episcopus ex sua ordinaria potestate Pœnitentes redeuntes ad fidem recipere, reconciliare, & pœnitentiam iniungere; non tamen eius Vicarius generalis, vel sede Vacante, Vicarius Ca-
4 pitularis competens erit, nisi Episcopus in expeditione, & deputatione Vicarij generalis adiunxerit clausulam, *& omnia alia, quæ nos possumus, etiam si mandatum speciale exigerent.* Et licèt Episcopus in crimine hæresis sit Iudex competens, hoc tamen intelligendum est cum consilio Capituli: ac in procedendo in crimine hæresis seruare debet modum, quem seruant Inquisitores: vsque ad *n.* 17.

EX QVÆST. CLXXXVI.

§. II.

ARGVMENTVM.

De Inquisitoribus, & eorum potestate.

IN causis Hæreticorum, Inquisitoris tamquam Iudicis competentis iurisdictio non expirat ex morte Pontificis, siuè causæ sint iam exortæ, & cœptæ, siue etiam non inceptæ. Quod si in vna prouincia deputati fuerint à sede Apostolica plures Inquisitores hæreticæ prauitatis, possunt ex speciali fauore fidei omnes simul; vel singuli separatim, prout eis expedire videbitur procedere; nisi in speciali causa 6
specialiter à Papa deputatus esset particularis Inquisitor. Possunt insuper Inquisitores non solùm cognoscere de hæresi, verùm etiam de omnibus incidentibus, connexis, & dependentibus à causa hæresis: habent iurisdictionem contra Exemptos, & Religiosos Regu- 7
lares; possunt committere aliis quoscunque actus iudiciales. Hodie in tota Italia, Apostolici Inquisitores eliguntur ab Eminentissimis Dominis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus in vniuersa Republica Christiana; & ab ipsis, re maturè cognita, remouentur. Idem Inquisitores sunt etiam competentes Iudices eorum, qui Ecclesiæ reconciliati, habi- 8
tum gestant publicæ pœnitentiæ, tàm in causis Ciuilibus, quàm in Criminalibus: fauore fidei cognoscere possunt de quibuscunque causis Criminalibus suorum familiarium, & Officialium, in quibus de Iure habentur tamquam Iudices delegati à Sede Apostolica. Non cognoscunt de causis vsurarum cuiuscunque 9
generis, nisi error adsit in mente, scilicet apprehendente, Vsuram non esse peccatum. Nequeunt procedere con-

tra

tra Officialem, vel Nuncium Romanæ
10 Curiæ, & Sedis Apostolicæ. Eligi non possunt, nisi quadragesimum annum attingant, quam ætatem etiam habere debent Delegati ab Episcopo in causa fidei, vel à Capitulo, sede Vacante: quod si aliàs electio fuerit facta, nisi procedat à Papa, nulla est: sed Delegatus ab Inquisitore, si annum Trigesimum attingat, satis est: imò hodie ex
11 Decreto generali Summi Pontificis, eosdem Inquisitores annum Trigesimum explere sufficit: vsque ad *n.* 56.

EX QVÆST. CLXXXVI. §. III.

ARGVMENTVM.

De Episcopo, & Inquisitore, quando insimul procedere debeant, & quando vnus sine alio agere valeat.

INQVISITOR, & Episcopus in crimine hæresis, & in eadem
12 causa, eodémque facto, possunt insimul diuisim, vel coniunctim procedere: quia iurisdictio Inquisitoribus delegata non præiudiciat iurisdictioni Episcopi, censetur enim concessa cumulatiuè, non autem priuatiuè, nisi commissio Inquisitori facta esset restricta ad certa crimina, & certas personas specialiter. Sententiam absolutoriam Episcopus si-
13 ne Inquisitore, & Inquisitor sine Episcopo ferre potest: imò Inquisitor sine Episcopo, & è contra, in casu negligentiæ alterius degradare valet Clericum degradandũ. Discordantibus verò
14 Inquisitore, & Episcopo, in prolatione sententiæ, seu in alio actu, quam quisque solus expedire non potest, debent sedem Apostolicam consulere. Si discordent in decernendo torturam aduersus Inquisitum de hæresi, & hoc accidat propter varietatem processus, recurrendum est ad scripta *in cap. in nostra*: Si verò per imperitiam, tunc consulendi sunt Peritiores. Si autem Epis-
15 copus mandet relaxari, Inquisitor renuat, vel è contra, Custos qui relaxat, excusatur ab Excommunicatione. Et licèt Episcopus sine Inquisitore, vel Inquisitor sine Episcopo possint inquirere, citare, capere, arrestare, carcerare inquisitos de hæresi, in durum tamen, seu arctum carcerem mittere, subiicere tormentis, & ad sententiam deuenire nequeunt, siue insimul procedant, siuè diuisim. Quod si secus, omnia inde secuta sunt ipso iure nulla: confessio inde 16
facta confitenti non præiudicat quamuis fuerit ratificata: licèt in Tortura Testibus infligenda pro emenda veritate vnusquisque de per se procedere possit. Inquisitor, & Episcopus, nisi simul, nequeunt mutare, & mitigare pœnam per 17
sententiam impositam: imò Inquisitores priuando Hæreticos dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis; secùs si sæcularibus requirere debent consilium Episcoporum, & istis absentibus eorum Vicariorum. Neuter eorum de per se solus potest cogere suspectum de Hæresi ad illam abiurandum: quod si procedant diuisim, tunc ante prolationem sententiæ, cùm aliud non superst, quam sententiam pro- 18
ferre, insimul communicare debent processus: sed si varient testes, tunc vterque considerabit, qui proximiora loquantur, & per ipsorum dicta, se Iudices informabunt; sed si contigerit dubitare de Reo torquendo, etiam antea communicatio facienda est. Notabiliter verò, si quis pro crimine hæresis fuerit eodem tempore citatus ab Inquisitore, & ab Episcopo, comparere debet coram Inquisitore, & non coram 19
Episcopo: Ratio est, quia Inquisitor, cùm sit Delegatus Papæ, dicitur maior quocunque Ordinario. Quando verò Episcopus procedat vt Delegatus, se- 20
cundùm terminos *c. ad abolendum, extra de Hæretic.* tunc citatus poterit comparere coram quo voluerit, vel coram Vtroque, scilicet coram vno personaliter, & coram altero per procuratorem: sed quando Episcopus nõ potest habere copiam Inquisitoris, vel è contra Inquisitor, Episcopi; tunc vnusquisque de per se procedere potest: vsque ad *n.* 97.

EX QVÆST. CLXXXVI. §. IV.

ARGVMENTVM.

De requisitione facienda per Episcopum Inquisitori, & è contra, vt infra octo dies insimul conueniant pro expeditione causæ.

INQVISITOR antequam causam expediat, debet requirere Epis- 21
copum,

copum, & Episcopus Inquisitorem, vt infra octo dies insimul conueniant pro expeditione causæ: sed vnica sufficit requisitio, etiam sine præfixione termini,
22 per Nuncium, vel per epistolam. Locus autem vbi conueniri debeant, erit, vbi processus fuerit inchoatus: quod si ab vtroque fuerit inceptus, locus communis deputandus est. Si noluerint, vel non Potuerint conuenire, vni alteri suas vices delegare permittitur, vel per literas suum consilium, & consensum significare. Delegatus Capituli, vel Episcopi,
23 licèt possit consentire, non potest tamen suas vices delegare: quod si infra octo dies non conuenerint, delegauerint, seu consenserint, vnus sine alio potest causam expedire.

EX QVÆST. CLXXXVI. §. V.

ARGVMENTVM.

Episcopus numquid possit ab Inquisitore de hæresi processari.

EPISCOPVS de hæresi conuictus,
24 ipso iure depositus est: verùm si prætendatur Hæreticus, non ab Inquisitore, sed à solo Papa iudicatur; Inquisitor enim nec in eum potest inquirere, quamuis sub prætextu, quod velit causam instructam Pontifici referre, nisi sibi id expressè fuerit delegatum, hæresis esset notoria, vel Episcopus de fuga suspectus; quia tunc posset carcerari ab Inquisitore, & captus remitti ad Papam, provt debet, statim habita notitia de hæresi alicuius Episcopi, illam summo Pontifici denunciare.
25 Episcopus autem Hæreticus detectus in aliena diœcesi, potest inquiri ab Episcopo, in cuius iurisdictione hæresim commisit: sed hodie tantùm iudicatur à supremo sanctæ Inquisitionis Senatu.

EX QVÆST. CLXXXVI. §. VI.

ARGVMENTVM.

Inquisitor de hæresi suspectus, in officio, vel extra officium delinquens, à quo inquiri possit, & valeat.

INQVISITOR de hæresi suspe-
26 ctus, durante sua delegatione non potest vllo modo inquiri; quia in illis, quæ spectant ad eius officium, est prorsus exẽptus à suis Prælatis, nec rationem illis reddere obligatur: completo tamen Officio, eóque durante, si fuerit Hæreticus notorius, Episcopus potest contra illum informationes assumere, & Papæ denunciare: si delinquat extra Officium in concernentibus suam Religionem, à suis Prælatis punitur: si in Officio, à supremo Inquisitionis Tribunali.

EX QVÆST. CLXXXVI. §. VII.

ARGVMENTVM.

De Inquisitoribus, & Episcopis, eorúmque Delegatis, illicitè prætextu Officij pecunias extorquentibus.

INQVISITORES, & Episcopi, 27
siue eorum Delegati, sub prætextu Officij pecuniam indebitè extorquentes, excommunicationem ipso iure incurrunt, à qua non possunt absolui, nisi in articulo mortis, & nisi præuia restitutione pecuniæ: Officio priuantur, & arbitrariè de concussione puniuntur. Notarij, Officiales, & socij Inquisitorum extorquentium, debent grauiter corrigi, & Prælatis Inquisitorum denunciari, qui si neglexerint correctionem, debent Episcopi sedi Apostolicæ denunciare. Episcopi extor- 28
quentes in causa hæresis, non incurrunt pœnam excommunicationis, & priuationis, qua tamen afficiuntur Inquisitores, & Commissarij. Sed & Inquisitores, eorum Officiales ab Excommunicatione absoluuntur, etiam pecunia non restituta, si ob paupertatem id non efficere queant: vsque ad *n.* 145.

EX QVÆST. CLXXXVI. §. VIII.

ARGVMENTVM.

Inquisitores, & Episcopi, per malitiam negligentes procedere contra Hæreticos, vel innocentes indebitè vexando, quomodo puniantur.

INQVISITORES, & Episcopi, si
29 malitiosè aliquem innocentem de

de Hæresi inquisierint: vel è contrà, si ex odio, amore, vel lucri causa contra Hæreticum procedere omiserint, Episcopus pœnam suspensionis ab Officio per triennium; & Inquisitor Excommunicationis sententiam ipso iure incurrunt. Excusarentur, si negligerent propter scandali timorem, vel si
30 ignorarent Hæreticos. Sic & Capitulum, sede vacante, non incurrit excommunicationem propter negligentiam in procedendo contra Hæreticos: vsque ad *n.* 152.

EX QVÆST. CLXXXVI.

§. IX.

ARGVMENTVM.

Index sæcularis non se intromittit in crimine hæresis, sed tenetur Ecclesiastici Iudicis sententiam exequi, & illius præceptis obedire.

31 LICET olim de iure Ciuili Iudex sæcularis cognosceret de Hæresi, hodie tamen, cùm hoc crimen sit merè Ecclesiasticum, hoc ideo in eo non potest se intromittere: quod si secus, ipso iure excommunicatur; adeo vt nec Principes sæculares quicquam statuere valeant in concernentibus dictum crimen, quamuis Statuta augentia pœnas impositas à sacris Canonibus, nisi ab illis recedant, su-
32 stineantur. Potest tamen Iudex sæcularis carcerare Hæreticos, ad effectum illos remittendi ad Iudicem Ecclesiasticum, qui potest pro executione eorum, quæ ad sui spectant Officium, implorare Brachium sæculare, Rectorésque, & Domini Temporales tenentur requisiti auxilium in omni casu contra hæresim præstare, sententiásque ab Inquisitoribus latas exequi: quod si renuerint, compellentur per censuras Ecclesiasticas, ipso iure excommunicationem incurrent, quam si per annum sustinuerint, tamquam Hæretici condemnantur: vsque ad *num.* 170.

***

EX QVÆST. CLXXXVI.

§. X.

ARGVMENTVM.

De Iudicibus delegatis in crimine Hæresis, & an Delegatus possit subdelegare.

QVOD Papa possit causas Hæreticorum alteri delegare, nul- 33
la est dubitatio: imò talis Delegatus potest subdelegare in totum, vel pro parte: sed si subdeleget in totum, non remanet amplius Iudex, & ad eum non defertur appellatio. Episcopus causam hæresis delegare potest, sed ab eo Delegatus, alteri suas vices delegare nequit. Quæ di- 34
cimus de Episcopo, intelliguntur de Capitulo sede vacante; & de Inquisitore: vsque ad *n.* 176.

EX QVÆST. CLXXXVI.

§. XI.

ARGVMENTVM.

Capitulum sede Vacante, an, & quando possit cognoscere de crimine Hæresis.

CAPITVLVM, sede vacante per mortem Episcopi, est com- 35
petens Iudex in causa Hæreticis: sed non exercet hanc iurisdictionem de per se, sed Delegatum: illius Vicarius Generalis nullam habet iurisdictionem in Hæreticis: Capitulum non cognoscit quoad Exemptos; & tantum in causis Hæreticorum authoritatem habet, adhibito consilio vicinorum Episcoporum: vsque ad *numerum fin.* 133.

***

EX QVÆST. CLXXXVII.

§. I.

ARGVMENTVM.

Probatio in causa hæresis, an debeat esse plena, & concludens, vtrùm præsumptiones sufficiant, & an probetur per scripturas.

CVM Hæreticus qui non præsumatur, ideo ad condemnandum in hoc crimine præsumptiones non sufficiunt, nec coniunguntur imperfectæ probationes, nisi ad extraordinariè condemnandum. Hæresis tamen probatur per scripturam manu propria scriptam, & emendatam, non autem imperfectam, & non emendatam. Verba verò dubia, quæ Catholicum sensum recipere possunt, Catholicam recipere debent interpretationem, nisi adsit sinistra suspicio. Hæresis ergo probatur ex ore ipsius confitentis, & ex factis hæreticalibus: quapropter ab hæresi non excusatur ille, qui ore quidem dicit se credere, operibus verò & factis contrarium facit, nec prodest allegare fuisse extra prauam intentionem: sed ad hoc, vt Hæresis factis probetur, hæc debent esse clara, & non æquiuoca : vsque ad *num.* 22.

EX QVÆST. CLXXXVII.

§. II.

ARGVMENTVM.

De leui suspicione in crimine Hæresis.

LEVIS suspicio, nec ad torquendum, nec ad condemnandum satis est: licèt sufficiat ad inquirendum, & examinandum Reum, & ad purgationem indicendam, quia quando quis est leuiter de hæresi suspectus, abiurat etiam de leui; & ideo suspicio satis est ad pœnitentiam indicendam, dummodo sit plenè probata.

***

EX QVÆST. CLXXXVII.

§. III.

ARGVMENTVM.

De vehementi suspicione in hoc crimine.

SVSPICIONES, quamuis vehementes, non sufficiunt ad condemnandum in crimine hæresis : admittunt probationem in contrarium : sed satis sunt ad imponendam pœnam extraordinariam, multóque magis ad indicendam purgationem : & quamuis ista suspicio non sufficiat, satis tamen sunt indicia indubitata.

EX QVÆST. CLXXXVII.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De Præsumptione violenta.

HÆRETICVS condemnari potest ex violentis præsumptionibus: istæ non admittunt probationem in contrarium, licèt recipere possint indirectam: eò magis sufficiunt ad indicendam abiurationem. In proposito violenta suspicio non differt à vehementi, secundùm stylum hodiernum : benè verum est, quod talis condemnatus dicitur tantùm hæreticus præsumptus: vsque ad *n.* 52.

EX QVÆST. CLXXXVII.

§. V.

ARGVMENTVM.

De infamia, seu diffamatione in crimine Hæresis.

DIFFAMATI de hæresi dicuntur illi, de quibus est publica vox, & fama communiter apud omnes, vel maiorem, & saniorem partem ciuitatis, vel viciniæ, aut villæ, quod talem hæresim prædicauerint, defensauerint, seu aliter illi adhæserint. Sola itaque infamia sufficit ad indicendã purgationem,

ad

ad inquirendum, & procedendum in crimine Hæresis: quod si fuerit grauis, satis est ad torturam: imò purgatio non indicenda est, nisi cùm Reus publica laboret infamia: ista diffamatio probatur per testes inhabiles, quamuis ortum habuerit ab æmulis, dummodò ex probabilibus, & verisimilibus causis, necnon sit grauis & vehemens: vsque ad *n.* 73. 7

EX QVÆST. CLXXXVII.

§. VI.

ARGVMENTVM.

De confessione in Crimine Hæresis.

CONFESSIO in hoc crimine, sicut in aliis, ad condemnandum sufficit; nisi sit generalis, dubia, & incerta: potest reuocari etiam non docto de errore, non allegata probabili causa, quamuis fuerit acceptata ab Accusatore, vel à Fisco: emanata verò in Tortura non sufficit ad condemnandum, nisi fuerit ratificata: vsque ad *num.* 77. 8

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. I.

ARGVMENTVM.

De Testibus Communia.

CRIMEN hæresis probari Testibus, nemo dubitat; istósque esse compellendos ad ferendum testimonium, non obstante quocunque horum priuilegio, certum est; recusans enim, suspectus reputatur, & tamquam fautor, aut celator Hæreticorum puniri potest. Vocantur de vna Diœcesi ad aliam: examinantur post publicationem, & discita testificata: non publicantur eorum nomina, nec circumstantiæ depositionis eorum: de consuetudine hoc procedit; sed debent benè publicari, & ostendi Iuris Peritis sub sigillo silentij: & quia in examinandis dictis Testibus non admittuntur interrogatoria Rei inquisiti, propterea Inquisitores diligenter perscrutari debent Testium fidem, illósque interrogare de vita, & moribus, de loco, tempore, & personis, ac etiam de omnibus aliis, ex quibus conijci possit, an testis dicat, vel non, veritatem. 1

In hoc crimine speciale est, vt testium examen alteri committi non possit, nisi testes sint legitimè impediti venire ad Iudicem, vel Iudex ad illos accedere. Debent tamen repeti, quamuis Inquisitus confiteatur, & declaret testium depositiones habere ratas: sed non confrontantur ad faciem Inquisiti, nisi data ignorantia illius, contra quem deponit, vel nisi sint complices, & socij criminis, aut de falsitate testium dubitetur. Debent non interrogati reddere rationem scientiæ, & in eorum examine, vltra Notarium adhibendæ sunt duæ religiosæ, & discretæ personæ. Episcopi autem examinare possunt sine ista conuocatione: vsque ad *num.* 36. 2 3

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. II.

ARGVMENTVM.

De Teste Falso.

TESTIS falsus in hoc crimine arbitrariè, sed grauiùs, & atrociùs, quàm in aliis criminibus puniri debet: sed ab Episcopo, & Inquisitore simul. Punitur enim, nedum si falsum dicat, verùm & si veritatem taceat: nec ad pœnitentiam admittitur, nisi, vt Hæreticus, se sponte detulerit: & hanc eandem pœnam incurrunt corrumpentes Testes vt falsum dicant. Pœna Talionis imponitur huiusmodi Testibus, si grauiter, & notabiliter nocuerint illi, contra quem deposuerunt; & multò magis, si tamen ex eorum depositione quis fuerit iniustè condemnatus: vsque ad *n.* 54. 4 5

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. III.

ARGVMENTVM.

Quot Testes sufficiant ad condemnandum in crimine Hæresis.

TESTES duo satis probant hæresim, si sint fide digni, & omni exceptione maiores: non enim vnius digni Testis 6

fides supplet defectum, & infamiam alterius Testis; præsertim quando agatur de probanda hæresi verbo, aut facto commissa, palàm, in populosa ciuitate, coram personarum multitudine; sed id totum remittitur Iudicis arbitrio: & hoc vnum est verum, quòd vnicus Testis ad Torturam infligendam sufficiat.

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De Testibus excommuuicatis, vel aliàs inhabilibus, quando recipiantur, & quantum probent.

7 TESTES excommunicati, socij, criminosi, infames, vel aliàs inhabiles, fauore Fidei recipiuntur in crimine Hæresis, etiam sine Tortura: ideóque Birruario sancti Officij plena fides adhibetur, ex *Constit.* Innocentij IV. *de anno* 1252. dummodo agatur de leui crimine. Sed prædicti Testes inhabiles non tamen admittuntur indistinctè, & simpliciter, sed tantùm iunctis verisimilibus coniecturis, ac dummodo deponant super principali delicto, non autem super adminiculis, nec ad defensam, nec quandocumque ad condemnandum sufficiunt, nisi sint plures quàm duo.

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. V.

ARGVMENTVM.

De Teste periuro.

8 ADMITTITVR in Testem Periurus, quamuis periurij pœnitentiam non egerit: quòd si vltra periurium sit varius, statur eius secundo dicto, etiam ex interuallo emanato; dummodò ex manifestis indiciis appareat non animi leuitate, aut odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed zelo Fidei Orthodoxæ dictum suum velle corrigere appareat; sed tamen integra fides non ei adhibetur, & punitur adhuc tamquam falsus Testis: vsque ad *numerum* 101.

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. VI.

ARGVMENTVM.

De Teste inimico.

INIMICVS Testis ad probandum non admittitur; quinimò nec ad 9
accusandum: non ei creditur, quamuis deponat in articulo mortis; ideóque Inquisitores debent ex officio super hac inimicitia interrogare Testes examinandos: & si comperiant verè esse inimicos capitales, illos reijcere: cæteros verò admittere, si eorum arbitrio videbitur conuenire: vsque ad *num.* 111.

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. VII.

ARGVMENTVM.

De Teste Hæretico, & Iudæo.

HÆRETICVS, Apostata, dubius de Fide, in causa Fidei repellitur à te- 10
stificando. Extende ad Fautores, & Receptatores Hæreticorum, Iudæos, & Neophitos contra Christianum, si versemur in iudicialibus; secùs in extraiudicialibus, & in contractibus, de iure Ciuili, quoniam de iure Canonico nullatenus recipiuntur, cùm prohibeatur communicatio cum illis. Creditur Hæretico de consensu Partium, si deponat de facto proprio. In delictis atrocioribus, Simoniæ, læsæ-Maiestatis, & expilatæ Annonæ, præcipuè si verisimilia deponat; vel si tormentis fatigatus aliquid occultum, & Reipublicæ vtile reuelet: vsque ad *n.* 143.

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. VIII.

ARGVMENTVM.

De Testibus domesticis, familiaribus, & consanguineis.

TESTES domestici, & recipiuntur, & coguntur ad testificandum

contra

contra hæresim : sic & consanguinei, & affines, in quocunque gradu sint coniuncti : etiam Pater contra filium, & è contra : sed prædicti testes domestici, consanguinei, & affines, ad fauorem inquisiti non recipiuntur, nisi essent valdè digni, & spectatæ probitatis, tunc enim admitterentur, præsertim concurrente alio teste non domestico, & omni exceptione maiore, vsque ad *num.* 152. 11

EX QVÆST. CLXXXVIII.

§. IX.

ARGVMENTVM.

De testibus singularibus.

TESTES singulares non probant hæresim, etiam iuncta fama non sufficiunt ad condemnandum : probat tamen, quem esse de aliqua secta Hæreticorum : & singulares in loco, seu tempore, concordantes tamen in eadem specie hæresis, probant : ita & in connexis, quandocunque faciunt plusquam semiplenam probationem : satis sunt ad inquirendum, torquendum, & ad imponendam aliquam pœnitentiam, Iudicis arbitrio, vsque ad *num.* 164. 12

EX QVÆST. CLXXXIX.

§. I.

ARGVMENTVM.

De pœna mortis impœnitentibus, & relapsis hæreticis imponenda : siuè sint laici, siuè Clerici.

HÆRETICI cogendi, & compellendi sunt vt ad fidem redeant, etiam illis incusso timore mortis : quod si renuerint, vel impœnitentes extiterint, comburuntur vini : istáque pœna ignis approbatur à Iure Diuino, Canonico, Ciuili, & consuetudinario ; sed Hæretici impœnitentes siue Clerici, siue Laici, Iudici Laico traduntur : debent tamen Clerici priùs degradati ; & facta traditione brachio sæculari, Ecclesia orat pro eis, ne morti tradantur : & licèt hæc Ecclesiastici Iudicis intercessio videatur potius vocalis, & colorata, quàm effectualis, est tamen necessaria, & satis operatur excusando Iudicem ab irregularitate, quam sine ista intercessione incurreret, vsque ad *n.* 10. 1 2

EX QVÆST. CLXXXIX.

§. II.

ARGVMENTVM.

De degradatione.

QVID sit Degradatio, fuit dictum *hac eadem fucci p.* 1. *q.* 8. ibique inuenies quotuplex sit ; ac pariter *q.* 19. Hîc autem Regula firmatur, quod Clericus Hæreticus, antequam tradatur Curiæ seculari, deponatur : & quando Hæreticus pœnitens perpetuo carceri damnatur, tunc etiam degradatur ; quamuis si sit Clericus in minoribus Constitutus, verbaliter tantùm, non tamen realiter. Reliqua in proposito vide penès *Authorem*, qui loquitur remissiuè : vsque ad *n.* 22. 3

EX QVÆST. CLXXXIX.

§. III.

ARGVMENTVM.

De Hæretico diffidato, & bannito.

HÆRETICVS à Iure diffidatus, & bannitus reputatur, ideóque impunè occidi, & offendi potest, licétque oppugnare, & bello prosequi, Iudicis authoritatem semper requirendo, cùm necessariò requiratur, Hæreticum esse manifestum, & notorium. 4

EX QVÆST. CLXXXIX.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De pœna infamiæ.

HÆRETICI, eorúmque fautores, Receptatores, & Auxiliatores, repelluntur ab omnibus honoribus, & dignitatibus 5

gnitatibus : Irregularitatem ſtatim incurrunt; priuantur omnibus priuilegiis; omniáque acta per eos ſunt ipſo iure nulla : quod ſi ſint Notarij, eorum Inſtrumenta non valent; ad munus Aduocationis non recipiuntur; Milites eſſe non poſſunt : quæ omnia intelligas incurri à die latæ ſententiæ.

EX QVÆST. CLXXXIX.

§. V.

ARGVMENTVM.

Propter hæreſim Creditoris, vtrùm Debitor liberetur.

EO ipſo quod quis eſt Hæreticus, eius Debitores, liberantur, nec contra eos Hæreticus amplius agere valet, quamuis obligatio ſit iurata, & pœnata : quinimo iſtæ obligationes extinctę, non reuiuiſcunt: licèt enim bona ante condemnationem non confiſcentur, attamen Hæretico notorio debitum ſolui non poteſt : cuius obligationes actiuæ, tam fidelitatis, quàm alterius cuiuſcunque generis extinguntur, etiam ſi hæreſis fuerit occulta, ſi modò potuerit probari; & bona ſunt ipſo iure cofiſcata, nec debitoribus acquiruntur : vſque ad *n.* 68. 6

EX QVÆST. CLXXXIX.

§. VI.

ARGVMENTVM.

De Pœna priuationis Beneficiorum.

CLERICVS propter hæreſim priuatur beneficiis : ad alias obtinenda redditur inhabilis; ſiuè occultè, ſiuè notoriè ſit Hæreticus. Extendēdo ad Credētes, Receptatores, fautores, & Defenſores. Epiſcopus verò conferens ſcienter beneficium Clerico Hæretico, punitur; & Clericus ipſo iure abſque alia ſententia cenſetur priuatus. Effectus huius concluſionis eſt multiplex, quoniam beneficiun Hæretici poteſt impetrari tamquam vacans ipſo iure; Non eſt neceſſe exprimere requiſita ex *Regula Concell.* 32. Reſignatum ab Hæretico nullum ius tribuit Reſignatario. Sed hæc procedunt in Hæretico plenè conuicto. 7 8

EX QVÆST. CXC.

§. I.

ARGVMENTVM.

De Confiſcatione Bonorum.

HÆRETICORVM bona confiſcantur ipſo iure à die commiſſæ hæreſis; licèt requiratur Declaratoria : extenditur ad Apoſtatas, Credentes, fautores, & eorum Defenſores; & habet locum poſt mortem, quando eorum memoria damnatur. In prædicta confiſcatione veniunt bona donata causâ mortis, iura conditionalia, filiorum bona materna, peculia profectitia, & caſtrenſia : eiuſque effectus conſideratur à die commiſſi criminis. In eadem confiſcatione non comprehenditur ius patronatus, non bona futura, & acquiſita poſt condemnationem, nec peculium aduentitium filij, etiam quoad vſumfructum. Fiſcus obligatur ſoluere debita de confiſcatione, Hæreticus enim cenſetur liberatus ab omni obligatione ſoluendi, quamuis ad pinguiorem fortunam deuenerit, ſi eius bona pro ſolutione erant ſufficientia; quia ſecùs è contra : vſque ad *n.* 29. 1 2

EX QVÆST. CXC.

§. II.

ARGVMENTVM.

Domus in quam Hæretici conueniunt, & in qua ſe retrahunt, & recipiuntur, ne capiantur, nunquid confiſcetur, an verò funditus deſtruatur, & quando.

DOMVS in quam Hæretici conueniunt, vbi prædicant, & congregationes faciunt, deſtruitur, nullo vnquam tempore reædificanda : quidquid Alij teneant, eam non diruendam, ſed Fiſco applicari : quinimò deſtrui debet alia quæcunque domus, in quam Dominus non permiſit Curiam ingredi, ad perquirendos Hæreticos; bonáque 3

bonáque inuenta in dictis domibus efficiuntur capientium ; nisi capientes sint publici Officiales ; earúmque Dominus, in quibus Hæreticus inuentus fuit, perpetua nota infamiæ afficitur, & quinquaginta librarum Imperialium pœna mulctatur, quas nisi soluerit, perpetuo carceri mancipatur, lapidésque, & rudimenta ipsius destructæ domus
4 applicantur fisco. Conductor verò, qui Hæreticis scienter conductam domum sublocauit, eadem domo non destructa, arbitrariè punitur : sic & non destruitur, si Domino ignorante, Hæreticis ad suas congregationes habendas accommodata fuerit ; sed quia hæc ignorantia non præsumitur, euidenter, & per Testes omni exceptione maiores probanda est : quod si ipse Dominus Hæreticos suæ domi manentes spontè reuelauerit, ab omni pœna prorsus erit immunis, domúsque non destructa, & illæsa sibi seruabitur : vsque ad *n.* 42.

EX QVÆST. CXC.

§. III.

ARGVMENTVM.

Vxoris dos propter Mariti hæresim, an confiscetur, & quid si dicta Vxor fuerit hæretica.

5 DOs vxoris Catholicæ non confiscatur propter mariti hæresim, illíque seruantur bona paraphernalia, donatio propter nuptias, & sibi donata à consanguineis viri, nisi pactum interceſſerit, vt marito acquirentur : quinimò saluantur etiam acquisita ab vxore constante matrimonio, dummodò de reali consignatione, & numeratione dotis constet aliàs, quàm ex confessione mariti, ac dummodo scienter vxor cum Hæretico non nupserit : quod si vxor ipsa de hæresi conuincatur, irremissibiliter dos eius fisco applicatur. Alij contra, & de mente *Authoris* forsan verius : vsque ad *numer.* 57.

EX QVÆST. CXC.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De confiscatione feudi, & emphyteusis in crimine hæresis.

HÆRETICORVM, & Apostatarum feuda veniunt in confiscatione 6
bonorum, saluo iure directi dominij ; ideóque redeunt ad Dominum directum Propter autẽ hæresim feudatarij ipso iure eius Vasalli ab omni fidelitatis iuramento absoluti censentur. Bona verò Emphyteutica confiscata applicantur eorum Dominis directis, si illi habeant imperium, & dominium loci, vbi Emphyteusis sita est ; quoniam si fuerint priuatæ personæ, ipsáque Emphyteusis de sui natura transeat ad hæredes extraneos, Fisco incorporatur : vsque ad *num.* 67.

EX QVÆST. CXC.

§. V.

ARGVMENTVM.

Hæreticus, qui ipso iure amittit dominium, & administrationem suorum bonorum, quando possit de eis disponere inpræiudicium fisci.

HÆRETICVS, eo ipso quod Hæresim incurrit, perdit administra- 7
tionem & dominium ipso iure bonorum suorum ; ideóque si fuerint alienata, à Fisco reuocantur, nisi pretium eorum reperiatur in bonis confiscatis, & sic in fisci vtilitatem versum : Non tamen obligatur fiscus restituere meliorámenta facta, per emptorem in bonis Hæretici : quinimo fructus perceptos 8
reuocat, quamuis bona in varios possessores transierint. Vxor cùm sine licentia Viri vigore alicuius Statuti alienare non possit, si secus fecerit, & postea in heresim incidat, fiscus alienata reuocabit : 9
sed quia horum possessio non transit in fiscum sine reali apprehensione, ideo non reuocantur donata Locis piis, vel alienata ex causa alimentorum : vsque ad *n.* 89.

EX QVÆST. CXC.

§. VI.

ARGVMENTVM.

Hæreticus quando testari possit.

10 HÆRETICVS testari nequit, omnéque testamentum ab eo factum, vtróque iure nullum est: quod extenditur ad credentes, receptatores, & fautores Hæreticorum: quinimò nec valent testari ad pias Causas; & testamentum hæresi celebratum, etiam pœnitentia peracta non validatur: vsque ad *n.* 44.

EX QVÆST. CXC.

§. VII.

ARGVMENTVM.

Hæreticus, an, & quando sit capax successionis ex testamento, vel ab intestato.

11 HÆRETICVS priuatur omni iure successionis, & hæreditatis: quinimò, & donationis inter viuos. Quod extenditur ad fautores consultores, receptatores eorum, & ad Apostatas: filiúsque propter hæresim à patre exhæredari potest: indéque legatum factum Hæretico, Sectæ, seu collegio Hæreticorum, non valet. Sed Hæreticus pœnitens, & reconciliatus, capax efficitur hæreditatis sibi delatæ post reconciliationem, & absolutionem; secùs, si nondum reconciliatus fuerit, & per sententiam absolutus quamuis iam errore confessato, veniam petierit. Hæreditatem, cuius ipse fit incapax, ali-
12 qui dixerunt deferri proximioribus venientibus ab intestato, excluso Fisco. Alij contra dicunt: & *Author* fœdere distinctionis conciliando firmat, hæreditatem propinquorum aliis proximioribus deferri; hæreditatem verò extraneorum Fisco applicari: licèt postea concludat, quocunque modo delata sit, proximioribus reseruari, Fisco perpetuò excluso: vsque ad *num.* 104.

***

EX QVÆST. CXC.

§. VIII.

ARGVMENTVM.

Instituens Hæreticum, an, & qua pœna puniatur.

REGVLARITER Episcopus instituens Hæreticos, siue consanguineos, siue extraneos, excommunicatur; 13
illius nomen inter Dei Sacerdotes non recitatur; denegatur ei sepultura; de hæresi damnatur, dicitúrque excommunicatus à die facti testamenti, vel donationis in fauorem Hæretici cui nihil dari, aut donari permittitur. Ad propositum comprehenduntur inter Hæreticos quicunque non sunt Catholici: & huiusmodi instituentes, etiam post mortem, inquiri, & excommunicari possunt; licèt contra Episcopum non procedatur ad confiscationem bonorum, nec excommunicatio incurratur, si probabiliter ignorauerit, institutos esse hæreticos: vsque ad *n.* 118.

EX QVÆST. CXC.

§. IX.

ARGVMENTVM.

De præsumptione iuris confiscandi bona Hæreticorum.

HÆRETICORVM bona in Fisci præiudicium præscribi posse ab hæredi- 14
bus defuncti nulli dubium est: sed an & quando, & quanto tempore præscribantur? *Author* dicit quæstionem intricatam: & post relatas nouem DD. opiniones, inter se contradicentes, & aduersantes, hoc vnum indubitanter firmat, nullam præscriptionem, aut quadragenalem, aut centenariam, contra Fiscum in bonis Inquisitorum admitti, quandocunque fuerit interrupta. Nunquid autem requiratur titulus, & bona fides? certum est, in præscriptione quadraginta annorum requiri: & de iure Canonico sufficere bonam fi- 15
dem sine titulo: sed in præscriptione quadriennali bonorum vacantium, post denunciationem, necessariò requiruntur titulus & bona fides: vsque ad *n.* 130.

EX

EX QVÆST. CXC.

§. X.

ARGVMENTVM.

Pœnitentis Hæretici bona confiscata, an per pœnitentiam recuperentur.

16 QVAMPLVRES DD. intrepidè firmant, pœnitentium Hæreticorum non relapsorum bona minimè confiscari. Alij contradicunt: & hoc vnum verum est, supremum sanctæ Inquisitionis generalis senatum Hæreticis pœnas iuris infligere: sed quoad bonorum occupationem, & sententiæ executionem, magna cum misericordia, & circumspectione procedere solet, consideratis qualitatibus & circumstantiis personarum, imò & Hæretico pœnitenti restituere: quæ quidem confiscatio eò magis non irrogatur, si ante sententiam pœnitentia intercedat: nec auferuntur Hæretico occulto pœnitenti; & pœnitentis ante mortem vnitati Ecclesiæ
17 reconciliati, hæredes admittuntur ad successionem ex misericordia, & æquitate, excluso Fisco: imò quando Hæreticus impœnitens post sententiam Curiæ sæculari tradatur, indeque conuertatur, bona confiscata recuperat, excluso Fisco; & hoc nullam habet difficultatem: licèt non recuperet bona in alium translata, nec post tempus gratiæ, & post receptas probationes: vsque ad *n.* 154.

EX QVÆST. CXC.

§. XI.

ARGVMENTVM.

Bona Hæreticorum confiscata cui applicentur.

18 CLERICORVM bona patrimonialia propter hæresim confiscata applicantur Ecclesiæ, à qua stipendia acceperunt: quidquid Alij contrà. Quod si habuerint à pluribus, inter omnes diuiduntur: cessantibus dictis stipendiis, Fisco Ecclesiæ Episcopalis applicantur. Et sicut veniunt in confiscatione fructus beneficij, sic & acquiruntur ex dictis fructibus empta, distribuendo eadem ratione qua dictum fuit. Sed si Hæreticus sit Monachus, cùm quidquid acquirat, acquirat Ecclesiæ, hoc ideo confiscationi locus non est: vsque ad *num.* 163.

EX QVÆST. CXC.

§. XII.

ARGVMENTVM.

Laïcorum bona propter hæresim, à quo Iudice confiscanda, & quibus applicanda.

CVM aliàs de iure antiquo Ciuili Iudices sæculares procederent ad 19
confiscationem bonorum Laïcorum, Hæreticorum; hodie indistinctè Iudex Ecclesiasticus facit declarationem super dicta confiscatione; qua secuta, Fiscus Cæsaris apprehendit ipsa bona; & illicò sententia promulgata, non tenetur expectare, quòd Hæreticus pœnitens abiuret. Hodie tamen in præmissis seruanda sunt decreta, & constitutiones Pontificiæ, secundùm quas quid sit agendum, multæ fuerunt opiniones, quas refert *Author*: tandémque in ista communiori residet, vt bona Hæreticorum confiscata applicentur sancto Inquisitionis Officio, nisi secùs suadeant locorum consuetudines, vel decreta Summorum Pontificum specialia, vbi vigeant.

EX QVÆST. CXC.

§. XIII.

ARGVMENTVM.

Excommunicationem sustinens per annum in causa Fidei, confiscationi, & aliis Hæreticorum pœnis obnoxius declaratur à die, quem percutiunt probationes, quarum occasione fuerit citatus, & non à die sententiæ tantùm.

QVOD confiscatio bonorum condemnati de hæresi, eò quia citatus 20
in causa Fidei, & ob contumaciam excommunicatus perseuerauerit in excommunicatione per annum, veniat à die latæ sententiæ, & non à die receptarum probationum, quarum occasione fuit citatus, tenuerunt multi, solidis quidem,

&

& valde fundatis rationibus: sed *Author* secundum Stephan. Benassa, cuius consultationem funditus hîc reportat, firmat, quod confiscatio veniat nedum à die receptarum probationum, sed etiam à tempore, quod percutiunt probationes, ex quibus resultant indicia, & præsumptiones, quarum occasione processum est ad citationem.

EX QVÆST. CXCI.

§. I.

ARGVMENTVM.

De filiis Hæreticorum, quando ob paternam hæresim, paterna hæreditate priuentur.

PROPTER paternam hæresim, filij
1 etiam Catholici hæreditate paterna priuantur, etiam quoad Legitimam, & alimenta. Alij contrà: & *Author* distinguendo firmat, primam opinionem procedere in filiis natis post delictum Patris: secùs è contrà. Extendendo, vt filiæ fœminæ nec etiam dotem consequi debeant, nisi de æquitate Canonica: comprehendendo filios credentium, receptantium, fautorum, & defensorum Hæreticorum. Et licèt isti filij non priuentur propter hæresim patris pœnitentis, & ad misericordiam recepti, si tamen pœnitentia superueniat post relapsum, adhuc in præiudicium filiorum datur confiscatio. Alij contrà. Priuantur etiam hæreditate materna propter hæresim matris: quinimò eorum descendentes, & nepotes ipso iure dicti filij efficiuntur infames: priuantur quibuscunque publicis officiis, honoribus, & dignitatibus, ad quas etiam in posterum inhabiles redduntur, per *Constit. Innocentij IV. Alexandri IV. Clementis IV.*
2 *Honorij IV.* Quæ omnia procedunt de iure Canonico, non autem de iure Ciuili.

Limitatur itaque Regula proposita, & rigor iuris in filiis patris pœnitentis, qui propterea non priuantur: sic nec filij emancipati, quibus pater sua bona priùs donasset. Extendendo ad filios sponte reuelantes hæresim patris, qui propterea nullam prorsus pœnam, nec infamiam incurrunt. Non etiam priuantur filij ante hæresim concepti, & nati; licèt multi
3 in practica contrarium seruari dicant. E contrà, patres non puniuntur propter hæresim filiorum: neque filij illis bonis priuantur, quæ ad se spectarent non iure paterno, sed extraneorum. Cessat denique ista priuatio, quando simpliciter memoria Defuncti damnatur: vsque ad *n.* 43.

EX QVÆST. CXCI.

§. II.

ARGVMENTVM.

De filiis Hæreticorum Clericis, quando ob paternam hæresim beneficiis priuentur.

CLERICI filij Hæreticorum, licèt non deliquerint, propter pater- 4
nam hæresim priuantur beneficiis Ecclesiasticis acquisitis post paternam hæresim, ipso iure; & ad alia obtinenda redduntur inhabiles. Idem est de filiis credentium, fautorum, receptatorum, & auxiliatorum: quinimò Regula extenditur ad descendentes, & nepotes vsque ad secundam generationem per lineam Masculinam. Quæ procedunt, siuè sint nati post, siuè ante delictum patris; quamuis sint filij illegitimi, & patres sint condemnati in contumaciam, & beneficia obtinuerint ante paternam hæresim. Alij contrà. Priuantur etiam pensionibus, & Irregulares fiunt ad 5
Ordines suscipiendos, quamuis tantùm sint filij matris hæreticæ. Limitatur Regula in filiis Hæreticorum pœnitentium, & ad fidem redeuntium, nisi post pœnitentiam Relapsi efficiantur. Restringendo pariter in filiis Hæretici non plenè conuicti, in contumaciam condemnati, seu occulti. vsque ad *n.* 69.

EX QVÆST. CXCII.

§. I.

ARGVMENTVM.

De pœna Excommunicationis, quam propter hæresim Hæretici incurrunt.

HÆRETICI, quamuis occulti,
excommunicantur, & anathema- 1
tizantur. Alij contrà. Alij verò distinguunt inter Hæreticum *occultum omninò & totaliter*, qui in corde suo tantùm hæresi

hæresi adhærens, illam per aliqua verba, seu actus extrinsecos non patefacit; & inter Hæreticum *occultum per euidens*, eum scilicet, qui exteriùs se Hæreticum ostendit: quod primus non sit excommunicatus, secundus verò sit. Excommunicatur Hæreticus iure diuino, & ex Bulla *in Cœna Domini*. Extendendo ad Sortilegos,
2 Diuinatores, & Maleficos, si coniunctam hæresim habeant. Effectus excommunicationis sunt plures, 1. participant cum Diabolo in incendio ignis sempiterni. 2. neque Baptismus, neque mors nomine Christi susceptæ, neque alia quæuis bona opera ipsi proficere possunt ad salutem. 3. Ecclesiastica Sacramenta eis non subministrantur. 4. perfectionem Spiritus sancti, quam acceperunt, retinere non possunt: vsque ad *n.* 13.

EX QVÆST. CXCII.

§. II.

ARGVMENTVM.

Excommunicatus, si in excommunicatione per annum insorduerit, an, & quando hæreticus reputetur, & vt hæreticus condemnari possit.

EXCOMMVNICATVS propter hæ-
3 resim, eò quia citatus ad respondendum de Fide, contumax extiterit; si per annum in excommunicatione sordescat, tamquam hæreticus condemnatur: imò ipso iure absque alia sententia hæreticus reputatur; licèt verè non sit hæreticus, & misericordiam implorando recipiatur ad pœnitentiam: præcipuè si infrà annum comparere non potuit aliqua iusta de causa. Excommunicatus autem non ex causa
4 hæresis, sed pro alio crimine, etiamsi per annum in excommunicatione sordescat, tantùm de hæresi reputatur suspectus, & contra eum, tamquam suspectum proceditur ex *Concil. Trident. sess. 25. cap. 3.* Intelligas denique, dummodò excommunicatio inflicta contumacibus ortum habeat ab aliqua suspicione, aliàs secùs: & tamen post excommunicationem, & annalem persistentiam, non potest condemnari, nisi antea fuerit indicta purgatio, & terminus ad purgandum assignatus; præcesserit sententia excommunicationis, annus fuerit continuus, & citatio specifica ad respondendum de Fide; nisi tamen iste contumax esset plenè conuictus: vsque ad *numerum* 37.

EX QVÆST. CXCII.

§. III.

ARGVMENTVM.

Ecclesiastica sepultura carent Hæretici; quando hoc sit verum.

HÆRETICI Ecclesiastica se-
pultura carere debent, eorúm- 5
que ossa exhumantur, dummodò discerni possint ab ossibus Catholicorum, ipsáque sepultura, in qua hæreticus sepultus fuit, perpetuò clauditur, nunquam deinceps ossibus Catholicorum aperienda: & dantes sepulchrum Hæreticis, excommunicantur; Clerici sepelientes, officio priuantur; ad quod nunquam restituuntur nisi ex indulto Sedis Apostolicæ. Possunt tamen sepeliri, ne aër putrefiat, seu ob amicitiam, & consanguinitatem, extra tamen locum sacrum: quod si etiam in Sacro sepeliantur ignoranter, omnis pœna prorsus euaditur: vsque ad *num.* 51.

EX QVÆST. CXCII.

§. IV.

ARGVMENTVM.

Absoluere ab excommunicatione propter hæresim incursa, cui liceat.

EPISCOPVS in sua Diœcesi,
& in foro exteriori, ex ordinaria 6
potestate Hæreticos inquisitos, & pœnitentes redeuntes ad Fidem, potest recipere, Ecclesiæ reconciliare, illísque pœnitentiam iniungere: quod pariter permittitur Inquisitori, si iudicialiter, & causa cognita procedat. Generaliter enim Episcopi possunt absoluere ab omni Excommunicatione lata de ore Papæ nisi Papæ fuerit reseruata. Potest etiam Episcopus absoluere Excommunicatum ex eo, quod sanctum Inquisitionis Officium impedierit; necnon defensores, & fautores Schismaticorum, & Religiosos Apo- 7
stratas: quod si Hæreticus fuerit occultus,

&

& mentalis simpliciter, à quocunque Sacerdote approbato. Sed hodie ex Bulla *in Cœna Domini*, secundùm opinionem multorum, nec Episcopus absoluere potest, præterquam in articulo mortis, quo casu cuicunque Sacerdoti permittitur. Ac tandem Episcopus, & alius inferior à Papa restituere non potest ad officia: sic pariter nec absoluere dantes sepulturam Hæreticis: & excommunicatus ab Inquisitore, sine mandato Summi Pontificis, excepto mortis articulo, à nemine absolui potest: vsque ad *num.* 66. 8

EX QVÆST. CXCII.

§. V.

ARGVMENTVM.

De pœna Irregularitatis quam Hæretici incurrunt, & quis ab ea dispensare possit.

HÆRETICI Irregularitatem incurrunt, siue hæresis sit publica, & notoria, siue etiam occulta, & ad aliquem actum exteriorem perducta: & licèt pœnitentes Clerici in Ordine suscepto ministrare permittantur, non tamen altiùs ascendere, aut ad maiores Ordines promoueri possunt: quinimò nec sine dispensatione ministrari, extendendo ad Apostatas à Fide, & ad receptatores, fautores, & defensores Hæreticorum: à qua Irregularitate Summus Pontifex tantùm dispensat; licèt quoad vsum Ordinum iam susceptorum, secundùm opinionem multorum Episcopus dispensare possit, sicut dispensat Hæreticum, & Apostatam occultum ab Irregularitate ex Decreto *Concil. Trident. sess. 24. cap. 6.* 9

EX QVÆST. CXCIII.

§. I.

ARGVMENTVM.

Pœnitentes Hæretici, quando recipiantur, & Ecclesiæ reconcilientur.

PŒNITENTIÆ tres sunt species: *Prima*, solemnis, quæ certis ritibus in capite Quadragesimæ fieri solebat: *Secunda*, publica, quæ propter crimen publicum iniungitur. *Tertia*, priuata, quæ iniungitur, vt priuatè possit adimpleri. Regula, his præmissis, firmatur, quod pœnitentibus Hæreticis parcitur: & pœnitens dicitur ille, qui aliquando errorem in mente habuit, illúmque verbis, aut facto ostendit, postmodùm tamen ad se reductus, saniorique consilio edoctus, ab errore cordis resiliuit, & opere illum abiurauit. Admittuntur etiam ad misericordiam Hæresiarchæ, Dogmatistæ, & Magistri errorum, si verè illos pœniteat. Alij contrà. Et Alij distinguunt. Sed vtrunque sit, quando Hæresiarcha ad pœnitentiam recipitur, exactè perquirendum est an puro corde conuertatur; cùm non facilè sit, quempiam ab extrema impietate repentè discedere voluisse. Sic & recipitur Apostata Fidei, ad instar Hæretici pœnitentis, remissa tantùm pœna mortis, aliisque pœnis, magis & minus, iudicis arbitrio. Apostata autem Irregularitatis seu Religionis, si pœnitens velit ad Monasterium redire, recipiendus est, quamuis in mortis articulo pœniteat. Debent tamen Hæretici pœnitentes spontè redire, vt illis parcatur: & spontè dicuntur accedere, qui non metu mortis, sed intra tempus gratiæ pœnitentiam implorant. Quando autem admittitur sic spontè se deferens, solet in absolutione apponi clausula, *dummodò indicijs præuentus non sit*; non enim parcitur illi, qui per fraudem, & simulatè ad Fidem redit. Non admittitur Relapsus quoad pœnam temporalem, nisi ante accusationem spontè ex corde pœnitens accederet, errorem fateretur, & veniam peteret, nisi tamen timore probationum, & accusationis. In pluribus aliis casibus pœnitens non recipitur ad misericordiam, quamuis non sit Relapsus. 1. ex *Constit. Pauli IV.* 20. *Maij* 1557. Missam celebrans, non existens Sacerdos. 2. Abutentes sacramentis, Audientes Confessiones, cùm non sint Sacerdotes. 3. Abutentes sacramento sanctissimæ Eucharistiæ. 4. Negantes Trinitatem. 5. Negantes Diuinitatẽ Iesu Christi. 6. Negantes Conceptionem Verbi Dei incarnati de Spiritu sancto. 7. Negantes mortem Iesu Christi, vt nos redimeret. 8. Negantes Virginitatem sacratissimæ Virginis Mariæ. 9. Quando Magistratus, vel Domini Ecclesiastici, vel Temporales, inciderunt in schisma, hæresim, aut schisma excitauerunt: quæ omnia confirmantur ex *alia constit. Clementis VIII. die 5. Decembris* 1601. 1 2 3 4 5 6

EX

EX QVÆST. CXCIII. §. II.

ARGVMENTVM.

Quo tempore Hæreticus pœnitens ad pœnitentiam recipiatur.

7 QVANDOCVNQVE pœnitens recipiendus est: eóque magis, si comparuerit sponte & generali cõsuetudine sancti Officij: præcipuè antè lapsum terminum gratiæ: tempus autem gratiæ hodie ad arbitrium Iudicis præscribitur: quinimò recipitur quandocunque ante sententiam, & post condemnationem, vsquequò tradatur Curiæ sæculari, quamuis sint positi in tabulatu, vt sententiam proferendam publicè audiant: sed hæc omnia remissa sunt arbitrio Episcopi, & Inquisitoris, optimè consideratis qualitatibus, & circumstantiis facti & personarum.

EX QVÆST. CXCIII. §. III.

ARGVMENTVM.

Hæreticus pœnitens, & Ecclesiæ reconciliatus, an, & quando recuperet ea, quibus propter hæresim priuatus fuit.

8 HÆRETICVS pœnitens, & Ecclesiæ reconciliatus, bona per Fiscum aprehensa recuperat vnà cum beneficiis, & ad alia obtinenda efficitur habilis: cùm ex pœnitentia videatur, & dicatur à Iure dispensatus. In proposito quatuor sunt dispensationum species, scilicet semiplena, plena, plenior, & plenissima. Alij contendunt, quòd Clericus reconciliatus, vt promoueri possit, indigeat dispensatione Papæ. Hæreticus Pœnitens, & ad fidem con-
9 uersus recuperat priuilegia, quæ ob infamiam amiserat, & mulier hæretica ad fidem reuersa recuperat bona per maritum alienata. Non prohibetur hæreticus pœnitens insuper, ferre testimonium: efficitur capax successionis; sed non recuperat suorum vasallorum dominium; non liberatur ab Irregularitate, quæ fuit præordinata à Deo; sed bona restituuntur ex misericordia, si ita Inquisitori beneuisum fuerit.

EX QVÆST. CXCIII. §. IV.

ARGVMENTVM.

Hæretico Pœnitenti quæ pœnitentia sit iniungenda.

LICET Pœnitens recipiatur ad misericordiam, non dimittitur impunis 10
omninò, quamuis verbum tantùm hæreticum protulisset: imò absolutio nulla est, nisi præcedat impositio pœnitentiæ, quæ semper est arbitraria. Ex quo infertur, quòd quandóque pœna exilij, triremium perpetuarum, ieiunij, fustigationis imponatur. Hæretico verò ad fidem redeunti ex consuetudine imponitur, quòd portet habitum vulgò nuncupatum *habitello*, Crucibus rubeis, vel crocei coloris signatum ad tempus, vel in perpetuum. Abiurantes verò, & publicè pœnitentes induuntur veste pœnitentiali duplici Cruce signata, quàm vulgus, *sancti Benedicti ha-* 11
bitum appellat; eáque vti debent tempore à Iudicibus diffinito. Possunt etiam Inquisitores Hæreticis pœnitentibus iniungere, Ecclesiam, vel Hospitale ædificare, induere Pauperes, dotare Virgines, aut alia similia pietatis opera facere: sed ad solùm Inquisitorem generalem spectat pœnas iam inflictas ab Ordinario moderari: vsque ad *num.* 101.

EX QVÆST. CXCIII. §. V.

ARGVMENTVM.

De Pœna Carceris.

REGVLARITER quamuis pœnitens Hæreticus, & ad Fidem rediens, ad 12
misericordiam recipiatur, quandóque carceri perpetuo damnatur, præcipuè si causæ qualitas sic suadeat; quandóque ad tempus mancipatur, Inquisitionis arbitrio, qui potest hanc pœnam mitigare, & in aliam commutare. Mulier hæretica nupta ad misericordiam recepta ad perpetuum carcerem damnari non debet, sed consulto supremo Inquisitoris Senatu, sibi pro carcere domus mariti assignari. Quandóque Hæreticis

13 carcer datur: non debet esse ita arctus, quod abbreuiet dies, cum satis sit ipsum viuere in pane tristitiæ, & aqua doloris; imò qui tales carceres, abbreuiantes vitam hominum, deputant, non euadunt Irregularitatem. Tandem pro resolutione
14 potest fieri conclusio, omnes Hæreticos pœnitentes, non spontè comparentes, ad perpetuos carceres damnari, nunquam relaxandos sine licentia summi Pontificis; licèt magna cum æquitate, & moderatione, sanctum Tribunal in impositione huius pœnæ procedat: si enim videt veram conuersionem, cum Vltramontanis, breui tempore dispensat: cum Italis verò, magis, & minus, secundùm qualitatem facti, & personarum: vsque ad *n.* 107.

EX QVÆST. CXCIII. §. VI.

ARGVMENTVM.

De pœna pecuniaria.

15 NON prohibetur Inquisitor in crimine hæresis pœnam pecuniariam imponere, sancto Inquisitionis Officio applicandam: illámque sic impositam minuere, augere, vel commutare pro suo arbitrio: quod si condemnatus pecuniariè non valeat soluere, luet in corpore. Non tamen semper talis pœna pecuniaria imponi debet, sed tantùm quando videtur eam magis timeri, & magis Reum purgare: quapropter diuitibus auaris faciliùs imponitur, non autem confesso, conuicto, vel impœnitenti; cùm tunc ordinariè puniri debeat. Non
16 imponitur Clerico beneficio, patrimonio carenti: & demum Inquisitores circumspecti, & prudentes esse debent, ne videãtur ex auaritia imponere, & ideò aduertendum vt conueniat personæ, & peccati qualitatibus.

EX QVÆST. CXCIII. §. VII.

ARGVMENTVM.

De pœna Pœnitentis non adimplentis pœnitentiam.

17 PŒNITENS, & Ecclesiæ reconciliatus, iniunctam sibi pœnitẽtiam nisi adimpleat, potest inquiri, & puniri ab Inquisitoribus: hæredésque Hæretici pœnitentis possunt cogi ad soluendum de bonis temporalibus defuncti prò satisfactione pœnitentiæ non adimpletæ, si talis erat, quòd per alium explicari potuisset: non ergo procedit quando pœnitentia iniuncta consistit in ieiuniis, vigiliis, orationibus, vel similibus. Ampliando propositam Regulam, quando Pœnitens Ecclesiæ reconciliatur, absolui debet conditionaliter, *dummodò ex corde ad fidem redeat, & iniunctam seruet pœnitentiam*: qua conditione non adimpleta, non censetur absolutus. Sic & condemnatur, qui aufugit ex carcere pro pœnitentia assignato; quia præsumitur fictè conuersus. Alij contrà. *Author* 18 distinguendo dicit, quod si talis aufugiens se præsentet, & constituat coram Inquisitore, offerens se illi pariturum, tunc non intret pœna *Relapsi*; secùs, si arrepta fuga se occultet. Aufugiens verò, dum detinebatur processandus, habetur pro confesso, & delictum læsæ Maiestatis incurrit. Qui autem in carceribus se occiderit, eius 19 imago, tamquam Hæretici impœnitentis, comburenda est. Hæreticus verò post abiuratam hæresim non implens pœnitentiam, habetur pro Relapso. Alij contrà. Et Alij distinguunt, quòd si quis pœnitentiam non adimpleat ex fragilitate carnis, tunc non habeatur pro Relapso; vel potest dici, quòd nisi adimplens pœnitentiam, alia cõmiserit delicta hæresim sapientia, tunc videatur vti Relapsum posse condemnari: seu meliùs distingue, quædam enim sunt pœnitentiæ, quæ directè contra hæresim tendunt, scilicet ipsam detestari, contra ipsam prædicare, cum Hæreticis non conuersari, & similia: aliæ sunt, quæ non directè contra hæresim tendunt, vt ieiunare, peregrinari, & similia: primo casu non adimplens, traditur Curiæ sæculari; secundo autem, non traditur. Et tandem Regula non procedit in impedito adimplere pœ- 20 nitentiam sibi iniunctam valetudine, temporis austeritate, aut alia quacunque iusta causa: excusatur enim, nisi potuerit tollere impedimentum, & non abstulerit: vsque ad *num.* 148.

EX QVÆST. CXCIV. §. I.

ARGVMENTVM.

De Abiuratione, & eius requisitis substantialibus.

ABIVRARE, est propriè rem aliquam 1 cum iuramento negare: & Abiuratio,

tio, est solemnis hæresum detestatio, cum assertione Catholicæ veritatis, obligationéque, pœna vallata, permanendi in Fide Catholica vsque ad finem. Hæresis abiuratur quando Pœnitens reuersus ad fidem, sic iubente Iudice iureiurando promittit, se ad errores hæreticos, quos tenebat, nunquam reuersurum. Firmatur ergo Regula, quod Abiurantes debeant etiam confiteri Catholicam fidem veram esse, damnando errores quos tenuerunt, eorúmque Authores, & Authorum libros:
2 quæ quidem Abiuratio debet fieri publicè in diebus festiuis: sed verius est publicè, vel priuatè fieri debere, secundùm quod crimen fuit publicum, vel priuatum: sic nec publicè abiurare tenetur is, qui sponte, antequam sit accusatus, vel inquisitus, coram Inquisitore ex corde fatetur errorem. Abiuratio debet esse pura, perspicua, simplex, non autem conditionabilis, & ambigua: debent in ea nominari, & abiurari omnes errores, quos quis tenuit; & si in vnam tantùm hæresim inciderit, Abiuratio debet esse de illa hæresi, & generaliter de omnibus aliis: debet fieri per scripturam scriptam, aut saltèm subscriptam manu abiurantis, quæ contineat detestationem præteriti erroris, & veræ fidei confessionem; in eáque Abiuratione præcipuum, & substantiale est iuramentum, quo promittit fidem Catholicam seruare,
3 & hæresim non incurrere: debet fieri post sententiam vulgari sermone, vt ab omnibus intelligatur, nisi fieret secretè coram Personis Ecclesiasticis, linguam Latinam intelligentibus: fieri debet cum habitu pœnitentiæ duplici Cruce signato: & de ea publicum confici Instrumentum: vsque ad *num.* 23.

EX QVÆST. CXCIV. §. II.

ARGVMENTVM.

Abiurare quis teneatur.

4 OMNES Hæretici ad Fidem redeuntes debent arbitrio sui Episcopi abiurare errorem, & quod firmiter tenebunt fidem Catholicam; & nisi sic abiurauerint, ad pœnitentiam recipiendi non sunt. Maiores, & Minores abiurare debent, scilicet masculus maior annorum quatuordecim, fœmina duodecim: quinimò, & minores infra illam ætatem, si sint dolo capaces. Possunt abiurare plures Hæretici simul perlegente Secretario: & abiurare Recusantes, habentur pro conuictis, & Curiæ sæculari traduntur.

EX QVÆST. CXCIV. §. III.

ARGVMENTVM.

Purgatio propter hæresim quando indicenda sit, & quibus.

SOLA suspicio quòd quis sit Hæreticus, sufficit ad purgationem in- 5
dicendam: purgatio autem propriè est *à sordibus, & immunditiè, vel à superfluo liberatio*, quasi à *Purgare* verbo, quod sordibus, vel superfluo liberare significat. Purgatio canonica nil aliud est, quàm de obiecto crimine innocentiæ ostensio: ex quo Canonica purgatio est infamiæ seu suspicionis deletio, & innocentiæ detectio per modos à iure Canonico inductos. Quadruplex est, Spiritualis, Vulgaris, ignis post mortem, & Canonica. Ad inducendam purgationem sufficit sola diffamatio: 6
& vltra purgationem, suspecto de hæresi potest iniungi alia pœnitentia: & si iste diffamatus purgationem suscepit, & in ea non defecit, absolutus, & declaratus vir boni testimonij, non potest amplius molestari vigore præcedentium indiciorum, vel infamiæ. Purgatio indici potest ex suspicione, ex qua oritur scandalum: & in purgatione deficiens, qua pœna debeat purgari? inter DD. controuertitur: & *Au-* 7
thor, relatis quinque PP. opinionibns, tandem dicit hoc vnum esse verum, quod licèt deficiens in purgatione suscepta conuictus Hæreticus reputetur, non tamen traditur Curiæ sæculari, si ad Fidem pœnitens velit redire: & hoc validiùs est dicendum de conuicto interpretatiuè: sed purgatio tantummodò indicitur, vbi adsit suspicio probabilis: in notoriis, & probatis, non admittitur; nec in eo, qui suspicionem per torturam purgauit: non semper vna, & eadem purgatio imponitur, sed arbitrio Epis- 8
copi, & Inquisitoris, iuxta personarum, & delicti qualitatem: non datur, nisi sit à Iure statutum, vel nisi ex causa à Iure approbata: quandocunque potest appellari à decreto purgationis, & à termino ad se purgandum præfixo.

***

EX QVÆST. CXCIV.

§. IV.

ARGVMENTVM.

De forma Purgationis, & illius requisitis.

QVOAD formam Purgationis, *Author* loquitur remissiuè ad quamplures. 9 Quot autem Compurgatores interuenire debeant, quales, & cuius conditionis? de iure Canonico, si contingat Episcopum purgari, debent interuenire duodecim Episcopi compurgantes: si Sacerdos, sex Sacerdotes: si Diaconus, vnus Diaconus, cum tribus Subdiaconis: si alter inferior, vnus compurgator sufficit facienda est publicè ab eo, qui apud populum infamatus est: si autem apud paucos, coram illis paucis, & coram Iudice: 10 quod si quis inquiritur, vt puniatur, tunc fiet criminum specificatio: quod si inquiratur, vt purgetur, tunc si infamia sit specificata, etiam purgatio specificanda est, aliàs sufficit generalis. In purgatione requiritur iuramentum: quod si iurare recusauerit, tamquam Hæreticus reputatur, & in arctum monasterium detruditur: vsque ad *n.* 70.

EX QVÆST. CXCV.

§. I.

ARGVMENTVM.

Relapsi qui dicantur, qua pœna, & quando puniantur.

RELAPSI dicuntur, qui postquam vt Hæretici pœnitentes hæresim abiurarunt, iterùm relabuntur; & propterea *Relapsi* dicuntur, quasi *iterùm lapsi*. Quidam sunt manifesti, quidam præsumpti. Manifesti, de quorum primo, & secundo lapsu legitimis probationibus 2 manifestè constat. Præsumpti, quorum duplex lapsus non plenè probatur, sed tamen violenta iuris præsumptione Relapsi esse censentur. Sunt iterum duplicis speciei, aliqui scilicet verè, & aliqui fictè: verè, qui legitimè confessi, aut conuicti abiurarunt, deinde iterùm de hæresi conuincuntur: fictè, qui primò abiurarunt de vehementi, & postea de hæresi iterùm sunt conuicti.

3 Quibus præmissis, Regula firmatur, Hæreticos Relapsos Curiæ sæculari tradendos, quamuis pœnitentes misericordiam petant. Idem est de Schismaticis, & Sortilegis: sed Sortilegus tunc reputatur Relapsus, quando sic Dæmones inuocauerit in errore mentis, credens scilicet, eos sua propria, & actiua potestate facere, posse id, ad quod inuocantur. Non autem 4 dicitur Relapsus, quando primò abiurauit de leui, etiam quod postea confessus sit, vel conuictus fuerit, nisi post deprehensionem plenè constaret de illo crimine, de quo priùs erat leuiter suspectus. Sic, nec Relapsus dicitur, nisi plenè constet de primo lapsu: multò minus, qui prius abiurauit de leui, & postea iterum de leuibus sit suspectus; licèt tunc istæ duæ leues suspiciones faciant quem vehementer suspectum. Et tunc demum 5 Relapsus dicitur, qui post abiuratam hæresim propter vehementem suspicionem iterum labitur: vel etiam post purgationem dummodò purgatio, & abiuratio fuerint factæ iudicialiter; & dummodò inciderint in hæresim iam purgatam, siue abiuratam. Relapsus quoque dicitur, qui postea fauet Hæreticis, illos receptando, associando, defendendo, aut aliàs opem, & auxilium præstando: vel qui relabitur in diuersam speciem hæresis, quia hodie Hæretici pœnitentes abiurant generaliter, quamuis in vnam tantùm hæresim inciderint. De Relapsu debet constare vehe- 6 menter per euidentiam facti, aut propriam confessionem iuridicam. Inquisitor autem eos Curiæ sæculari tradere non debet, nisi priùs moneat, & moneri faciat, vt ad fidem redeant, quia Ecclesia tamquam pia Mater nulli gremium claudit: vsque ad *n.* 54.

EX QVÆST. CXCVI.

§. I.

ARGVMENTVM.

De Impœnitentibus.

PERTINACES dicuntur Impœnitentes: pertinax autem, & impœnitens 1 dicitur qui de hæresi conuictus tenaciter errorem defendens, detestari, & ad Ecclesiæ veritatem & vnitatem redire negligit; abiurare, & se purgare, ad arbitrium inquisitoris, vel Episcopi rennit. Incorrigibilis autem dicitur ille, qui non habet animum se corrigendi, sed vult esse pertinax,

induratus

2 induratus & obstinatus: ex quo Regula firmatur, Pertinaces, & Impœnitentes Curiæ sæculari esse tradendos: & habentes consensum contrarium Catholicæ veritati, Pertinaces Hæretici dicuntur: prout quicunque credit aliquam propositionem veram esse, cuius contrariam scit esse Catholicam: & ideò verè Pertinax est, credens contrarium eius, quod Ecclesia Catholica statuit, eò magis in iis, quæ quisque Catholicus scire tenetur, & apud omnes publicè sunt diuulgata: vel qui asserit & sequitur aliquam hæresim, cùm sciat contrariam veritatem quam Catholica docet Ecclesia, & generaliter, qui legitimè monitus, adhuc in errore persistit. Sunt & Impœnitentes, & Pertinaces Hæretici, qui negligunt se informare à Peritis de veritate vel falsitate opinionis cui adhærent pertinaciter, vel qui iurant se nunquam recessuros à sua opinione, quæ falsa est, & Catholicæ fidei contraria. Idem, si protestatus quis fuerit se nunquam suos errores reuocaturum: vel qui de se confessus, errores omnes non confessus fuerit: vel qui à Testibus legitimè conuictus, negat: imò dicitur pertinax, qui hæreticos errores voluntariè affirmauerit solo momento; quia eo ipso, quod quis sciens authoritatem Ecclesiæ contrariam esse propositioni, quam asserit, dicitur pertinax: sic & ille, qui confessionem de hæresi ab ipso factam, aut negat, aut eam metu tormentorum, aut alia de causa factam affirmat, vel aliàs errore non probato eam, vti erroneam reuocat, nisi antequam condemnetur, redierit ad primam confessionem, illam ratificando, & iterùm confitendo: vsque ad *num.* 25.

Pertinax item dicitur ille, qui Inquisitorem pecunia corrumpit; vel impedit prædicationem Catholicæ fidei; qui verbis, aut scriptis monitus illi resistit; vel qui latenter in errore vsque ad mortem perdurat. Cum Impœnitente nullus dispensare potest, quia absque alia sententia damnatus est. Verùm pertinacia, & impœnitentia in dubio non præsumitur: & pertinax non dicitur, nisi sit obstinatus, & incorrigibilis: imò nec traditur Curiæ sæculari, nisi pluries monitus ad Fidem venire recusauerit: vsque ad *num.* 35.

***

EX QVÆST. CXCVII.

§. I.

ARGVMENTVM.

De Atrocitate criminis hæresis: & de pluribus specialibus propter eius atrocitatem à Iure statutis.

CRIMEN hæresis atrocissimum, & criminum omnium grauissimum: 1
etiã grauius infidelitate in genere, & simpliciter loquendo: dicitur crimen in Deum commissum, crimine læsæ-Maiestatis humanæ longè grauius. Propter eius atrocitatem ad inquisitionem non requiritur diffamatio: vbique puniri potest, & inquiri; & morte delegantis non expirat delegatio Inquisitoris. Sola mentis deliberatio sufficit ad faciẽdum quem Hæreticum. In hoc crimine nullo pacto transigere permissum 2
est. Hæreticis pertinacibus fides in impunitate promissa à Iudice non seruatur. Propter paternam hæresim filij liberantur à patria potestate: emancipatio filiorum facta ab hæretico nihil valet: semel absolutus iterum inquiri potest: nullo vnquam tempore hoc crimen præscribitur: propter delinquentium multitudinem licèt pœna regulariter minuatur, in hoc delicto specialiter augetur: vsque ad *n.* 34.

EX QVÆST. CXCVII.

§. II.

ARGVMENTVM.

Reuelare Hæreticum, & Curiæ illum denunciare, an, & quando quis teneatur.

HÆRETICVM reuelare, denunciare, 3
& accusare quisque tenetur sub pœna excommunicationis, quamuis sufficientes probationes non habeat: quod facere cogitur etiam non præcedente Euangelica monitione secreta: ex quo Pater tenetur reuelare filium, & è contra: hæc tamen conclusio multos habet contradictores: & generaliter quis, etiam vinculo iura- 4
menti ligatus de non reuelando, denunciare debet: sed in proposito scientia debet esse personalis, & nemo tenetur reuelare Hæreticum emendatum; neque ad id obligatur, si iustè timeat denunciatum sibi malum illaturum: vsque ad *n.* 53.

EX QVÆST. CXCVII. §. III.

ARGVMENTVM.

Aduocatus, an, & quando admittatur ad Hæretici defensionem.

IN crimine hæresis nec Aduocatus,
5 nec Procurator admittitur, cùm isti patrocinantes dici possint eorum Defensores: quinimò tanquam infames Aduocationis officio priuantur & excommunicãtur: & quod magis est, sententia lata ad fauorem Hæretici, Aduocato aliquo patrocinante, nulla est: adeò vt etiã prohibeatur pro Hęreticis supplicari precésque offerri.
6 Notarij verò scribentes pro Hæreticis, seu ad eorum instantiam Instrumenta conficientes, pœnam infamiæ, & priuationis Officij ipso iure incurrunt: & Aduocatus auxilium præstare prohibetur etiam in extraiudicialibus: sed iste non incurrit pœnã si Hæretici causam patrocinetur ignorans: imò nec denegatur patrociniũ illi de quo dubium est, an sit verè Hæreticus; vel pro eo, qui tempore patrocinij, nõ vt hæreticus consideratur, quia velit redire ad fidem: sed quandocunque admitti debet de licẽtia Iudicis, quæ tamen non est impartienda, nisi Aduocato probo, de legalitate non suspecto, Vito vtique iurisperito & fidei zelatori. Admittitur etiam ad opponen-
7 dum defectum iurisdictionis, vel quando damnatur memoria Defuncti. Et licèt Notarij scribentes Instrumenta pro ipsis, & Aduocati, priuentur officio Aduocationis, & Notariatus respectiuè, non tamen efficiuntur Irregulares exercendo munus post suspensionem: vsque ad *n.* 85.

EX QVÆST. CXCVII. §. IV.

ARGVMENTVM.

Memoria defuncti Hæretici quando, & quomodo damnari possit.

ETIAM post mortem contra Hære-
8 ticum inquiri, & procedi potest ad damnandam eius memoriam; quamuis Episcopi memoria sit damnanda: eóque magis huiusmodi defuncti memoria damnatur, quando seipsum in carceribus occiderit. Quando autem memoria huiusmodi defuncti damnatur, eius pœna est infamiæ, excommunicationis, & denegationis Ecclesiasticæ sepulturæ, cùm propterea ossa exhumentur: & possit damnari memoria illius contumacis, qui per annum excommunicatus extiterit: quinimò procedi potest ad damnationem memoriæ Defuncti, quamuis dum viueret, esset bonæ famæ: sed si moriatur pendente processu, hæresi aliunde non probata, ab huiusmodi damnatione est ab-
9 stinendum: quinimò adhuc hæresi probata, non debet fieri personalis executio contra Hæreticum mortuum: & quandocunque memoria damnetur, citandi sunt filij, & hæredes ad suscipiendam defensionem quatenus suscipere velint, cùm eorum interest, tùm propter conseruationem famæ, tùm etiam propter confiscationem bonorum: & in hac defensione vnusquisque admittitur, nisi Defunctus in vita de hæresi suspectus, vel diffamatus fuisset. Alij contrà. Actio memoriæ defuncti damnandæ competit intra quinquennium, & non vltra: Extendo etiam ad memoriam Apostatæ. Alij
10 contrà. Et in hac memoriæ damnatione clariores, & pleniores probationes requiruntur: vsque ad *n.* 124.

Ex iis finem impono mei Succi expressioni, eiúsque depurationi, hac die 15. Augusti 1661. ad Laudem Dei, gloriosissimæ, ac Beatissimæ Virginis Deiparæ Matris Mariæ, cuius festiuitas hodie celebratur; Sanctorum Ioannis Baptistæ, Ioseph, Antonij Patauini, Philippi Nerij Patronorum meorum, totiúsque Curiæ triumphantis. Quod si aliquid non benè dictum, seu malè expressum sit; iterum Catholicæ Ecclesiæ Censuræ humillimè submitto, Lectorémque benignum deprecor, quod compatiendo discretè errores corrigat, & mei pusilli ingenij inter strepitus fori, & angustias domesticas vexati, imbecillitati referat;

Iterum atque iterum dico.

LAVS DEO.

FINIS.

INDEX

INDEX

Materiarum & Capitum Argumentorum ex toto Succo deductus.

A

ABBAS, & Prælatus, pro suo Monasterio quando testis esse possit. qu.61. illat.19. n.106. p.119

Abigeorum pœna. qu.167.n.21. p.356

Abiuratio, & eius requisita. qu.194.n.1. & seqq. p.411

Abiurare quis teneatur. qu.194. n.4. ibid.

Abolitio generalis quæ delicta comprehendat.qu.6.n.23. p.9

Abortum procurans, seu causam illi præbens, quomodo puniatur.quæst.122. part.6.n.15.& seqq. p.278

Abradens scripturas alterius quomodo puniatur.q.150.par.7.n.23. p.323

Absoluere ab Excommunicatione propter hæresim incursa, cui liceat. qu. 192.n.6. p.407

Absolutio ab Excommunicatione petita quid importet.qu.5.n.20. p.8

Absolutus semel, vel condemnatus, quando possit iterum sub eodem delicto molestari & inquiri.quæst.4.per tot. p.5

Absolutus in crimine hæresis an & quando possit iterum inquiri & accusari? quandóve absolutoria sententia in iudicatum transeat, nécne. q.185.n.40. p.393

Acclamatio quando faciat indicium ad torturam,qu.52.n.16, p.72

Accommodans domum pro committendis Adulteriis, quomodo puniatur. qu.144. §. domum accommodans. num.7. p.314

Accusare qui possint, & qui non. qu.12. per tot. p.21

Accusatio quando detur post mortem delinquentis.q.10.n.11. p.17

Accusatio quæ requirat.q.12.n.2. p.21

Accusator qualis præferatur super nece defuncti & prosequendo suorum iniuriam.q.13.per tot. p.22

Accusator falsus quando & quomodo puniatur.q.16.per tot. p.25

Accusator non probans accusationem, quando excusetur.q.16.n.7.8.9. p.26

Accusatus quando testimonium ferre possit,& quando non.q.56.art.4.n.24. & seqq. p.104

Actio iniuriarum quot modis remittatur.q.105.inspect.8.n.34.& seq.p.230

Actor ad lites an possit esse testis. q.60. illat.8.n.45.& seq. p.115

Adminiculum quid, & quotuplex sit. q.36.n.36. p.68

Administrator quando possit esse testis. q.60.illat.7.n.43. p.114

Admissus ad nouas defensiones quomodo & quando audiatur. q.11.num.18. p.20

Adorare & inuocare dæmones quando hæreticale sit? & de materia inuocationis & adorationis dæmonis. q.181. n.21.& seq. p.381

Adscribens sibi aliquid in testamento, quomodo & quando puniatur.q.150. par.8.n.27.& seq. q.324

Adstans armatus in rixa an & quomodo puniatur. q.131. par.2. num.6.& seq. p.293

Adulter quando possit esse testis. qu.56. art.7.n.34.& seq. p.105

Adulterium & copula carnalis an coniecturis & præsumptionibus probetur. q.136.cap.1.n.1.& seq. p.299

Adulterium seu copula carnalis vtrùm probetur per testes, siue ex Partium confessione iudiciali, vel extraiudiciali.q.136.c.2.n.5.& seq. p.300

Adulterium & copula carnalis quibus præsumptionibus arguatur. qu.136. cap.4.n.19.& seq. p.301

Adulterium & copula carnalis quibus præsumptionibus excludatur. q.136. cap.5.n.26.& seq. p.302

Adulterij grauitas: & pœna quando locum habeat & quando non. q.141. num.1.& seq. p.306

Adulterij exceptio quando competat hæredibus Mariti contra vxorem agentem ad dotis restitutionem. qu. 142.par.2.n.10.& seq. p.308
Adulterium an & quando sit causa separationis tori.q.143.§.separatio tori. n.6.& seq. p.309
Adulterium vnius coniugis an & quando compensetur cum adulterio alterius. quæst.143. §. compensatio. n.13. & seq. p.310
Adulterium in flagranti delicto repertum an occidere liceat vnà cum vxore.qu.121.par.2.n.8. p.275
Aduocatus quando possit esse testis. qu. 60.illat.4 n.28. p.113
Affectus, effectu non secuto, quando puniatur in crimine læsæ Maiestatis. q.116.§.4.n.11. p.268
Affectus effectu non secuto quando puniatur in crimine Veneni. qu.122. par.2.n.3. p.276
Affectus in crimine Assassinij quando puniatur non secuto effectu. q. 123. insp.4.n.9.& seq. p.279
Affectus effectu non secuto quando generaliter puniatur.q.124.par.1.n.1. & seq. p.280
Affinis quando à testimonio repellatur. quæst.54. p.96
Aggressor quod quis fuerit quomodo probetur. q.125.par.7.§.1.n.31.p.281
Aggressor quando non constet quis fuerit, quomodo procedendum sit. qu.125.p.7.§.3.n.33.& seq. p.285
Alimenta non confiscantur. qu.25.n.30. p.44
Alloquens carceratum an & quomodo puniatur.q.31.n.12.& seq. p.57
Amicus ad fauorem amici quando admittatur ad testificandum, qu.55. inspect.5.n.29. p.101
Amoris impetu delinquens an puniatur mitiùs.q.98.caus.13.n.8.& seq. p.210
Amotio terminorum quomodo puniatur.q.168.n.14. p.357
Ancilla quando testimonium ferre possit pro domino, & quando non.q.55. insp.2.n.17.& seq. p.100
Animus occidendi quomodo præsumatur & probetur. q.126.par.3.num.14. p.287
Aperiens literas alienas quomodo & quando puniatur. q.150. par.4. n.16. p.323
Apostata quando testis esse possit.qu.56. art.12.n.69. p.109
Apostasia quid sit ? quotuplex ? vnde dicatur? quomodo in ea procedatur? quis sit Iudex ? & alia ad materiam communia q.183.§.1.n.1. p.386
Apostasiæ fidei pœna.qu.183.n.6.p.387.
Apostasia obedientiæ, illius pœna, & materia q.183.n.7. ibid.
Apostasia Religionis, seu Irregularitatis, & an dicatur propriè Apostasia. q.183.n.9. ibid.
Apostasiæ Religionis seu Irregularitatis pœna. .183.n.15. p.388
Apostasia Clerici sæcularis, eiúsque pœna & materia.q.183.n.17. ibid.
Apostata fidei quis dicatur. q.183.n.2. p.386
Apostatans à fide coactus & per vim. q. 183.n.4. ibid.
Appellare in criminalibus an & quando liceat ? & appellatione pendente quando Iudex possit suam exequi sententiam. q.101. cap.1. n.1. & seq. p.219.
Appellatio à decreto torturæ an detur. q.18 per tot. p.71
Appellatio an & quando admittatur in crimine hæresis.q.185.n.44. p.393
Approbatio Notarij quando tollat suspicionem falsitatis.q 153. part.5. n.10. p.328
Arbiter quando testis esse possit. qu.60. illat. 3.n.20. p.112
Argumentum quid & quotuplex sit. qu. 36.n.34. p.68
Armorum delatio quando faciat indicium ad torturam.q.52.n.5. p.72
Articuli quando dicantur noui vel antiqui.q 75.cap.2 per tot. p.167
Articulos falsos producens quomodo puniatur. q.159. par.2. num.4. & seq. p.339
Ascendens de nocte cum scalis domum alienam, vel muros ciuitatis,quomodo puniatur.q.20.n.21. p.34
Assassinus vbi puniri possit.q.7.n.7. p.10
Assassinij atrocitas & pœna. qu.123. inspect.1.n.1.& seq. p.278
Assassinium quibus modis committatur.q.123.insp.2.n.3.& seq. ibid.
Assassinij specialia. q.123. inspect.3. n.6. & seq. p.279
Assassinij excusationes. q.123. insp.5. n. 12.& seq. p.280
Astrologi Iudiciarij qui sint,& quomodo puniantur.q.20.n.18. p.33
Auxilium præstitum ante delictum quomodo puniatur q.130.par.1.n.1.& seq p.292
Auxilium præstitum in delicto quomodo puniatur. quæst.131.par.1. n.1. & seq. p.293

Index.

B

Bannum quid sit? & quæ requirantur ad eius validitatem? quando etiam executioni mandari possit. q.11.n.11. p.19

Bannum quando sit nullum. q.11.n.14. p.19.

Bannum quomodo & quando afficiat condemnatum.q.11.n.17. p.20

Bannitus captus quas exceptiones opponere possit.q.11.n.13. p.19

Bannitus comparens quomodo defendi possit.q.11.n.19.&20. p.20

Bannitus quando sit infamis, & quando à testimonio repellatur. q.56. art.8. n.44. p.105

Banniti an & quando priuentur testamenti factione actiua & passiua? quando priuati censeantur beneficiis statutorum ciuitatis ipsorum, & iuris communis. q.102. insp.1. n.1. & seq. p.221

Bannitos occidere quando quis possit impunè & gaudere præmio & nominatione.q.103.n.1.& seq. p.222

Bannitos receptans quomodo puniatur. q.133.cap.1.n.1.& seq. p.294

Barattariæ & repetundarum detestatio. q.111.art.1.n.1. p.250

Barattariæ & Repetundarum plures pœnæ.q 111.art.2.n.2.& seq. ibid.

Barattaria quomodo probetur. q.111. art.11.n 20.& seq. p 253

Barones vtrùm habeant aggratiandi facultatem.q.6.n.5. p.8

Birroarius quando possit esse testis.q.56. art.11.n.56.& seq. p.106

Birroarij aliquid facientes iussu Principis vel Iudicis, quando excusentur. q.97.cas.6.n.16. p.208

Blasphemus quis sit, & quomodo puniatur.q.20.n.1.& seq. p.32

Blasphemus quando possit esse testis. q. 56.art.12 n.65. p.107

Bona confiscata quando recuperentur. q.6.n.11.& seqq. p.9

C

Cadauer mortui quando suspendatur & priuetur sepultura. q.10. num.21. p.18

Calumniator quando testis esse possit. q. 56.art.12.n.74. p.108

Capitulum Sede vacante an & quando possit cognoscere de crimine hæresis.q.186.n.35. p.397

Captura quando & quot modis dicatur indebitè facta.q.27.per tot. p.47

Carceratio quando & quot modis dicatur indebitè facta.q.27. p.47

Cacer priuatus à quibus committatur, & de eius pœna. q.27.num.4. & seq. p.47

Carceratio domi facta quando sit nulla. q.27.n.26 & 27. p.49

Carcerari quando possit qui ad Ecclesiamconfugit, quandovè per vim ex illa extrahi.q.28.per tot. p.50

Carcerari quandò possit vel offendi ille qui à Principe vel à Iudice saluum conductum obtinuit. q.29. per tot. p.51

Carceres frangens qua pœna puniatur. q.30.per tot. p.53

Carceratus an & quando sit fideiussoribus relaxandus? & fideiussore existente non soluendo, an Iudex vel Notarius teneatur.q.33.per tot. p.60

Carcerati contractus & obligatio an & quando valeat q.35.per tot. p.65

Carceratus quando testimonium ferre possit.q.56.art.4.n.24.& seq. p.104

Cardinalis vnius testimonio quando credatur.q.63.cap.2.n.12.& seq. p.130

Castrans seipsum quomodo puniatur. q. 20.n.22. p.34

Causæ spirituales quales sint.q.8.n.8 p.13

Causa delicti quotuplex sit, & quando faciat indicium ad torturam. q.52. n. 12.& seq. p.93

Causa scientiæ quomodo reddi debeat ad hoc vt dictum testis percipiatur & probetur.q.70.cap.3. num.28. & seq. p.160

Causa quando dicatur Criminalis, quando Ciuilis, & quando mixta. q. 100.cap.1.n.1.& seq. p.216

Causa Criminali pendente quando sit supersedendum in Ciuili. q.100. cap. 2.n.13.& seq. p.217

Cautio de non offendendo quando præstari debeat, & coram quo Iudice.q. 107.art.2.n.3.& seq. p.233

Cautionem de non offendendo præstare quando quis teneatur pro se, suis consanguineis, è quibus.q.107.part. 1.art.3.n.6.& seq. p.233

Cautio de non offendendo quando præstanda sit cum fideiussore, vel sine,ibid.art.4.n.10. p.234

Cautio de non offendendo quanto tempore duret, & per quantum tempus dari debeat. ibid. art.5.n.11. & seq. p.234

Cautio de non offendendo fracta an probetur per fugam & contumaciam.ibid.art.11.n.20.& seq. p.236

Cautio de non offendendo an censea-

tur

tur extincta per subsequentem pacem. ibid.art.12.n 22. p.236
Cautio ad hoc vt censeatur rupta quæ offensio requiratur.art.13.n.23. ibid.
Cautio an censeatur rupta per insultum non tacto corpore. art.14.n.27. & seq. p.237
Cautio an censeatur rupta per modicam percussionem seu offensionem. art. 15. num.38. ibid.
Cautio an censeatur rupta per adulterium vel stuprum commissum cum vxore vel filia illius quem non offendere promisit.art.16.n.40. & seq. p.238
Cautio an dicatur rupta per furtum.art.17. num.42. ibid.
Cautio an censeatur rupta per accusationem vel falsum testimonium. artic.18. num.43. ibid.
Cautio an censeatur rupta per offensionem factam extra Territorium. ibid. art.19.n.44. ibid.
Cautio an censeatur rupta per offensionem factam Coniuncto paciscentis. art.22.n.51. p.239
Cautio vtrùm comprehendat vtrosque coniunctos.art.23.n.52. p.240
Cautio an comprehendat Consanguineos, Affines, & Coniunctos futuros. art.24. num.55. ibid.
Cautio an censeatur rupta per offensionem factam filio, vel vxori paciscentis, seu fideiubentis. art.25.n.56. ibid.
Cautio an censeatur rupta per offensionem factam à filiis spuriis, vel spiritualibus siue adoptiuis. artic. 26. num.58. pag.241
Cautio quando comprehendat hæredes. art.27.n.60. ibid.
Cautio quando censeatur rupta per offensam factam adhærenti non nominato. art.28.n.66. p.242
Cautio an comprehendat fœminas tam actiuè quàm passiuè. art.29. num. 67. ibid.
Cautio an dicatur fauorabilis, vel odiosa. art.31.n.70. ibid.
Cautio an rupta dicatur ex offensione illata ex noua causa.art.32.n.71. p.243
Cautio de non offendendo quando vir præstare teneatur.q.143.§.Cautio.n.30. pag.312
Cedens quando possit esse testis pro cessionario, & è contrà. q.60. illat.12. n.61. & seqq. p.116
Citatio in causa hæresis. q.185. num. 34. p.392
Clerici quando sint sub iurisdictione laïcali.q.8.per tot. p.12
Clericus coniugatus quibus priuilegiis gaudeat.q.8.n.5. p.13
Clerici non possunt renunciare priuilegiis fori.q.8.n.6. ibid.
Clerici sordidas artes exercentes quando amittant priuilegium fori.q.8.num.30. ibid.
Clerici arma deferentes quando capi possint.q.8.n.30. ibid.
Clericus incorrigibilis quis dicatur & coram quo Iudice puniatur.ibid.n.19.20. pag.14
Clericus non incedens in habitu & Tonsura, siue Apostata, quando perdat fori priuilegium.ibid.n.23. ibid.
Clericus Assassinus an puniatur à Iudice Laïco.ibid.n.28. p.15
Clericus quando cogatur stare coram Iudice Laïco ibid.n.29. ibid.
Clericus factus ad effugiendam delicti punitionem.ibid.n.32. ibid.
Clericus captus à Iudice sæculari quanto tempore possit detineri in carceribus ipsius.ibid.n.34. ibid.
Clericus repertus in flagranti quomodo puniatur.q.21.n.19. p.36
Clericus contumax quas pœnas incurrat. q.18.n.15. p.28
Clericus contra Laïcum & coram sæculari Iudice examinatus quam fidem faciat, & quando admittatur.q.61.oppos. 12.n.9.& seq. p.120
Clericus ducens vxorem quomodo puniatur.q.138.part.3.n.14.& seq. p.304
Clericus periurus quomodo puniatur. q.160.§.Clericus n.17. p.341
Clericus lusor quomodo puniatur. q.109. part.2.n.9. p.246
Clericus quando carcerari possit,& quando non.q.27.n.16. & seq. p.48
Clericatus quomodo probetur. q.8. n. 15. pag.13
Clericatus quando dicatur in fraudem post delictum assumptus. ib. n.32. p.15
Cæcus quando possit esse testis. q.61. oppos. 10.n.5.& seq. p.120
Collegium illicitum formans quomodo puniatur,& quando sit prohibitum.q.113. inspect.7.n.24.& seq. p.263
Colonus quando admittatur ad testificandum pro suo domino. q.55. inspect.4. num.26. p.101
Comburens scripturas alterius quomodo puniatur.q.150.part.7.n.23. p.323
Comites vtrùm habeant aggratiandi facultatem.q.6.n.5. p.8
Commodatarius vtens re commodata ad alium vsum quam destinatum quomodo puniatur. q.169.n.1. p.358

Index.

Communitas quando teneatur pro delicto commisso in suo Territorio.q.24. per tot. p.38

Compositio quid sit? quæ requirantur ad validitatem compositionis? quando post compositionem quis iterum possit molestari.q.5.per tot. p.7

Compositio quando non detur. ibid. num.12. ibid.

Compositio quando non valeat. ibid. num.13. ibid.

Compositio an inducat confessionem. ibid.n.15. ibid.

Compositio extraiudicialis quid importet.ibid.n.16. p.8

Concubinarius quando possit esse testis. q.56.art.7.n.34.& seq. p.105

Concubinatus quo iure prohibitus, & quid sit.q.138.p.1.n.1.& seq. p.302

Concubinatus pœna quæ sit? quando habeat locum,præsertim in Clericis. ibid.part.1.n.6.& seqq. p.303

Concussio quid? & eius pœna. q.111. art.3.n.4. p.251

Condemnatus seu absolutus semel quando possit iterum de eodem delicto molestari. q.4. per tot. p.5

Condemnatus quod tempus habeat ad comparendum. q.11.n.3. p.18

Confessus quando possit confessionem reuocare.ibid.n.4. p.19

Confessarius an possit sibi dicta in Confessione reuelare.q.51. p.90

Confessio iudicialis an & quando ad condemnandum sufficiat. q.81.c.1. n.1.& seq. p.185

Confessio quando validet necessitatem processus.ibid. cap.2. num.9.& seq. pag.186

Confessio facta in vno iudicio quando probet in alio.ibid.cap.3.n.12.& seq. ibid.

Confessio qualificata quando possit scindi nécne.ib.c.4.n.13.& seq. ibid.

Confessus sponte quando mitiùs puniatur.ibid.c.5.n.25.& seq. p.187

Confessio emanata coram Iudice incompetente quantum probet. n.28. & seq.cap.6. p.188

Confessio sub spe impunitatis quando sufficiat ad condemnandum? & de materia. ibid. cap.8.num.36.& seq. ibid.

Confessio quando possit reuocari prætextu erroris. q.81.cap.9.n.42.& seq. pag.189

Confessio Minoris emanata sine Curatoris authoritate quid probet.cap.10. num.45. ibid.

Confessio extraiudicialis quando & quantum probet contra confitentem.q.82.Reg.1.n.1. p.190

Confessio extraiudicialis quando sufficiat ad Torturam. ibid. reg.2.num.8. & seq. ibid.

Confessio emanata in Tortura sine legitimis indiciis illata quando probet. q.83.cap.1.n.1. p.191

Confessio metu tormentorum facta quando confitenti noceat & ad condemnandum sufficiat? quandóve dicatur metu tormentorum extorta. ibid.c.2.n.5.& seq. ibid.

Confessio per torturam extorta quando ratificari debeat. ibid. c.3.num.7. & seq. p.192

Confessio per Interrogatoria suggestiua extorta quando præiudicet. ibid. c.4.n.9.& seq. ibid.

Confessus & conuictus simul quando appellet. q.101. c.2. num.24.& seq. pag.221

Confessio in crimine hæresis.q.187.n.8. pag.399

Confiscatio bonorum hodie vbi habeat locum de Iure communi. q.25.n.2. pag.42

Confiscatio in quibus bonis sit prohibita.ibid.n.34. p.45

Confiscatio ad quæ bona trahatur.ibid. n.18.& plurib.seqq. p.43

Confiscatio quando impediri possit. ib. n.24.& seq. p.44

Confiscandi ius quo tempore præscribatur.ibid.n.32. p.45

Confiscatio bonorum in causa hæresis. q.190.n.1. p.402

Confiscatio feudi, vel emphyteusis ob crimen hæresis.ibid.n.6. ibid.

Confugiens ad Ecclesiam quando carcerari possit.q.28.per tot. p.50

Coniectura quid & quotuplex sit.q.36. num.20. p.67

Consanguineus quando à testimonio repellatur.q.54. p.96

Consilium & auxilium dare quando quis dicatur; in quo differat consilium ab auxilio & mandato. quæst.129. part.1.n.1. p.291

Consuetudo delinquendi quid operetur. q.18.n.30. p.29

Consuetudo delinquendi quando augeat pœnam.q.23.per tot. p.37

Consuetudo loci quando delinquentem excuset.q.95.num.1.& sequent. pag.205

Consulens qua pœna puniatur. q.129. part.2.n.4.& seq. p.291

Consulens aliàs facturo an & qua pœna puniatur. q.129. part.3.num. 9.& seq. p.292.
Contestatio litis quando requiratur.q.10. num.14. p.17
Contumax bannitus & condemnatus quando comparens, seu captus, ad se excusandum & defendendum, impediendúmque sententiæ executionem admittatur.quæst.11 per tot. p.18
Contumax quando condemnari possit ibid.n.6.7.& 8. p.19
Contumacia quid sit & quomodo puniatur.q.18.per tot. p.27
Contumacia quomodo puniatur. ibid. num.12. p.28
Contumax quando possit mulctari. ibid. n.17.& 20. ibid.
Contumax verus, vel fictus, quis? ibid. num.21. ibid.
Contumacis processus. q.185. num.29. p.392
Conuenticula quid sit, & quomodo formetur.q.113.insp.4.n.13.& seq.p.261
Conuersatio quando inducat domicilium.q.7.n.4. p.10
Conuersatio cum malis hominibus quando faciat indicium ad torturam. q.52.n.6. p.93
Conuersantes cum hæreticis qua pœna puniantur. q.182.n.28. p.386
Corpus delicti quomodo requiratur ante inquisitionem ad hoc vt legitimè formari possit processus.q.2 per tot. p.3
Corrumpentis testes pœna.q.67.§.7.n.45. & seq. p.152
Corrumpens scripturas alterius quomodo puniatur. q.150. part.7. n.23. p.323
Creditor falsus quando furtum committat exigendo non sibi debitum.q.170. num.3. p.359
Creditor quando possit esse testis. q.60. illat.10.n.56.& seq. p.116
Criminis reus an possit esse testis. q.56. num.20. p.103
Culpa quid? & quotuplex sit? & quomodo puniatur. q.88. num.1. & seq. p.196
Cumulatio actionis Ciuilis & Criminalis quando à iure permittatur,quandovè vnâ electâ, liceat aliam intentare q.100.cap.3.n.34.& seq. p.218
Curator quando possit esse testis. q.60. ill.8.n.45.& seq. p.115
Custos vtens re sibi in custodiam data quando puniatur. q.169.n.1. & seq. p.358

D

Damnatus ad mortem naturalem an possit testari. q.102 insp.2. num.11. p.222
Damnatus ad mortem ciuilem an & quando censeatur priuatus testamenti factione. insp.3. num.12. ibid. ibid.
Dantes & recipientes pro obtinenda gratia apud sedem Apostolicam, an, & qua pœna puniantur.q.111.art.13. n.23.& seq. p.254
Dans operam rei illicitæ quando & qua pœna puniatur de eo quod præter eius intentionem contigit. q.126. part.2.n.11.& seq. p.286
Deambulans in via vbi fuit commissum delictum quando indicietur ad torturam.q.52.n.12. p.93
Debitor quando arceatur à testificando, vel admittatur.q.60.ill.10.num.56.& seq. p.116
Decoctus quando testis esse possit. q.56. art.12.n.70. p.108
Defensiones nunquam tolli possunt. vide de materia Ampliata & Limitata.q. 39.per tot. p.74
Defensiones an dandæ sint in causis hæreticorum antequam torqueantur, vel condemnentur. q.185. n.42. p.393
Degradatio quid sit? quotuplex? & quid operetur.q.8.n.25. p.14
Degradatio quando facienda.q.8. n.27. ibid.
Degradationis materia iterum explicatur.q.19.n.11. p.31
Degradatio in causa hæresis. q.189. n.3 p.401
Delatio armorum quando faciat indicium ad torturam.q.52.n.5. p.92
Delationis armorum prohibitio,& illius pœna quando habeat locum & quando non.q.108.n.1.& seq. p.244
Delicta quanto tempore præscribantur. q.1.n.32. p.3
Delicta commissa in confinibus. q.7. num.18. p.12
Delicta mixti fori quæ dicantur. q.8. num.35.& 36. p.16
Delicta qualiter & quanto tempore præscribantur.q.10.per tot. ibid
Delicta quæ non præscribuntur. q.10. num.8. p.17
Delicta enormia & excepta quæ dicantur.q.18.n.23. p.28
Delicta grauia & mali exempli quæ sint. ibid.n.25. ibid.

Delicta enormia de iure Canonico quæ dicantur.ibid.n.33. p.29
Delicta notoria & occulta quæ dicantur. ibid.n.34 ibid.
Delicta notoria quæ sint.quæst.21.per tot. pag.34
Delicta plura quando commissa dicantur? & quando vnicâ vel pluribus pœnis puniantur.q.22.per tot. p.36
Delicta in quibus tortura inferatur, & in quibus non.q.42.per tot. p.78
Delicta quæ sint grauia,quæ leuia, & quæ leuiuscula.ibid. per tot. ibid.
Delicti pœna quando & quomodo augeatur propter delinquendi consuetudinem.q.23.per tot. p.37
Delictum ab vna persona, & de alia in Inquisitione probatum, reddit inquisitionem nullam. q.1.n.11. p.1
Delictum quid & quotuplex sit? in quo differat à crimine & maleficio. q.18. per tot. p.27
Delictum publicè factum quomodo puniatur.q.21.n.13. p.35
Delictum commissum coram Iudice.ibid. num.16. p.36
Delictum reuelare quis teneatur.quæst.51. pag.90
Delictum an & quando probetur per scripturam.q.84 n.1.& seq. p.192
Delictum in dubio an præsumatur. q.85. n.1.& seq. p.193
Delinquens vbi puniendus? quando ad competentem Iudicem remittendus? & quando inter Iudices præuentio locum habeat.q.7.per tot. p.10
Delinquens, credendo viro fide digno, quando excusetur.q.90.inspect.3.n.12. pag.201
Delinquens dormiendo quomodo puniatur q.98.cas.12.n.5.& seq. p.210
Delinquentis morte quando delicta extinguantur.q.10.per tot. p.16
Denunciatio Officialis, seu Syndici, quando faciat indicium ad torturam. q.52. num.19. p.94
Didicisse testificata quando quis dicatur. q.75.c.3.n.6.& seq. p.167
Diffinitio & etymologia Hæresis. q.178. num.1. p.372
Diffinitiuè absolutus ex capite innocẽtiæ, non reuocatur in litem.q.4.n.13. p.6
Disputare de fide,an, quando, quomodo, & quibus liceat. q.178.num.25.& seq. pag.375
Diuturnitas temporis quando minuat pœnam.q.10.n.22. p.18
Doctor quando carcerari possit, & quando non.q.27.n.19.& seq. p.48
Doli præsumptiones quæ sint?q.89.insp.4. n.15.& seq. p.199
Dolus an & quando requiratur in delictis. q.87.insp.1.n.1.& seq. p.195
Dolus verus qua pœna puniatur. ibid. insp.2.n.12.& seq. p.196
Dolus quid sit,& quotuplex? & quomodo puniatur.q.88.n.1.& seq. ibid.
Dolus, fraus, & culpa, in dubio an præsumatur.q.89.insp.1.n.1.& seq. p.198
Dolus quando sit probandus. ibid. insp.2. n.3.& seq. ibid.
Domestici quando à testimonio repellantur,vel ad illud ferendum admittantur. q.55.insp.1.n.1.& seq, p.98
Dominus domus, vbi quis fuit repertus occisus, quando indicietur ad torturam. q.52.n.8. p.93
Dominus agri, vbi qui repertus fuit mortuus, quando indicietur ad torturam. ibid.n.9. ibid.
Domus in qua hæretici conueniunt, & in quam se recipiunt ne capiantur, an debeat confiscari, vel funditus destrui, & quando.q.190.n.3. p.402
Donatio à delinquente facta, quando in fraudem fisci facta dicatur. quæst.164. §.principium,n.1.& seq. p.349
Donatio & alienatio facta in fraudem fisci quando valeat.ib. §. in fraudem.n.3. ibid.
Donatio in fraudem fisci quando sustineatur si facta fuerit ex causa necessaria. q.164.n.8. p.350
Donatio omnium bonorum quando præsumatur in fraudem fisci. ibid.num.12. ibid.
Donatio facta coniunctæ personæ quando præsumatur facta in fraudem fisci.ibid. num.15. ibid.
Donator pro donatario quando arceatur à testimonio. q.60. illat.13.n.64.& seq. pag.116
Dos filiarum non venit in confiscatione. q.24.n.11. p.39
Dos vxoris quando confiscetur,& quando non.q.25.n.23. p.44
Dos vxoris propter mariti hæresim an confiscetur?& quid si vxor fuerit hæretica.q.190.n.5. p.403
Dubia depositio testis ex quibus verbis inducatur? quando plenam faciat probationem? & quomodo ad alicuius fauorem interpretationem recipiat. q.68.§.1.n.1.& seq. p.153
Dubitatio quid, & quotuplex. q.36. n.33. pag.68
Dubius in fide an dicatur hæreticus, & quando.q.178.n.21.& seq. p.374

Index.

E

Ebrius quando testis esse possit. q.56. art.12.n.67. p.107

Ebrius delinquens, & illius pœna. q.93. n.1.& seq. p.204

Emens rem furtiuam an & quando furti teneatur.q.177.n.3. p.371

Emens rem furtiuam an & quando teneatur eam restituere sine pretio. ibid.n.5. & seq. ibid.

Emphyteuta quando admittatur ad testificandum,q.55 insp.4.n.16. p.101

Emptionis venditionis contractus quando præsumatur pignoratitius, & fœneratitius, ex pacto de retrouendendo. q.163.n.1. p.348

Enormia delicta quæ dicantur.q.8.n.22. pag.14

Episcopus non potest causas Clerici Laïco committere ibid.n.3. p.13

Episcopus & Inquisitor quando simul procedere debeant, & quando vnus sine alio agere valeat.q.186.n.12. p.395

Episcopus numquid possit ab Inquisitore de hæresi inquiri & processari. ibid. num.24. p.396

Errantem in fide quando excusetignorantia.q.179.n.5. p.377

Euentus bonus quando delinquentem excuset.q.98.cas.19.n.19.& seq. p.212

Exceptio inhabilitatis Testium quando impediat eorum examen, quando verò reseruetur ad finem litis. q.62. limit.15. per tot. p.128

Excommunicationis absolutio petita quid importet.q.5.n.10. p.8

Excommunicatus quando possit esse testis. q.56.art.7.n.34. p.105

Excommunicationem sustinens per annũ in causa fidei, confiscationis & aliis hæreticorum pœnis obnoxius declaratur à die quem percutiũt probationes,quarum occasione fuerit citatus, & non à die sentẽtiæ tantùm.q.190.n.20. p.405

Excommunicationis pœna quam propter hæresim hæretici incurrunt. q.192.n.1. pag.406

Excommunicatus si in excommunicatione per annum insorduerit, an & quãdo reputetur hæreticus, & tanquam talis possit condemnari.ibid.n.3. p.407

Excusationes in crimine læsæ-Maiestatis. q.117.n.1.& seq. p.268

Executor testamenti quando possit esse testis.q.60.ill.8.n.45. & seq. p.115

Executoribus & Iudici,quando quis possit impunè resistere? & è contrà, quando liceat Executoribus sibi resistentes vulnerare & occidere.q.32. per tot. p.58

Eximens carceratum è carceribus qua pœna puniatur.q.30.n.12.& seq. p.54

Eximens captũ è manibus familiæ quãdo & qua pœna puniatur.q.32.per tot.p.58

Existens in peccato mortali quando possit esse testis.q.56.art.7.n.34. p.105

Expilatæ hæreditatis crimen quando locum habeat. q.174.n.22. p.363

Explicitè & implicitè credere quid sit, quando & quomodo quis teneatur explicitè credere, vel implicitè tantùm. q.179.n.11.& seq. p.378

Expressio diei in Inquisitione non est necessaria.q.1.n.9. p.1

F

Falsi pœna quæ sit. q.150. part.2.n.4. & seq. p.322

Falsi pœna quando & in quibus casibus locum habeat. ibid.p.3.n.7. ibid.

Falsi sola suspicio an habeatur pro falsitate, & quomodo puniatur.q.152.n.1.p.327

Falsificans literas Apostolicas, seu alterius Principis, quomodo puniatur. q.151. part.1.n.1. p.326

Falsis literis Apostolicis vtens quomodo puniatur. ibid.p.2.n.7. ibid.

Falsitas sine dolo cõmissa an & qua pœna puniatur.q.150.p.11.n.39.& seq.p.325

Falsitas non nociua an & quando & quomodo puniatur. ibid. part.12.n.41. ibid.

Falsitas quando præsumatur ex apostilla seu additione reperta in aliquo instrumento vel scriptura. q.153. part.1.n.1. & seq. p.327

Falsitas quando oriatur ex abrasione scripturæ ibid.p.4.n.7. p.328

Falsitas si protocollum non reperiatur quando præsumatur. ibid. part.8.n.19. pag.329

Falsitatis præsumptio quando oriatur ex cancellatione scripturæ. ibid. p.2.n.3. pag.327

Falsitatis præsumptio quando oriatur ex interlineatione.ib.p.3.n.5. p.328

Falsitatis præsumptio: ex mutatione manus ibid.p.6.n.13. p.329

Falsitatis præsumptio quando oriatur ex contrarietate & repugnantia scripturarum.ibid.p.7.n.16 ibid.

Falsitatis variæ præsumptiones. ibid.p.9. num.21. ibid.

Falsitatis præsumptiones exclusiuæ. ibid. p.10.n.34.& seq. p.330

Falsum quid sit? quot modis committatur,& accipiatur? ac de eius atrocitate. q.150.p.1.n.1. p.321

Fama requiritur in formanda Inquisitione.q.1.n.25. p.2

Index.

Fama siue bona, siue mala, siue in genere, siue in specie, ac siue in Ciuilibus, siue in Criminalibus, quid probet, quid operetur, quomodo & quando præsumatur atque probetur. q. 47. per tot. p. 84

Familiares Episcoporum à quibus puniantur q. 8. n. 16. p. 14

Familiaris quando pro familiari testimonium ferre possit, & quando non. q. 55. insp. 2. n. 17. & seq. p. 100

Famulus quando testimonium ferre possit pro suo domino, & quando non. ibid. n. 18. ibid.

Feudum quando confiscari possit. q. 25. n 9 & seq. p 42

Ficto quid & quotuplex. q. 36. n. 18. p. 67

Fideicommissarius an & quando arceatur à testimonio. q. 60. ill. 9. n. 48. & seq. p. 115

Fideiussor pro suo principali quando testis esse possit. ib. ill. 14. n. 66. & seq p. 117

Fideiussor non repræsentans carceratum quem repræsentari fideiussit, an & qua pœna teneatur? & quando repræsentare obligetur. q. 34 per tot. p. 62

Filij Rei criminis læsæ Maiestatis quando & qua pœna puniantur. q. 116. §. 3. n. 7. & seq. p. 267

Filij pro parentibus quando recipiantur in testes, & è contrà. q. 54. reg. 3. num. 17. & seq p. 97

Filiusfamilias quando solus possit comparere in iudicio q. 12. n. 4. p. 21

Filius quando teneatur pro delicto patris. q. 24 p. 3. per tot. p 38

Filius delinquendo de mandato patris quãdo excusetur. q. 97. cas. 8. n. 19. p. 209

Fiscus quando satisfacere debeat creditoribus delinquentis, & quomodo. q. 25. n. 36. & seq. p. 45

Fœneratio ex pacto de retrouendendo quando præsumatur. q. 163. n. 1. & seq. pag 348

Fornicatio quid & quotuplex sit? vnde dicatur? quo iure prohibita? de illius pœna, & materia. q. 137. n. 1. & seq. p. 288

Forum competens inter Clericum & Laïcum quale sit. q. 8. per tot. p. 12

Frater pro fratre quando admittatur ad testificandum, vel repellatur. q. 54. n. 10. & seq. p. 97

Fraus quid & quotuplex sit? & quomodo puniatur. q. 88. n. 1. & seq. p. 196

Fraus ex quibus coniecturis præsumatur ad fauorem fisci contra reum alienantẽ vel donantem q. 164. n. 17. p. 350

Fuga prætensi delinquentis an & qualem faciat contra ipsum probationem. q. 48. pag. 87

Fuga è domo in qua fuit repertus occisus quando faciat indicium ad torturam. q. 52. n. 4. p. 92

Furiosus quando testis esse possit. q. 61. oppos. 9. n. 1. & seq. p. 120

Furiosus delinquendo quando & quomodo puniatur. q. 94. n. 1. & seq. p. 204

Fur repertus cum re furtiua qua pœna puniatur. q. 7. n. 5. p. 10

Furis simplicis pœna. q. 167. n. 6. p. 354

Furi auxilium præstans, mandans furtum committi res furtiuas receptans, & fures non indicans, quomodo puniatur. q. 168. n. 7. p. 357

Furis famosi pœna; & quando tria furta cõmissa dicãtur ad hoc vt pœna mortis possit imponi q. 167. n. 9 & seq. p. 354

Furti quantitas & qualitas quando probetur & quomodo q. 176 n. 4 & seq. p. 369

Furti detestatio, definitio, & etymologia. q. 165. n. 1. & seq. p. 352

Furti secundi & magni pœna. q. 167. n 7. & seq. p. 354

Furtum domesticum quando cõmittatur, & de illius pœna q. 174. n. 19. p. 363

Furtum quando committatur volente & permittente domino ib. n 23. p. 364

Furtum quot modis committi dicatur, & in quibus casibus furti pœna locum habeat, q. 168. n 1. & seq. p. 356

Furtum quando committatur ab eo qui rem in via inuentam accepit & non restituit ibid n. 10. p. 357

Furtum commissum in incendio, & naufragio qua pœna puniatur. ib. n. 12. ibid.

Furtum quibus in casibus non dicatur furtum, nec habeat locum pœna furti. q. 174. n. 1. & seq. p. 361

Furtum quomodo & quando probetur iuramento furtum passi. q. 176. num. 1. & seq. p. 369

Furum diuersæ species. q. 166. n. 1. & seq. pag. 352

Furum pœna. q. 167. p. 1. n. 1. & seq. p 354

Fustigatus quando testis esse possit. q. 56. art. 12. n. 72. p. 107

G

Gabellæ seu noua vectigalia quando possint imponi. q. 173. n. 14. p. 362

Gabellam fraudantis pœna quando locum habeat. ibid. n. 1. & seq. p. 361

Gabellarij plus debito exigentis pœna. ibid. n. 12. & seq. ibid.

Gabellas exigendi ius quando præscribatur. ibid. n. 15. p. 362

Gratia à Principe concessa delinquentibus quando valeat & seruanda sit. q. 6. per tot. p 8

Gratia Principis ad quæ extendatur. ibid. num. 12. p. 9

Gratiam impetrans quid exponere debeat in precibus.ibid.n.21. ibid.

H

HÆres,in delictis, quando teneatur,& & ad quæ?q.10 n.18. p.18
Hæres fideiussoris de repræsentando quãdo teneatur.q.34.n.2. p.62
Hæres quando testis esse possit. q.60. ill.9. n.48.& seq. p.115
Hæres an & quando possit authoritate propria hæreditatem occupare. q.175. n.31.& seq. p.368
Hæresim committens quando inquiratur per viam notorij?& quomodo? & quis dicatur notorius & manifestus hæreticus,quis occultus.q.185.n.25. p.391
Hæresis & Hæretici etymologia & definitio:de hæreticorum sectis & speciebus: quæ requirantur vt quis hæreticus dicatur?ac de aliis ad materiam necessariis.q.178.n.1.& seq. p.372
Hæresis quibus casibus particularibus committatur.ibid n.9 & seq. p 373
Hæresis quando committatur sine intentione, iocosè, lubrico linguæ, vel per iram.q.179.n.8. p.377
Hæresis creditoris an liberet debitorem. q.189.n.6. p.402
Hæresis probatio an debeat esse plena & concludens, an verò præsumptiones sufficiant.& an probetur per scripturas. q.187.n.1. p.398
Hæresis atrocitas, & plura specialia propter atrocitatem huius criminis à iure statuta.q.197.n.1.& seq. p.413
Hæretici carent sepultura, quando hoc sit verum.q.191.n.5. p 407
Hæretici quando possint habere procuratorem & Aduocatum.q.197.n.5. p.413
Hæretici memoria quando damnanda.& quomodo damnari possit.ib.n.8. p.414
Hæretici pœnitentes quando recipiantur & Ecclesię recõciliẽtur.q.193.n.1.p.408
Hæreticis credens quomodo puniatur. q.182.n.21. p.385
Hæretico pœnitenti quæ pœnitentia sit iniungenda.q.193.n.10. p.409
Hæreticorum fautores qui dicãtur.q.182. n.1.& seq. p.383
Hæreticorum punitionem & persecutionem negligentes quomodo puniantur. ibid.n.5.& seq. ibid.
Hæreticorum punitionem impediẽs quomodo puniatur.ibid.n.16. p.384
Hæreticorum bona confiscata cui applicentur.q.190.n.18. p.405
Hæreticorum filij quando ob paternam hæresim paterna hæreditate priuentur. q.191.n.1. p.406
Hæreticorũ filij Clerici quando ob patris. hæresim beneficiis priuentur.ib.n.4.ib.
Hæreticos receptans quomodo puniatur. q.182.n.24. p.385
Hæreticos puniendo quomodo procedi debeat?de captura Reorum:de carceribus:de Notarij electione: & de materia.q.185.n.12. p.389
Hæreticos puniendo quando procedatur per accusationem.ib.n.19. p.390
Hæreticum instituens an & qua pœna teneatur.q.190.n.13. p.404
Hæreticũ reuelare & denunciare quando quis teneatur.q.197.§.2.n.3 p.413
Hæreticus quando testis esse possit. q.56. art.6.n.30. p.104
Hæreticus an sit qui quod verè peccatum est,asserit non esse peccatum, & è contra.q.178.n.20. p.374
Hæreticus an sit qui falsũ opinatur,credẽs sic ab Ecclesia teneri.q.179.n.1. p.377
Hæreticum defendens & illi fauens quomodo puniatur.q.182.n.10. p.384
Hæreticus quomodo inquiratur. q.185. num.22. p.391
Hæreticus quomodo denuncietur. ibid. num.23. ibid.
Hæreticis quæ tortura inferenda sit, ibid.n.31. p.392
Hæreticus diffidatus & bannitus. q.189. num.4. p.401
Hæreticus qui ipso iure amittit dominiũ & administrationem suorum bonorum, an possit de illis disponere in præiudicium fisci.q.190.n.7. p.403
Hæreticus quando testari possit.ibid.n.10. pag 404
Hæreticus an & quando sit capax successionis ex testamento, vel ab intestato. ibid.n.11. ibid.
Hæreticus pœnitens quo tẽpore ad pœnitentiam recipiatur.q.193.n.7. p.409
Hęreticus pœnitens & Ecclesiæ reconciliatus, an & quando recuperet ea quibus propter hæresim priuatus fuit.ib.n.8. ib.
Hebræi & Infideles contra fidẽ sentientes, an sint hæretici, & vtrùm Inquisitores contra eos procedere & inquirere possint.q.178.n.29.& seq. p.375.
Histrio quando testis esse possit. quæst. 56. art.12 n.68. p.108
Homicida vltra pœnam mortis quando teneatur hæredibus occisi ad damna & interesse.q.119.insp.4. num.14 & seq. pag 272
Homicida quando hæreditate occisi priuetur.q.120.sect 2.n.3.& seq. p.273
Homicidij atrocitas,definitio,etymologia, & distinctio:quot modis committatur: de

de illius pœna, & quando locum habeat.q.119.n.1.& seq. p.270
Homicidij pœna quando non extendatur ad mortem.ib.insp.1.n.7.& seq. p.271
Homicidij pœna de iure Canonico quæ sit.ibid.insp.3.n.10.& seq. ibid.
Homicidium quando dicatur dolosum, quando culposum,quando casuale,quãdo simplex, quando deliberatum seu præmeditatum, quando ex insidiis cõmissum probetur;& de illorum pœnis. q.126.part.1.n.1 & seq. p.286
Homicidium ad defensam commissum an & quando puniatur. q.125. part.1 n.1. & seq. p.281
Homicidium committens in vno, credens occidere alium, quomodo puniatur. ibid.p.2.n.12.& seq. p.282
Homicidium commissum pro defensione alterius,an & quando impunibile?& an quis teneatur alterum insultatum defendere.ibid p.5.n.21.& seq. p.283

I

Ignorantia iuris vel facti quando excuset ab incæstu. q 149.p.3.n.20. p.320
Impedientes familiares Inquisitorum in armorum vsu, & quomodo puniantur. q.182.n.19. p.385
Impedientes sanctum Officiũ Inquisitionis quomodo puniantur.ib.n.20. ibid.
Impœnitentes qui dicantur & quomodo puniantur.q.196.n.1.& seq. p.412
Impubes quando à testimonio ferendo repellatur,nécne. q.58. p.109
Incendij pœna quando habeat locum, & quãdo non.q.110.c.1.n.1.& seq. p.248
Incendij quæstiones variæ. ibid.c.3.n.17. & seqq. p 249
Incendium quando præsumatur ortum culpâ inhabitantium. ibid c.2. num.9. & seq. ibid.
Incestus detestatio, definitio, & pœna. q.149.p.1.n.1.& seq. p.319
Incestarum nuptiarum pœna. ibid.part.2. num.15. p.320
Indicia leuia sufficiunt ad capturam. q.36. num.3. p.67
Indicia legitima quæ dicantur. q.37. per tot. p.69
Indicia quando sunt Iudici arbitraria. ib. per tot. ibid.
Indicia an censeantur purgata per torturam.q.40 per tot. p.76
Indicia diuersa ad torturam sufficientia. q.52. p.92
Indicia furti.q.176.n.10.& seq. p.370
Indiciũ quid & quotuplex.q.36.n.2. p.66
Indicium in quo differat à semiplena probatione.ibid.n.37. p.68
Indicium proximum quale sit. q.37.n.5. pag.69
Indicium an & quando & quale oriatur ex depositione socij criminis contra culpatum ab eo.q.43. p.79
Indicium an & quando & quale oriatur ex depositione mandatarij contra mandantem.q.44. p.82
Indicium an & quando & quale oriatur ex depositione testis dicentis se falsum deposuisse de mandato alterius. q.45. ibid.
Indicium quale oriatur ex inculpatione querelantis etiam existentis in articulo mortis. q.46. p.83
Indicium an & quale resultet contra eum qui delicto non obuiat cùm obuiare possit.q.51.per tot. p.90
Indicium quale oriatur si res furtiua penès aliquem inuenta fuerit. q.177. num.1. & seq. p.371
Indulgentia quomodo ab Abolitione distinguatur, & quæ comprehendat. q.6. num.7. p.8
Infames qui dicantur.q.56. p.102
Infamia quid & quotuplex sit. ibid. n.1. & seqq. ibid.
Infamia seu diffamatio in crimine hæresis.q.187.n.6. p.398
Infamia quomodo probetur. quæst.56. ibid.
Infamiæ pœna in causa hæresis. q.189. num.5. p.401
Infamis infamia iuris quando à testimonio arceatur,vel admittatur.q.56.art.1. n.13.& seq. p.102
Infamis infamia facti quando admittatur nécne ad ferendum testimonium. ibid. art.2.n.19.& seq. p.103
Infans an à testimonio arceatur, & quando.q.58.per tot. p.109
Infantes & infantiæ proximi qui dicantur, & quando puniri possint. q.92. num.1. & seq. p.202
Infidelis quando testis esse possit. q.56. art.6. p.104
Infirmus quando carcerari possit. q.27. num.25. p.49
Inhabilitas testium videatur latè in q.62. per tot. vbi de materia tractatur per omnes casus contingibiles & controuersos, quamplurésque limitationes: & eò semper recurre.q.62. p.121
Inimicitia quando à testimonio ferendo repellat.q.53. p.95
Inimicitia an & quando faciat indicium ad torturam? quot modis contrahatur? & quæ in proposito dicatur inimicitia capitalis.q.49. per tot. p.89

Index.

Iniuria quid sit,& quomodo in iure sumatur, & quot modis inferatur.q.105. inspect.1.n.1.& seq. p.226

Iniuriarum pœna quæ sit:quotuplex detur actio : quandóve per electionem vnius actionis censeatur alteri præiudicatum: & quomodo facienda sit iniuriarum æstimatio.ibid insp.2.n.7.& seq. p.227

Iniuriarum pœna quando habeat locum, & quando non.ibid. insp.3.n.15. & seq. pag.228

Iniuria quando dicatur leuis, quandóve atrox & grauis.ibid.insp.4.n.24.& seq. pag.229

Iniuria vni facta, an alteri facta censeatur, ita vt possit pro tali iniuria alteri facta nomine proprio agere.ibid.insp.6.n.28. ibid.

Inquilinus quando admittatur ad testificandum nomine proprio. q.55. insp.4. num. 6 p.101

Inquiri quando possit contra mãdantem, auxiliatorem,vel consultorem,non cõstito de mandatario seu principali delinquente.q.3. per tot. p.4

Inquisitio quid ? quotuplex ? contra quos inquiri possit ? & quæ ad Inquisitionis validitatem requirantur.q.1 per tot. p.1

Inquisitio fama non præcedente quando formari possit.q.2. per tot. p.16

Inquisitorum potestas q.186.n.5. p.394

Inquisitor & Episcopus quando simul procedere debeant, & quando possint separatim ibid.n.12. p.395

Inquisitor de hæresi suspectus, in officio, vel extra delinquens, à quo inquiri possit ibid.n.25. p.396

Inquisitores, & Episcopi, eorúmque delegati illicitè prætextu officij pecunias extorquentes. ibid.n.27. ibid.

Inquisitores & Episcopi per malitiam negligentes procedere contra hæreticos: vel innocentes indebitè vexando, quomodo puniantur. ibid n.29. ibid.

Instrumenta falsa producens ignoranter, quando puniatur q.159.p.3 n.7. p.339

Instrumentum quando, quomodo, & per quos testes reprobetur. q. 158. part. 1. num.1. p.336

Instrumentum quando faciat notorium. q.21. n.8. p.35

Interrogatio facienda producenti falsas scripturas an ipsis vti velit. q.159. p.4. num.8. p.339

Interrogatoria examinando testi facienda, quæ & qualia sint per Iudicem admittenda? quibúsve testis ipse respondere teneatur? quando sine Interrogatoriis à Parte datis examinatus probet,vel non. q.73 per tot. p.165

Inuentus in loco delicti quando indicietur ad torturam. q.52.n.11. p.93

Iracundia an excuset à delicto. q.91. n.1. & seq. p.201

Irregularitatis pœnam quam hæretici incurrunt quis remittere possit & ab ea dispensare.q.192.n.9. p.408

Iteratio delictorum quos non grauet q.23. num.7. p.38

Iudæus quando testis esse possit. q.56.art.6. num.30. p.104

Iudæus effectus Christianus an & quomodo possit puniri de delictis commissis tempore quo erat Iudæus. quæst. 98. cas.16.n.15.& seq. p.211

Iudæus carnaliter cognoscens mulierem Christianam, quando & qua pœna puniatur.q.139.n.1.& seq. p.304

Iudæus an ligetur iuramento, & quando dicatur committere periurium. q. 160. §.Iudæus n.21.& seq. p 342

Iudæus contra fidem sentiens an dicatur hæreticus & subiaceat Inquisitioni q.178.n.29.& seq. p.375

Iudex gratiam à Principe datam non seruans,quam pœnã incurrat.q.6.n.1. p.8

Iudex ordinarius aggratiandi facultatem non habet.ibid n.7. ibid.

Iudex originis seu domicilij de quibus delictis cognoscere possit.q.7.n.12. p.10

Iudex quando teneatur Reum remittere ad alium Iudicem.ibid.n.14. p.11

Iudex quando possit cognoscere de offensa sibi illata.q.17.n.5. p.27

Iudex indebitè aliquem incarcerans qua pœna puniatur.q.27.per tot. p.47

Iudex indebitè aliquem torquens quomodo puniatur.q.37.per tot. p.69

Iudex asserens se prẽmio fuisse corruptum, quale faciat indicium contra corruptorem.q.46.n.9. p.83

Iudex quando possit esse testis.q.60.illat.3 n.20.& seq. p.112

Iudex exequens alterius Iudicis sententiã, quando excusetur ? & quando exequi teneatur.q.97.cas.3.n.10.& seq. p.208

Iudex sæcularis quando teneatur exequi sententiam Iudicis Ecclesiastici. q.97. cas.4.n.12.& seq. p.208

Iudex pecunia corruptus iniustitiam faciens qua pœna puniatur. q. 111. art.4. n.5.& seq. p.251.

Iudex corruptus iniustitiam faciens an & quibus casibus puniatur. q. 111. art.9. n.13.& seq. p.252

Iudex qui non pecunia corruptus, sed dolo iniustitiam facit, ad quid teneatur, & quando in eo præsumatur dolus potius quàm

quàm imperitia, ibid. art. 14. n. 31. & seq. p. 254
Iudex negligens in faciendo iustitiam quomodo puniatur. ibid. art. 15. n. 34. & seq. p. 255
Iudex per imperitiam malè iudicans ad quid teneatur & quando. ibid. art. 16. num. 37. ibid.
Iudex quis dicatur in crimine hæresis? & primò de Papa & Episcopo. q. 186. num. 1. p. 394
Iudex sæcularis non se intromittit in crimine hæteſis, sed tenetur Ecclesiastici Iudicis sententiam exequi, & illius mandatis obedire. q. 186. n. 31. p. 397
Iudices quando possint causam delinquentis occupare & præuenire. q. 7. per tot. p. 10
Iudices inferiores non habent arbitrium minuendi vel augendi pœnas. q. 17. n. 8. p. 27
Iudices delegati non possunt minuere vel augere pœnas q. 17. n. 9. ibid.
Iudicem corrumpens qua pœna puniatur. q. 111. art. 7. ibid. p. 252
Iudicem corrumpens an causam amittat. ibid. art. 8. n. 12. ibid.
Iudices delegati in crimine hæresis qui sint, & an subdelegare possint. q. 186. num. 33. p. 397
Iudicibus quando sit prohibitum munera recipere. q. 111. art. 10. n. 18. & seq. p. 253
Iudicis potestas in pœnis arbitrandi q. 17. per tot. p. 26
Iura transgredi in atrociſſimis quando liceat. q. 37. per tot. p. 69
Iuramentum an firmet contractum nullum, & an ex eius inobseruantia incurratur periurium. q. 160. §. nullus. num. 22. p. 342
Iuramentum quando dicatur turpe, & temerarium. ibid. §. illicitum. n. 30. & seq. p. 343
Iuramentum sub qua forma præstari debeat. ibid. §. forma. num. 38. & seq. ibid.
Iuramentum an & quando firmet contractum simulatum. q. 162. part. 2. n. 8. p. 346
Iuris notorij quot sunt species. q. 21. n. 4. p. 34
Iuris ignorantia quando in delictis excuset. q. 90. insp. 2. n. 10 & seq p. 200
Iurisdictio inter Clericum & Laïcum, per quem iudicem cognoscatur. q. 8. num. 14. p. 13
Iurisdictionis vsurpatæ crimen quomodo committatur. q. 114. insp. 1. n. 1. p. 264
Iurisdictionem turbare quando quis dicatur. ibid. insp. 2. n. 3. p. 264
Ius confiscandi quanto tempore præscribatur. q. 25. n. 32. p. 45
Iussus Iudicis quando excuset à pœna. q. 97. cas. 5. n. 15. & seq. p. 208

L

Laboratores quando excusentur laborando in fundo alieno, de mandato alterius. q. 97. cas. 7. n. 17. & seq. p. 209
Lacerans scripturas alterius quomodo puniatur. q. 150. part. 7. n. 23. p. 323
Læsæ Maiestatis crimen quid sit? quando dicatur commissum in primo vel secundo gradu? Alia de eius atrocitate, & contra quos committatur. q. 112. insp. 1. n. 1. & seq. p. 257
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur in Cardinalem. ibid. insp. 2. n. 4. & seq. p. 258
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur ab offendente Magistratum vel Officialem. ibid insp. 3. n. 10. ibid.
Læsæ Maiestatis crimen an & quando committatur in Principes inferiores. ibid. insp. 5. n. 15. p. 259
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur contra propriam patriam. ibid. insp. 6. n. 17. ibid.
Læsæ Maiestatis crimen quando committat Vniuersitas. ibid. insp. 7. n. 19. ibid.
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur à fœminis, ab Imperatore, à Prælatis, Sacerdotibus & Clericis. ibid. insp. 7. n. 20 & seq. p. 260
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur non subdito. ibid. insp. 8. n. 22. & seq. ibid.
Læsæ Maiestatis crimen quibus modis committatur. q. 113. insp. 1. n. 1. & seq. ibid.
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur ex conspiratione, machinatione, secta, seu factione contra Principem. ibid. insp. 2. n. 11. p. 261
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur ex congregatione hominum armatorum & conuenticula. ibid. insp. 4. n. 13. & seq. ibid.
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur ex reuelatione secretorum Principis. ibid. insp. 6. n. 22. p. 262
Læsæ Maiestatis crimen quando committatur ex seditione. ibid. insp. 5. n. 19. & seq. ibid.

Læsæ Maiestatis crimen quando committatur ex collegio illicito. q.113. insp.7.n.24.& seq. p.263
Læsæ Maiestatis reo opem præstans quomodo puniatur.ibid. insp.9.n.28. ibid.
Læsæ Maiestatis Rei quas pœnas incurrant, q.116.§.1.n.1.& seq. p.276
Læsæ Maiestatis reus quid amittat. ibid. §.2.n.5. ibid.
Laici quando sint sub iurisdictione Ecclesiastica.q.8.per tot. p.12
Laïcorum bona propter hæresim à quo Iudice confiscanda, & quibus applicanda.q.190.n.19. p.405
Laïcus quando arbiter esse possit in causis Clericorum.q.8.n.11. p.13
Laïcus contra Clericum examinatus quam fidem faciat & quando admittatur.q.61.oppos.13.n.14.& seq.p.121
Latronum insignium pœna:& plura specialia de materia.q.167.n.15. p.355
Legatarius quando possit esse testis. q. 60.illat.9.n.48 & seq. p.115
Legatarius an & quando possit propria authoritate rem sibi legatam occupare, & malè occupando in quam incidat pœnam. q.175. n.37. & seq. pag.368
Legitima filiorum non comprehenditur in confiscatione.q.24.n.8. p.39
Legitima ex confiscatione quando non detrahatur.ibid..n.10. ibid.
Leno quando possit esse testis, & quando repellatur.q.56.art.10.n.53.p.106
Leno vtrùm dicatur maritus retinens vxorem adulteram.q.144. §.retentio. num.13. p.314
Lenones qui dicantur & quomodo puniantur. ibid. §. Lenones. n.2.& seq. pag.313
Lenocinium parentum in filias quomodo puniatur.ibid.§.parentes.n.9. p.314
Lenocinium mariti in vxorem quomodo puniatur.ibid.§.maritus.n.11. ibid.
Leuis suspicio in crimine hæresis, quæ dicatur.q.187.n.3. p.398
Libelli famosi pœna.q.105. insp.11.n.42. & seq. p.231
Libellus in actione iniuriarum quomodo concipiatur.ibid.insp.9.n.38.p.231
Libros hæreticorum penes se retinens quomodo puniatur.q.180.n.1.& seq. pag.378
Literas alienas aperiens quomodo puniantur.q.150.part.4.n.16. p.323
Litigator quando testis esse possit. q.56. art.12.n.66. p.108
Locus & tempus in Inquisitione debet exprimi.quæst.1.num.15. p.2
Ludum retinens domi quas pœnas incurrat.q.109.par.4.n.14.& seq. p.247
Ludus, & illius pœna quando habeat locum in genere.ibid.part.1.n.1.p.246
Ludus licitus & permissus quis dicatur. ibid.part.3.n.11.& seq. p.247
Lusor à testimonio quando repellatur. q.56.art.12.n.66. p.107
Lusor quando pecuniam ludo amissam repetere possit.q.109. part.5.n.16. & seq. p.247
Lusores quando ex contractu possint obligari.ibid.part.6.n.18. p.248

M

Magistratum offendens quando dicatur committere crimen læsæ Maiestatis q.112. insp.3. n.10. & seq. pag.258
Maledicens Principi,Cardinali.aut Prælato, quomodo puniatur.q 105. insp. 10.n.39.& seq. p.253
Mandans quando & qua pœna puniatur.q.135.part.1.n.1 & seq. p.297
Mandans an verè aut fictè dicatur committere delictum?& an comprehendatur sub Statuto puniente delinquentem.q.135.part.3.num.7.& seq. pag.298
Mandans quomodo puniatur si mandatarius fines mandati excesserit. ibid. part.4.n.2.& seq. ibid.
Mandans committi delictum,quomodo possit molestari.q.3.n.1. p.4
Mandanti inquisito & comparenti debet declarari persona mandatarij. ib. num.3. ibid.
Mandatarius contra mandantem quale faciat indicium.q.44. p.82
Mandatum quomodo puniatur effectu non secuto.q.3.n.4. p.4
Mandatum in delictis quibus verbis contrahatur. q.134.cap.1. n.1. & seq. pag.295
Mandatum an præsumatur in filiis, seruo,famulo,consanguineo,vel amico. ibid.cap.3.n.9.& seq. p.296
Mandatum quando censeatur reuocatum.q.135.part.5.n.14.& seq. p.298
Maritus pro vxore quando possit esse testis.q.54.reg.4.n.28.& seq. p.98
Maritus occidendo vxorem quando perdat lucrum dotis. q.120. sect.3. num.6. p.273
Maritus non adhibendo Medicum, & non submini strando vxori suæ infirmæ medicinas & alia necessaria, an & quando priuetur lucro dotis.ibid. sect.4.n.7.& seq. ibid.

Index.

Maritus quando possit impunè vxorem in adulterio deprehensam simul cum ipso adultero occidere. q.121. part.2. num.8. p.275

Matrimonij vinculum quando dissolui possit nécne.q.143.§.præmissa. n.1.& seq. p.309

Medicis referentibus vulnus esse mortale, vel è contrà; quando credatur. q.127.part.4.n.13. p.289

Membrum quomodo sumatur. q.19.n.4. pag.30

Mendacium quando faciat indicium ad torturam.q.52.n.1. p.92

Mentita data ad prouocationem, & cum protestatione *saluo honore*, quid operetur.q.105.insp.7.n.3. p.230

Meretrix quæ dicatur, & quando probetur seu præsumatur mulieris inhonestas.q.136.cap.3.n.10.& seq.p.300

Meretrix quando possit esse testis. q.56. art.10.n.53. p.106

Metallorum venæ vbicunque inuentæ ad quem spectent? & an inuito Domino possint effodi? & generaliter de materia.q.104. insp.2. n.6. & seq. pag.225.

Milites absoluti à Iudice militari, quando ab aliis Iudicibus molestari possint.q.4.n.4. p.5

Minæ quando faciant contra minantem indicium ad torturam? latè de materia.q.50. p.90

Ministrans testes falsos quomodo puniatur.q.16.n.3. p.25

Minor quando possit reddi contumax & bannitus.q.11.n.10. p.19

Minor ob ruptam pacem qnando puniatur.q.15.n.1.& seq. p.24

Minor quando à testimonio arceatur, nécne.q.58. p.109

Minori quando noceat confessio facta sine præsentia & consensu Curatoris.q.81.cap.10.n.45.& seq. p.189

Minores qui dicantur,& quando mitiùs puniantur.q.92.n.1.& seqq. p.202

Moderamen inculpatæ tutelæ quando dicatur seruatum, & quando excessus puniatur.q.125.part.6.num.24.& seq. p.284

Monachus effectus ad effugiendam punitionem delicti, an à Iudice laïco puniri possit.q.8.n.32. p.15

Monachus quando possit transigere super iniuria propria, vel suorum.q.13. n.8.& 9. p.23

Monachus seu Religiosus quando admittatur in testem.q.61.opp.14. n.17. & seq. p.121

Monachus an dicatur apostata si propria authoritate ingrediatur Religionem laxiorem, vel strictiorem.q.183. num.14. p.388

Moneta quot modis falsificetur. q.115. insp.1.n.1.& seq.vbi de pluribus specialibus: & de pœna falsificantis monetam. p.265

Monetam tondens, seu minuens, qua pœna puniatur. ibid. insp.2. num.10. pag.266

Monetam falsam retinens, seu expendens, qua pœna puniatur.ibid.insp.3. num.12.& seq. ibid.

Monialem carnaliter cognoscens quomodo puniatur.q.146.§.sacrilegium. num.1. p.316

Mortem sibi inferens qua pœna & quando puniatur.q.128.part.1. n.1.& seq. pag.289

Mulcta quando indici possit.q.18.n.13. pag.28

Mulier quando incarcerari possit, & quando non.q.27.n.13.& seq. p.48

Mulier quando recipiatur in testem in causa criminali. q.59. cas.1. per tot. pag.110

Mulier testificans in causa ciuili. ibid. cas.2.per tot. ibid.

Mulier quando possit adhiberi testis in testamento.ibid.cas.3. p.111

Mulieres quando & quomodo excusentur à delictis. q.98. cas.10. n.1.& seq. p.209

Mulier habens duos maritos quomodo puniatur.q.140.part.1.num.1.& seq. pag.304

Mulier credens virum suum mortuum, quando possit secundò nubere. ibid. part.2.n.7.& seq. p.305

Multitudo delinquentium quando excuset.q.96.n.1.& seq. p.205

Munera recipere quando Iudicibus sit prohibitum.q.111.art.10.n.18.& seq. pag.253

Mutus in delictis quomodo excusetur. q.98.cas.17.n.17 & seq. p.211

Mutus quando possit esse testis. q.61. oppos.11.n.7.& seq. p.120

N

Negotiorum gestor quando possit esse testis.q 60.n.43. p.114

Nobilitas quando faciat delinquentes mitiùs puniri.q.98.cas.15. n.10. & seq. pag.211

Nomen mandatarij quando exprimi debeat in Inquisitione.q 3 n.5. p.4

Nomen turpe quando faciat indicium ad torturam.q.52.n.18. p.94

Nomen

Nomen sibi mutans quando puniatur & quomodo.q.160.part.5.n.19.p.323
Notarius quando teneatur, fideiussore (sub quo debitorem carceratum relaxauit) existente non soluendo. q. 35.n.16.& seq. p.60
Notarius asserens se pecunia corruptum, quale indicium faciat contra corruptorem.q.46.n.8. p.83
Notarius negans se de instrumento rogatum quomodo puniatur. q.154. part.1.n.1. p.331
Notarius conficiens instrumentum illicitum quomodo puniatur ibid. part. 2.num.4. ibid.
Notarius non seruans matricem seu protocollum quomodo puniatur. ib. part.3.n.6. ibid.
Notarius qui in instrumento testatur fuisse pecuniam numeratam, si numerata non fuit, an & quando puniatur.ibid.part.4.n.10. ibid.
Notarius scribens in testamento testatorem ore proprio nominasse hæredem, quem non nominauit, quomodo puniatur. ibid. part.5 n.14. & seq. pag.332
Notarius in variis casibus falsi tenetu & punitur.ibid.p.6.n.18.& seq. ibid[r]
Notarius conficiens falsum instrumentum qua pœna puniatur. q.155. part. 1.num.1. p.333
Notarius conficiens falsum instrumentum nullum ex defectu formæ & solemnitatum,an puniatur, & quomodo.ibid.part.2.n.3. ibid.
Notarius quando possit suum errorem corrigere.q.156.part.1.n.1. p.334
Notarius an & quando habeat pro se præsumptionem.ibid.part.4.num.14. p.335
Notarius omittens in instrumento debitas solemnitates quomodo puniatur. q.157.part.1.n.1. ibid.
Notarius omittens in instrumento consuetas clausulas, quando possit illas apponere.ibid.part.2.n.3.& seq.p 336
Notarij falsa instrumenta an valeant, & quando.q.155.part.3.num.5.& seqq. pag.333.
Notarij infamis instrumenta an valeant, & quando.ibid.part.4.n.8. ibid.
Notarij error quando Partibus noceat. q.156.part.2.n.8. p.334
Notarij error vtrùm in dubio præsumatur, & quomodo probetur.ibid. part. 3.n 12. p.335
Notarij error in omissione substantialiũ quomodo puniatur.ib. part.2.n.10.ib
Notarij putatiui instrumẽta an & quando valeant.q.155.part.5.n.10. p.334
Notorium quid sit.q.21.n.1.2. p.34
Notorium quid dicatur.ibid.n.5. ibid.
Notorium ex quibus inducatur. ibid. num.9. p.35
Notorium facti quid ? & quomodo inducatur.ibid.n.10. ibid.
Notorium in quibus consideretur & cadat.ibid.n.14. ibid.
Notorium est de se probatio probata. ibid.n.16. ibid.
Notorium non requirit sententiam solemnem, nec admittit appellationem.ibid.n.17. p.36
Nuncios & Oratores offendentes an & quomodo dicantur committere crimen læsæ Maiestatis. q.112. insp.4. num.13. p.259
Nuncius, famulus, seu alter qui pecuniam alteri deferendam sibi traditam in vsum proprium conuertit. q. 168.n.18.& seq. p.358

O

OBligatio facta in carcere priuato, nulla est.q.27.n.7. p.47
Obligatio carcerati an & quando valeat.q.35.per tot. p.65
Obligationes, & contractus facti per iracundiam quando valeant.q.91.n.1. & seq. p.201
Obscura depositio testis vnde inducatur? quando plenam faciat probationem, & quomodo ad alicuius fauorem interpretationem recipiat.q.68.§.1.n.1. & seq. p.153
Obuiare qui teneantur delicto, & qui non.q.51. p.90
Occidentis seipsum bona quando fisco applicentur. q.128. part.2. n.5.& seq. pag.290
Occidisse ad sui defensionem quando debeat probari.q.125.par.7.§.1.n.29. pag.284
Occultans scripturas alterius quomodo puniatur.q.150.part.7.n 23. p.323
Occupans & inuadens authoritate propria rei suæ vel alterius possessionem, quomodo & quando puniantur. q. 175.n.1.& seq. p.364
Occupans rem debitoris sui authoritate propria, quomodo puniatur. ibid. n. 14.& seq. p.365
Occupari quando possit propria authoritate res sibi pignoratas, vel hypothecatas,ratione pacti. ib. n 16.p.366
Offendens Officialem an & quando & quomodo puniatur.q.17.n.4. p.27
Offendens vt excusetur à pœna fractæ pacis,

pacis,vel cautionis de non offendendo, quam causam prætendere debeat.q.107.art.34.n.77.& seq. p.243
Offendens Officialem quando dicatur committere crimen læsæ Maiestatis. q.112.insp.3.n.10.& seq. p.258
Offendentes Nuncios & Oratores Principis an & quando dicantur committere crimen læsæ Maiestatis. ibid. insp.4.n.13. p.259
Offensionis noua causa quomodo probetur ad excludendam fracturam pacis,seu cautionis de non offendendo. q.107.art.33.n.75.& seq. p.243
Omissio qualitatis deductæ quid operetur in Inquisitione.q.1.n.17. p.2
Omissio substantialium, vel solemnitatum, vel clausularum solitarum ad quid obliget Notarium. q.157.n.1.2. & 3.cum seq. p.335
Opinio quid & quotuplex sit. q.36.n.32. pag.68
Oratores Principum offendi non debent, & quando offendentes crimen Maiestatis committere dicantur. q. 112.insp.4.n.13. p.259
Ordo procedendi in delictis notoriis. q. 21.per tot. p.34
Ordo procedendi contra repertum in flagranti delicto.ibid.per tot. ibid.
Ordo iuris in notoriis non seruatur : & quando hoc verum sit.ibid.n.15.p.35
Oscula illiciti & osculantis pœna. q.142. part.4.n.16.& seq. p.308

P

Pactum de Quota litis:& de materia vide q.116.per tot. p.267
Parentes pro filiis, & è contra, quando recipiantur in testes.q.54 & seq. p.96
Parricidij pœna , & delicti atrocitas. q.120.sect.1.n.1.& seq. p.272
Parricidium committens quando priuetur hereditate & successione.q.120. sect.2.n.3 & seq. p.273
Parricidium quando & quot modis cõmittatur;quandovè eius pœna locum habeat nécne. q.120. sect.5. n.10. & seq. pag.274
Partus suppositi pœna quæ sit,quomodo probetur,& quomodo probetur prægnantia matris.q.150.p.10.n.33.p.324
Pater quando teneatur pro delicto filij. q.24.per tot. p.38
Pater præsentans filium criminis reum Curiæ, an faciat eum mitiùs puniri. q.98.cas.18.n.18. p.212
Patri an & quando liceat filiam in adulterio deprehensam occidere. q.121. part.1.n.1.& seq. p.275
Pauper quando à testimonio ferendo arceatur nécne.q.57.per tot. p.108
Pax sub conditione facta quando valeat.q.5.n.8. p.7
Pax à quibus habenda sit,stante Statuto quod pacem habens mitiùs puniatur. q.14.per tot. p.23
Pax habita à mortuo quando ratificari debeat à consanguineis.ibid.n.6.p.24
Pax habita à patre pro iniuria facta filio quid operetur.ibid.n.8. ibid.
Pax habita à Minore,seu ab eius Tutore vel Curatore, quando valeat. q.15. per tot. ibid.
Pax quid & quotuplex sit. q.107.art.1. num.1.& seq. p.233
Pax vtrùm probetur facta per fugam & contumaciam.ibid.art.11.n.20.p.236
Pax vt censeatur rupta quæ offensio requiratur.ibid.art.13.n.23. ibid.
Pax an dicatur rupta ex insultu, non tacto corpore.art.14.n.27. p.237
Pax an censeatur rupta per modicam offensionem art.15.n.39. ibid.
Pax an censeatur rupta propter adulterium vel stuprum art.16. n.40.& seq. pag.238
Pax an censeatur rupta per furtum a.17. num.24. ibid.
Pax an rumpatur per accusationem vel falsum testimonium. q. 107. art. 18. num.43. ibid.
Pax an censeatur rupta per offensionem factam extra territorium.a.19.n.44.ib.
Pax an censeatur rupta ex eo quod vnus ex paciscentibus contra conditionem appositam ingrediatur ciuitatem, vel transeat per aliquem locum. q.107.art.20.n.45.& seq. p.239
Pax an censeatur rupta per offensionem secundã inter absentes. a.21.n.47.ib.
Pax an censeatur rupta per offensionem factam coniuncto paciscentis. q.107. art.22.n.51. ibid.
Pax vtrùm comprehendat consanguineos vtrinq;cõiunctos.a.23.n.52.p.240
Pax an comprehendat Consanguineos & Coniunctos futuros.a.24.n.55.ibid.
Pax an censeatur rupta per offensionem factam filio,vel vxori paciscentis.q.107.art.25.n.56. ibid.
Pax an censeatur rupta per offensam factam à filiis spuriis,vel adoptiuis,vel spiritualibus.art.26.n.58. p.241
Pax quando cõprehendat hæredes tam actiuè,quàm passiuè art.27.n.60.ibid.
Pax quando censeatur rupta per offensam factam adhærenti non nominato.art.28.n.66. p.242

Index.

Pax an comprehendat fœminas tam actiuè quàm passiuè. art. 29. n. 67. ibid.
Pax an censeatur rupta per offensionẽ factam socio itineris art. 30. n. 69. ibid.
Pax an censeatur fauorabilis, vel odiosa. art. 31. n. 70. ibid.
Pax an dicatur rupta per offensionem illatã ex noua causa. a. 32. n. 71. p. 243
Peculatus crimen, illiúsque pœna, quando habeat locum, & quando non. q. 171. n. 1. & seq. p. 359
Perduellionis crimen quando dicatur committi. q. 113. insp. 8. n. 27. p. 263
Periurij detestatio, atrocitas, definitio. q. 160. § detestatio. n. 1. p. 340
Periurij pœna quæ sit, quando habeat locum, & quando non. ibid. §. pœna. num. 3. & seq. ibid.
Periurium quando committatur sine dolo. ibid. § dolus n. 25. p. 342
Periurus an sit infamis, & quando. ibid. §. infamia. n. 13. & seq. p. 341
Periurus an & quando repellatur à limine iudicij. ib §. repel. n. 15. & seq. ibid.
Periurus an sit qui positionibus respondendo falsum iurat. ibid. §. positio. num. 19. ibid.
Periurus quando testis esse possit, vel non. q. 56. art. 5. n. 28. p. 104
Peritia, & merita delinquentis quando ipsum excusent seu liberari faciant. q. 98. cas. 15. n. 13. & seq. p. 211
Personæ quæ carcerari possint. q. 27. n. 13. & seq. p. 48
Personæ, quæ torqueri non debent, referuntur. q. 41. p. 77
Physiognomia mala quando faciat indicium ad torturam. q. 52. n. 18. p. 94
Plagiarij pœna. q. 167. n. 18. p. 355
Poculum amatorium, vel abortionis, vel sterilitatis præbẽs, aut recipiens, an & qua pœna puniatur. q. 122. p. 5. n. 11. pag. 277
Pœna quando ex temporis diuturnitate minuatur. q. 10. per tot. p. 16
Pœna quando transeat ad hæredes & successores. ibid. n. 12. 18. & 19. p. 17
Pœna ex quibus causis augeatur. q. 18. per tot. p. 27
Pœna mortis quando & in quibus casibus inferatur. q. 20. per tot. p. 32
Pœna maior quando absorbeat minorem. q. 22. n. 8. & 9. p. 37
Pœna confiscationis bonorum quando locum habeat. q. 25. per tot. p. 42
Pœna priuatum carcerem habentis quæ sit. q. 27. n. 3. p. 47
Pœna frangentis pacem. q. 107. art. 6. num. 13. & seq. p. 234
Pœna conuentionalis fractæ pacis, vel treugæ, cui applicetur. a. 8. n. 16. p. 135
Pœna conuentionalis fractæ pacis, vel treugæ, an possit iterum exigi. art. 9. num. 17. ibid.
Pœna mortis imponenda hæreticis. q. 189. n. 1. p. 401
Pœna priuationis beneficiorum in causa hæresis. ibid. n. 7. p. 402
Pœna carceris in causa hæresis. q. 193. num. 12. p. 409
Pœna pecuniaria in causa hæresis. ibid. n. 15. & seq. p. 410
Pœna pœnitentis in causa hæresis pœnitentiã non adimplentis. ib. n. 17. ib.
Pœnarum distinctio, genus, & materia. q. 19. per tot. p. 29
Pœnæ de Iure Canonico quæ sint, q. 19. num. 8. p. 31
Pœnitentia in delictis quando suffragetur. q. 124. part. 3. n. 9. & seq. p. 281
Pœnitentis hæretici bona confiscata an per pœnitentiam recuperentur. q. 190. n. 6. p. 405
Præparatio armorum quãdo faciat indicium ad torturam. q. 52. n. 17. p. 94
Præscriptio quando interrumpatur. q. 10. num. 7. p. 17
Præscriptio in quibus delictis non admittatur. ibid. n. 8. ibid.
Præscriptio iuris confiscandi bona hæreticorum. q. 190. n. 14. p. 404
Præsupmtio, per quam semel malus in eodẽ genere mali semper præsumitur malus, quid operetur. q. 23. n. 5. p. 38
Præsumptio quid & quotuplex sit. q. 36. num. 8. p. 67
Præsumptiones excludentes dolum. q. 89. insp. 3. n. 5. & seq. p. 198
Præsumptio violenta in crimine hæresis. q. 187. n. 5. p. 398
Prænaricator quis dicatur. q. 4. n. 8. p. 5
Præuentio in delictis quando detur. q. 7. num. 18. p. 12
Principes quinam habeant aggratiandi facultatem. q. 6. n. 4. p. 8
Principes Superiorem non recognoscentes quas gratias facere possint. ibid. n. 8. ibid.
Principis assertioni & testimonio quando plenè credendum sit. q. 63. cap. 3. n. 16. & seq. p. 130
Principis & superioris iussus quando excuset à pœna. q. 97. cas. 1. n. 1. & seq. pag. 207
Principis iussus quando excuset Iudicem à pœna cas. 2. n. 5. & seq. ibid.
Priuilegia fori quibus competant. q. 8. num. 4. p. 13

Probatio

Index.

Probatio quid sit & quotuplex. q. 36. n. 1. pag. 66

Probationes plenæ an censeantur purgatæ per tortùram q. 40. per tot. p. 76

Probationes in Criminalibus quando esse debeant luce meridiana clariores. q. 86. n. 1. & seq. p. 193

Procurator quando possit esse testis. q. 60. illat. 5. n. 33. & seq. p. 114

Procurator in criminalibus quando interuenire possit. q. 99. p. 1. n. 1. & seq. p. 213

Procurator fiscalis per calumniam instigans quomodo puniatur. q. 16. n. 4. p. 25

Procurator assertus quando furtum committat exigendo à debitore. q. 170. n. 1. & seq. p. 359

Prodigus quando testis esse possit. q. 56. num. 73. p. 108

Proditor quando testis esse possit. ibidem art. 12. n. 71. ibid.

Proditor quis dicatur. q. 18. n. 29. p. 29

Proditorius homicida quis dicatur. ibid. num 18. ibid.

Prohibens aliquem testari quomodo puniatur. q. 161. n. 1. p. 344

Promissores de non offendendo an vnus teneatur pro alio seu potius in solidum. art. 10. n. 18. p. 235

Promittens bonum litis euentum apud Iudices quomodo puniatur. quæst. 111. art. 12. n. 22. p. 253

Protestatio in tortura infligenda quomodo interponatur, quando valeat, & quid continere debeat? & pleniùs de materia. q. 40. per tot. p. 76

Protestatio an & quando excuset protestantem ab hæresi. q. 178 n. 36. p. 376

Prouocatus quando quis dicatur, & quomodo probetur prouocatio. q. 125. p. 7. §. 4 n. 43. & seq. p. 285

Proxeneta quando testis esse possit. q. 60. illat. 16. n. 75. & seq. p. 117

Puberes & pubertati proximi qui dicantur. q. 91. n. 1. & seq. p. 201

Publicatio testis quid & quotuplex sit, quæ requirantur ad illius formam & substantiam, quando publicationis commissio vitiet sententiam & processum, quando testes non publicati probent nécne. q. 75. c. 1. n. 1. & seq. p. 167

Purgatio propter hæresim quando indicenda sit, & quibus. q. 194. n. 5. p. 411

Purgationis forma. ibid n. 8. ibid.

Q

Qualitates non expressæ in Inquisitione reddũt eã nullã. q. 1. n. 10. p. 2

Quando *qualibet* causa excuset à dolo, à culpa, & à temeritate. q. 90. inspect. 1. n. 1. & seq. p. 200

Querelans etiam in articulo mortis quale faciat indicium contra querelatum, & quid prosit eius exculpatio. q. 46. pag. 83

Querela sola sufficit ad inquirendum in crimine Adulterij, & aliis quibusdam q. 2. n. 8. & seqq. p. 4

R

Rapiens meretricem quomodo puniatur. q. 145. §. meretrix n. 12. p. 316

Rapiens monialem qua pœna puniatur. ibid §. moniales n. 16 & seq. ibid.

Raptores an fori priuilegium allegare possint. q. 7. n 6. p. 10

Raptus, & illius pœna. q. 145. §. Raptus. n. 1. & seq. p. 315

Raptus quando committatur in mulierem volentem, & sine vi. ib. §. vis. n. 10. ibid.

Raptus attentatus quomodo puniatur. ib. §. conatus. n 14. p. 316

Ratificatio in delictis quem locum habeat. q. 24. n. 31. p. 40

Ratificatio in delictis an & quando mandato æquiparetur. q. 135 p. 2. n. 5. & seqq. pag 315

Ratio bona an sit quando testis dicit, *scio quia sum vicinus, vel consanguineus.* q. 70 c. 4 n. 46. & seq. p. 161

Ratio qualis esse debeat ad hoc vt dictum testis sustineatur. ibid. c. 3. n. 28. & seq. pag. 160

Rebellionis crimen quando committi dicatur. q. 113. insp. 2. n. 7. & seq. p. 261

Receptans bannitos quomodo puniatur. q. 133. c. 1. n. 1. p. 294

Receptans fures qua teneatur pœna. ibid. c. 2. n. 6. & seq. p. 295

Receptans bannitos & delinquentes ignoranter, quomodo puniatur. ibid. cap. 3. n. 9. & seq. ibid.

Recipiens aut dans aliquid pro recipienda gratia à Sede Apostolica, quomodo & quando puniatur. q. 111. art. 13. num. 23. & seq. p. 254

Relapsi qui dicantur? qua pœna, & quando puniantur. q. 195. n. 1. & seq. p. 412

Relaxatus sub fideiussore reuocari potest ad carceres. q. 4. n. 12. p. 6

Remissio quid sit, & quando valeat. q. 5. num. 8. p. 7

Remissoria ad examinandum testes quando concedi debeat in Ciuilibus. q. 77. cap. 1. n. 1. & seqq. p. 177

Remissoria ad examinandum testes quando sit in Criminalibus concedenda. q. 77. c. 2. n. 8. & seq. p. 178

Remissoria ibidem quando concedatur nécne in Ciuilibus & Criminalibus. ibid. n. 10. & seq. ibid.

Repulsa testium quando admittatur in Criminalibus. q.62. limit.9. num. 37. & seq. p.125
Requisitio facienda per Episcopum Inquisitori & è contrà. q.186.n.21. p.394
Rescriptum quando impetranti non suffragetur. q.6 n 22. p.9
Rescriptum obreptitium, vel subreptitium impetrans quomodo puniatur. q. 150. part.6.n.21. p.323
Residui pœna quando locum habeat? & crimen Residui quomodo committatur. q.171.n.1.& seq. p.359
Restitutio in integrum an & quando concedatur maiori, minori, mulieri, siue alteri ad examinandum post publicationem q.75.c.15.n.66.& seq. p.173
Restitutio in integrum quando detur minori aduersus suam confessionem. q.81. c.10 n.45.& seq. p.189
Reuelare delicta quis & quando teneatur. q.51. p.90
Reus an debeat esse præsens vt inquiri possit in eum q.1.n.33. p.3
Reus quando post relaxationem possit ad carceres reuocari. q.4.n.14. p.6
Reus repertus in flagranti crimine quomodo puniatur? & quo ordine in eum procedatur. q.21.n.18.& 20. p.36
Reus in flagranti crimine repertus potest statim torqueri. ibid.n.21. ibid.
Reus qui non habet in bonis, an & quando liceat in corpore? seu deficiente pecunia ex causa paupertatis quando infligatur pœna corporalis. q 26. per tot. pag.45
Reus non respondens, vel non præcisè respondens, quando torqueri possit. q. 7. per tot. p.69
Reus conuictus seu confessus de vno furto, alióve delicto, quãdo possit super aliis torqueri & interrogari. ib. per tot. ibid.
Reus quando possit torqueri, & per quantum tempus in tormentis detineri, & in illis repeti. q.38. per tot. p.71
Reus non sufficienter tortus quando possit extra ordinem condemnari? & plenè de materia, q.40. per tot. p.76
Reus quando possit de sociis interrogari. q.43 n.1 & seq. p.79
Reus interrogatus de crimine quod commisit, negando delictum medio iuramento an dicatur periurus. quæst. 160. §.Reus.n.28. p.342
Rustici Clericorum coram quo Iudice conueniantur. q.8.n.17. p.14
Rusticus an & quando excusetur à delicto, seu mitiùs puniatur. q.98 cas.11.num.3. & seq. p.210

S

Sacerdotes exspoliantes Aras quomodo puniantur. q.10.n.17. p.33
Sacerdos an possit sibi in Confessione exposita reuelare. q.51. p.90
Sacrilegium quid, & quotuplex sit? & quãdo committatur. q.172.n.1.& seq. p.360
Sacrilegium vt commissum dicatur, quis locus dicatur sacer, & quæ res sacræ. ibid n.1 & seqq. ibid.
Sæuitia viri an præsumatur? & quomodo probanda sit. q.143.§.probatio sæuitiæ. n.25.& seq p.311
Saluus-conductus quando & à quibus concedi possit, & quando valeat. q 29. per tot. p.51
Sanguis fluens è cadauere occisi quando faciat indicium ad torturam. quæst.52. num.15. p.94
Sarcinator vtens re ad sarcinandum recepta quomodo puniatur. q. 169. num. 1. & seq. p.358
Schismatis materia, & qui dicantur schismatici. q.184.n.1. p.388
Schismaticorum pœna. ibid.n.10. p.389
Scripturas falsas producens quomodo puniatur. q.159 p.1.n.1 & seq. p.339
Sæculares de Ecclesiasticis causis cognoscere non valent. q.1 n.29. p.2
Semel absolutus amplius pro eodẽ delicto molestari non debet. q.4.n.1. p.5
Senes qui dicantur. q.76. p.3 n.15. & seq. pag. 176
Senes qui reputentur & quando mitiùs puniantur. q.92.n.1.& seq. p.202
Sententia quãdo retractetur. q.11 n 5.p.19
Sententiam latam ab vno Iudice quando alius possit exeqi. ibid.n.16. p.20
Sententia in causa hæresis quomodo proferenda. q.185.n.35. p.392
Sententiarũ diuersæ formulæ. ib. n.36. ib.
Sententia ferenda contra hæreticum de consilio Peritorum ibid.n 37. p.393
Seruus delinquendo de mandato domini quando excusetur. q.97.cas.9.num.20. pag.209
Signũ quid & quotuplex sit q.36 n.35.p.68
Simplicitas an & quando excuset ab hæresi. q.179.n.3. p.377
Simulatio quid & quotuplex sit. q.162 p.1. num.1. p.345
Simulatio quomodo probetur. ibid part.3. num.11. p.346
Simulatio quibus coniecturis arguatur. ib. part 4.n.14. ibid.
Simulatus contractus an & quando præsumatur ex eo quod venditor remaneat in possessione rei vindictæ. ibid. part. 5. n.34. p.347

Index.

Singularitas teſtium circa probationis materiam q.64.per tot. p.133
Singularitas teſtium quotuplex ſit. ibid. n.2.& ſeq. ibid.
Singularitas teſtium quomodo inducatur. num. 6. ibid.
Socius criminis quale indicium faciat contra ſocium.q.43.per tot. p.79
Socius pro ſocio quando teſtis eſſe poſſit. q.60.illat.15.n.71.& ſeq. p.117
Sodomia crimen & illius pœna.q.148.n.1. & ſeq. p.318
Solicitator quando poſſit eſſe teſtis. q. 60. illat.6.n.40 & ſeq. p.114
Sortilegium quid ſit,quotuplex,& quomodo puniatur. q. 20. n.8. & plurib.ſeqq. pag 32
Sortilegia qualia dicantur hæreticalia, & qualia non.q.181.n.1.& ſeq. p.377
Sortilegia ad tentandum alicuius pudicitiã fabricata an ſint hæreticalia,& quomodo puniantur.ibid n.26. p.382
Sortilegiorum Iudex quis ſit. ibid. n. 26. ibid.
Specialia plura in crimine læſæ-Maieſtatis.q.118.n.1.& ſeq. p.269
Spurius quando poſſit eſſe teſtis.quæſt 56. art.12.n.64. p.107
Statutum quòd vnus teneatur pro alio, quando valeat.q.24.per tot. p.38
Stellionatus crimen quid ſit, & quando dicatur committi.q.19.n.7. p.31
Stuprator quando ſtupratæ puellæ dotem dare teneatur.quæſt.147.§.dos. num.9 pag.317
Stuprum quid, & quotuplex ſit.ibid.§.ſtuprum, n.1. ibid.
Stuprum quomodo probetur.ibid. §. probatio,n.13. p.318
Subditus pro ſuo domino quando admittatur ad teſtificandum, & quando non. q.55.inſp.3.n.23.& ſeq. p.100
Subornantis teſtes pœna.q. 67.§.7. n.45. & ſeq. p.152
Subripiens ſcripturas alterius quomodo puniatur.q.159.p.7.n.23. p.323
Supplicatio vtrùm inducat confeſſionem. q.5.n.18. p.8
Surdus quando poſſit eſſe teſtis. quæſt.61. oppoſ.11.n.7. p.110
Surdus in delictis quando excuſetur & quando puniatur. q. 98. caſ. 17. n. 17. & ſeq. p.211
Suſpicio quid & quotuplex ſit. q 36. n.26. pag.68

T

Temeritas an & quando ſit punibilis. q.90.inſpect.1.n.1. p.200
Terminos amouens quomodo puniatur. q.168.n.14. p.357
Teſtamentum Carcerati quando valeat. q.35 n.6.& 7. p.65
Teſtari aliquem compellens, vel prohibens, quomodo puniatur. q. 161. n. 11 pag.344
Teſtes quot requirantur in probatione iudiciorum.q.37.per tot. p.69
Teſtes parentes pro filiis, & è contrà, quando recipiantur, vel repellantur. q.54.reg.3.n.17.& ſeq. p.97
Teſtes domeſtici quando admittantur. q.55.inſp.1.n.1.& ſeq. p.98
Teſtes coloni, inquilini, & emphyteutæ, quando recipiantur. ibid. inſp. 4. n. 26. pag 101
Teſtes deponentes vſuras perſoluiſſe alicui an probent vſuram. q. 60.ill.2.n.14. & ſeq. p 112
Teſtes an ſufficiat quod ſint habiles & idonei, an verò requirantur omni exceptione maiores? quid in Criminalibus ? quid ſi agatur de reprobando alios teſtes ? & an detur appellatio, ab admiſſione teſtium inhabilium. q 62. num.8. p.122
Teſtes inhabiles quando admittantur in factis nocturnis? & quomodo deponere debeant vt probent? & an ſint de falſo ſuſpecti. ibid. limit.2.n.12.& ſeqq. ibid.
Teſtes inhabiles quando admittantur in his quæ ſunt difficilis probationis. ibid. limit.1.n.9. ibid.
Teſtes inhabiles admittendi quando veritas aliter haberi non poteſt. ib. lim. 3. n.15.& ſeq. p.123
Teſtes inhabiles in criminibus exceptis an admittantur.ibid.n.19. ibid.
Teſtes inhabiles an recipiantur ad Rei defenſionem. ibid n.20. ibid.
Teſtes inhabiles in cauſa Matrimonij. ib. num.22. p.124
Teſtes inhabiles in Inſtrumentis & Teſtamentis; & quid ſi ſint à Partibus rogati.ibid.n.24. ibid.
Teſtes inhabiles quando ſint admittendi ex tacito Partium conſenſu per non oppoſitionem, vel expreſſo; vel officio Iudicis repellendi. ibid. n.33.& ſeq. limit.8. p.125
Teſtes inhabiles quando probent contrà producentem, ſiue vnus, ſiue plures ſint. ibid.limit.10. n.40.& ſeq. p.126
Teſtes inhabiles examinati quando examinari non debuerant, an probent,vel faciant indicium. ibid. limit. 11. n. 52. & ſeq. ibid.

Index.

Teſtes inhabiles quando admittantur in pluribus aliis caſibus. ibid. n. 75. & ſeqq. pag. 128

Teſtes inhabiles quando non admittantur etiam in caſibus in quibus aliàs admitterentur. ibid. n. 78. & ſeq. p. 129

Teſtes plures inter ſe contrarij, an probent & quando. q. 65. part. 1. n. 1. & ſeqq. pag. 137

Teſtes de auditu an & quando probent conſanguinitatem q. 69. cap. 2. num. 15. & ſeqq. p. 156

Teſtes de auditu an & quando probent in antiquis. ibid c. 3. n. 21. & ſeq. ibid.

Teſtes de auditu proprio an & quando probent. ib. c. 4. n. 25. & ſeq. ibid.

Teſtes de auditu an & quando probent ſi loquentis vocem ſibi benè notam habere aſſerant. ibid. cap. 5. num. 31. & ſeq. pag. 157

Teſtes de auditu ex interiecto, vel interiecta cortina quando probent. ibid. c. 6. n. 34. & ſeq. ibid.

Teſtes de auditu deponentes ſuper Copula carnali ex interiecto pariete quando probent. ib. c. 7 n. 38. & ſeq. p. 58

Teſtes deponentes ſine ratione & cauſa ſcientiæ quando probent. q. 70. c. 1. n. 1. & ſeq. & c. 2. n. 16. & ſeq. ibid.

Teſtes qualem debeant reddere rationem vt probent. ibid. cap. 3. & 4. n. 28. & ſeq. pag. 160

Teſtes deponentes extra articulos quando probent. q. 71. n. 1. & ſeq. p. 162

Teſtes non cognoſcentes litigantes an admittantur. ibid oppoſ. 25. num. 8. & ſeq. ibid.

Teſtes examinati Parte non citata quid & quantum probent generaliter; & præſertim in ciuilibus cauſis. q. 72. c. 1. n. 1. & ſeq. p. 163

Teſtes Parte non citata examinati quantum probent in Criminalibus. ibid. c. 2. n. 16. & ſeq. p. 164

Teſtes ſine iuramento examinati an & quando probent q. 74. per tot. p. 166

Teſtes an & quando poſſint examinari poſt publicationem. q. 75. cap. 4. n. 15. & ſeq. p. 168

Teſtes poſt concluſum in cauſa quando examinari poſſint. ibid. cap. 5. num. 29. & ſeq. p. 169

Teſtes quando poſſint examinari poſt renunciationem à Parte factam. ibid. c. 6. n. 31. & ſeq. ibid.

Teſtes an & quando poſt publicationem factam in prima inſtantia poſſint examinari in ſecunda. ibid. c. 7. n. 36. & ſeq. pag. 170

Teſtes poſt publicationem, non tamen diſcitis teſtificatis, an poſſint examinari, & quando. ibid. cap. 8. num. 42. & ſeq. pag. 171

Teſtes quando poſt publicationem poſſint examinari ſuper titulo & poſſeſſione quando in primis articulis fuit articulatum de præſcriptione, & è contrà. ibid. cap. 9. n. 47. & ſeq. ibid.

Teſtes an & quando poſt publicationem examinari poſſint, ſi ante eam inducti fuerint nulliter & non ritè examinati. ibid. c. 10. n. 50. & ſeq. p. 172

Teſtes ſi rectè fuerint recepti & examinati, eorum tamen publicatio nulla ſit, an & quando poſſint examinari alij, vel ijdem repeti. ibid. cap. 11. num. 52. & ſeq. ibid.

Teſtes ſi fuerint ritè examinati, an & quãdo poſſint alij examinari, vel ijdem repeti, ſi publicatio minùs ritè facta ſit. ibid. c. 12 n. 54. & ſeqq. ibid.

Teſtes in Criminalibus quando poſſint examinari poſt publicationem. ib. c. 14. n. 63. & ſeq. p. 173

Teſtes ante litem conteſtatam & ad perpetuam memoriam an & quando in iudicio Ciuili examinari poſſint ex parte Actoris: & examinati quid & quando probent. q. 76. p. 1. n. 1. & ſeq. p. 174

Teſtes an & quando poſſint examinari ante litem conteſtatam ad perpetuam rei memoriam, ex parte Rei; & examinati quid & quantum probent. q. 76. p. 2. n. 11. & ſeq. p. 175

Teſtes ſenes, valetudinarij, vel diù abfuturi, an & quando poſſint examinari ante litem conteſtatam, & ad perpetuam rei memoriam. ibid. part. 3. n. 15. & ſeq. p. 176

Teſtes in Criminalibus an & quando poſſint examinari ante litem conteſtatam. ibid p. 4 n. 22. ibid.

Teſtes vt examinentur ante litem conteſtatam quid requiratur. ibid. p. 5. n. 24. & ſeq. p. 177

Teſtes quando poſſint aut debeant in ſuis domibus examinari. q. 77. cap. 5. n. 22. & ſeq. p. 179

Teſtes quando cogi poſſint ad teſtimoniũ ferendum. q. 78. c. 1. n. 1. & ſeq. p. 180

Teſtes qui non poſſint cogi ad ferendum teſtimonium. ib. c. 2. n. 11. & ſeq. ibid.

Teſtes quando torqueantur. q. 79. num. 1. & ſeq. p. 182

Teſtes vltrò ſe examini offerentes an fidem faciant. q. 80. n. 1. & ſeq. ibid.

Teſtes quando poſſint per ſcripturam deponere. ib. opp. 35. n. 3. & ſeq. ibid.

Teſtes

Teſtes quando poſſint examinari die feriata,& examinati an probent q.80. oppoſ.36.n.8.& ſeq. p.183
Teſtes quando poſſint examinari extra terminum.q.80.oppoſ.37.n.9.& ſeq. pag.183
Teſtes quando ſecretè & ſingulariter examinari debeant. ibid. oppoſ.38. n.12.& ſeq. ibid.
Teſtes quando debeant per extenſum examinari.ibid.oppoſ.39.n.14. p.184
Teſtes in articulo mortis cõſtituti quãdo poſſint examinari.ib.oppoſ.40.n.15.ib.
Teſtes examinati in iudicio nullo quid probent.ibid.oppoſ.42.n.19. ibid.
Teſtes falſos producens an & quando puniatur.q.159.p.1.n.1.& ſeq. p.339
Teſtes quot ſufficiãt ad cõdemnandũ in crimine hæreſis.q.188.§.6.n.6.p. 399
Teſtes excommunicati,vel aliàs inhabiles, quando recipiantur, & quantum probent.ibid.§.4.n.7. p.400
Teſtes domeſtici, familiares, & conſanguinei in cauſa hæreſis.ib. § 8.n.11.ib.
Teſtes ſingulares in cauſa hæreſis. ibid. §.9.n.12. p.401
Teſtibus hinc inde contrariis & ſibi inuicem contradicentibus, quibus magis credendum ſit. q.65. p.3.n.27. & ſeq. pag.139
Teſtibus coadiuuantibus inſtrumentum an & quando magis credatur quam illud reprobantibus.q.158.p.2. n.17.& ſeq. p.338
Teſtibus à Notario examinatis aſſerentibus non ſic depoſuiſſe provt Notarius ſcripſit,quando magis illi credatur quàm ipſi Notario. ibid.p.3.n.24. & ſeq. ibid.
Teſtis vnicus de viſu quando faciat indicium ad torturam.q.37.per tot. p.69
Teſtis dicens ſe falſum depoſuiſſe de mandato alterius,quod indiciũ faciat contra talem mandantem.q.45. p.82
Teſtis dicens in articulo mortis, ſe falſum depoſuiſſe, quid probet,ſeu quid operetur talis declaratio.q.46. p.83
Teſtis inimicus quando à teſtimonio repellatur.q.53.per tot. p.95
Teſtis conſanguineus,& affinis,quando à teſtimonio repellatur, vel admittatur.q.54.n.1.& ſeq. p.96
Teſtis frater quando recipiatur,& quando repel.ibid.reg.2.n.10 & ſeq. p.97
Teſtis vxor,ſeu maritus,quando admittatur & quando repellatur.ib. reg.4. num.28.& ſeq. p.98
Teſtis familiaris famulus,ancilla, quando pro ſuo Domino admittatur, vel non.q.55.inſp.2.n.18.& ſeq. p.100
Teſtis vaſallus ſeu ſubditus.ibid. inſp.3. num.23. ibid.
Teſtis amicus.ibid.inſp.5.n.29. p.101
Teſtis infamis infamia iuris. q.56. art.1. num.13.& ſeq. p.102
Teſtis infamis infamia facti. ibid. art.2. n.19.& ſeq. p.103
Teſtis criminoſus.ib.a.3.n.10. & ſeq.ib.
Teſtis carceratus ſeu accuſatus.ibid a.4. num.24. p.104
Teſtis Periurus.ibid.art.5.n.27. ibid.
Teſtis Iudæus,Hæreticus,Infidelis. ibid. art.6.n.30. ibid.
Teſtis non Confeſſus, non Communicatus, Adulter, Concubinarius, Excommunicatus an & quando admittatur.ibid.art.7.n.34.& ſeq. p.105
Teſtis Bannitus quando repellatur néc-ne.ibid.art.8.n.44.& ſeq. ibid.
Teſtis Vſurarius.art.9.n.51. p.106
Teſtis Leno.art.10.n.53. ibid.
Teſtis Meretrix. ibid.
Teſtis Birruarius.art.11 n.56. ibid.
Teſtis Spurius.ibid.art.12.n.64. p.107
Teſtis Blaſphemator.n.65. ibid.
Teſtis Luſor.n.66. ibid.
Teſtis Ebrius.n.67. ibid.
Teſtis Hiſtrio.n.68. p.108
Teſtis Apoſtata.ibid.n.69. ibid.
Teſtis Decoctus.n.70. ibid.
Teſtis Proditor.n.71. ibid.
Teſtis Fuſtigatus.n.72. ibid.
Teſtis Prodigus.n.73. ibid.
Teſtis Calumniator.n.74. ibid.
Teſtis Pauper.q.57.per tot. p.108
Teſtis Infans, Impubes, Minor,quando arceatur à teſtimonio, & admiſſus quam faciat fidem.q.58.per tot.p.109
Teſtis Mulier in cauſa criminali. q.59. caſ.1.per tot. p.110
TeſtisMulier in cauſa Ciuil.caſ.2.n.6.ib.
Teſtis Mulier in Teſtamento. caſ.3.n.9. pag.111
Teſtis in cauſa propria,vel in qua habet commodum,intereſſe,aut affectionẽ, an & quando repel.q.60.per tot.ibid.
Teſtis Accuſator.ibid.illat.1.n.14.p.112
Teſtis de Vniuerſitate.ibid.illat.17.n.85. & ſeq. p.118
Teſtis Tutor.ib.illat.8.n.45.& ſeq.p.115
Teſtis Inhabilis quis dicatur, quis Idoneus,integer, legitimus, & omni exceptione maior? quomodo etiam,& per quem huiuſmodi qualitas probanda ſit.q.62.n.1.& ſeq. p.121
Teſtis vnicus an & in quibus caſibus faciat plenam probationem.q.63.c.1. per tot. p.129

Teſtis vnicus deponens in pacto proprio an & quando probet. q. 63. cap. 4. n. 27. & ſeq. p. 131
Teſtis ſibi ipſi varius & contrarius, an & quando & qua pœna puniatur. q. 66. part. 1. & 2. n. 1. & ſeqq. p. 142
Teſtis varius & ſibi contrarius quando poſſit torqueri. ib. p. 3. n. 64. & ſeq. p. 143
Teſtis primum, an ſecundum dictum attendi debeat, & quando. ibid. p. 4. n. 29. & ſeq. p. 144
Teſtis qui in tortura eſt ſibi contrarius ſeu varius, an primum, vel ſecundum illius dictum attendatur. ibid. part. 5. n. 39. & ſeq. ibid.
Teſtis dictum iudiciale, contrarium extra iudiciali, an præualeat, & quomodo attendatur. ibid. part. 6. n. 43. & ſeq. p. 145
Teſtis an & quando poſſit ſuam depoſitionem corrigere incontinenti, vel ex interuallo. ibid. part. 7. n. 49. p. 146
Teſtis vnicus ſibi varius & contrarius quid probet? & generaliter ac ſpecialiter de materia. ibid. p. 9. n. 75. & ſeq. pag. 147
Teſtis falſi deteſtatio & pœna. q. 67. §. 1. n. 1. & ſeq. p. 149
Teſtis falſus à quo Iudice puniri poſſit ibid. §. 2. n. 11. & ſeq. ibid.
Teſtis falſus quantum probet, & quando puniatur de falſo. ibid. §. 3. n. 18. & ſeq. p. 150
Teſtis in parte falſus quando in totum dicatur falſus. § 4. n. 29. & ſeq. p. 151
Teſtis nulliter & inutiliter falſum deponens quando puniatur. ibid. §. 5. n. 37. & ſeq. p. 151
Teſtis quando dicatur varius, & quando vacillans, & ſimilia de materia latè. q. 66. part. 1. p. 142
Teſtis tacens veritatem quomodo puniatur. q. 67. §. 6. n. 41. & ſeq. p. 152
Teſtis corrupti pœna, & probatio. ibid. §. 7. n. 45, & ſeq. ibid.
Teſtis Inſtructus. §. 8. n. 55. & ſeq. p. 153
Teſtis de credulitate quando probationem vel indicium faciat. q. 68. §. 2. n. 12. & ſeq. ibid.
Teſtis an & quando poſſit poſt publicationem examinari in cauſa Matrimoniali. q. 75. c. 13. n. 57. & ſeq. p. 173
Teſtis falſus in cauſa hæreſis. q. 188. §. 2. num. 4. p. 399
Teſtis periurus in cauſa hæreſis. ibid. §. 5. n. 8. ibid.
Teſtis inimicus in cauſa hæreſis. ibid. §. 6. n. 9. p. 400
Teſtis hæreticus & Iudæus. ibid. §. 7. num. 10. ibid.
Teſtis Iudex & Arbiter. q. 60. illat. 3. num. 20. p. 112
Teſtis Aduocatus. illat. 4. n. 28. p. 113
Teſtis Procurator. illat. 5. n. 33. p. 114
Teſtis Sollicitator. illat. 6. n. 40. ibid.
Teſtis Adminiſtrator. illat. 7. n. 43. ibid.
Teſtis Curator, Executor teſtamenti, Actor ad liteſ. ill. 8. n. 45. p. 115
Teſtis Legatarius, Hæres, Fideicommiſſarius. illat. 9. n. 48. ibid.
Teſtis Creditor, & Debitor. illat. 10. n. 56. pag. 116
Teſtis Venditor. q. 60. ill. 11. n. 59. ibid.
Teſtis cedens pro ceſſionario. ill. 12. n. 61. ibid.
Teſtis donator pro donatario. ill. 13. n. 64. ibid.
Teſtis fideiuſſor. ill. 14. n. 66. p. 117
Teſtis ſocius. ill. 15 n. 71. ibid.
Teſtis Proxeneta. ill. 16. n. 75. ibid.
Teſtis Abbas ſeu Prælatus pro ſuo Monaſterio, vel Eccleſia. q. 60. ill. 18. num 106. p. 119
Teſtis furioſus. q. 61. oppoſ. 9. n. 1. & ſeq. pag. 120
Teſtis Cœcus. n. 5. ibid.
Teſtis Mutus & Surdus. n. 7. ibid.
Teſtis Clericus contra Laïcum. n. 9. ibid.
Teſtis Laïcus contra Clericũ. n. 14. p. 121
Teſtis Religioſus. n. 17. ibid.
Teſtium inhabilium repulſa admittenda in cauſis Summariis, vel non. q. 62. limit. 9. n. 37. & ſeq. p. 125
Teſtium inhabilitas quando ſit conſideranda, an tempore depoſitionis, vel actus. ib. limit. 12. n. 54. & ſeq. p. 127
Teſtium inhabilium fides quando ex numero ſuppleatur. ibid. limit. 13. n. 61. & ſeq. ibid.
Teſtium inhabilium fides quando ſuppleatur vel ex magna fide conteſtium, vel ex adminiculis. ibid. limit. 14. per tot. p. 128
Teſtium ſingularitas. q. 64. per tot. p. 133
Teſtium contrariorum concordia quomodo facienda, in communi. q. 65. part. 2. n. 10. & ſeq. p. 138
Teſtium depoſitio ad concordiam reducenda, in ſpeciali. ibid. part. 4. n. 54. & ſeqq. p. 141
Teſtium repetitio facienda. q. 66. part. 8. n. 58. & ſeq. p. 146
Teſtium examen quando poſſit per Iudicem Notario committi. q. 77. cap. 4. n. 20. & ſeq. p. 179
Teſtium numerus effrenatus refrenandus eſt. q. 80. oppoſ. 41. n. 17. & ſeq pag. 184

Index.

Teſtium communia in cauſa hæreſis. q.188.§.1.n.1. p.399

Teſtimonium de auditu alieno an & quando probet.q.69.cap.1.n.1.& ſeq. pag.155

Theſaurus inuentus in fundo proprio, vel alieno, publico vel priuato, ad quem ſpectet?& de materia Theſauri.q.104.inſp.1.n.1.& ſeq. p.225

Tori ſeparatio quando concedatur propter notorium ſeu occultum adulterium.q.143 §.notorium,& occultum. n.11.& ſeq. p.310

Tori ſeparatio quando detur per ſodomiam.ibid.§.ſodomia.n.15.& ſeq.ib.

Tori ſeparatio quando concedatur propter hæreſim.ib.§.hæreſis.n.17.p.310

Tori ſeparatio quando concedatur propter viri ſæuitiam.ibid.§.ſæuitia.n.21. & ſeq. p.311

Tortura in quibus caſibus non inferatur, etiam quod legitima præcedant indicia: & de pluribus conſiderationibus per ſudicem habendis antequam ad torturã deueniat q.38.per tot.p.71

Tortura per quantum tempus poſſit inferri, & in ea Reus repeti. ibid. per tot. ibid.

Tortura quando poſſit inferri denegatis defenſionibus & copiis indiciorum. q.39.per tot. p.74

Tortura an debeat dari conuicto? & ſi detur an per torturam illatam cenſeantur purgata indicia & plenæ probationes.q.40. p.76

Tortura quibus perſonis poſſit inferri, & quibus non.q.41.per tot. p.77

Tortura quibus in cauſis inferri poſſit, & quibus non.q.42.per tot. p.78

Tortura quando præſumatur illata ſine indiciis,& quot modis probetur.q.83. cap 1.n.1.& ſeq. p.191

Tortura an poſſit inferri ei qui Curiam adit affectatè reuelando delictum, & quale indicium oriatur ex tali reuelatione & inquiſitione affectata.q.52. num.7. p.93

Transfuga quomodo puniantur. q.20. num.23 p.34

Treuga quid ſit.q.107.art.1.n.1. p.233

Turbaror publicæ pacis quomodo puniatur.q.20.n.24. p.34

Tutor pro pupillo quando pacem facere poſſit q.15.n.1.& ſeq. p.24

Tutor quando poſſit eſſe teſtis pro pupillo.q.60.illat.8.n.45.& ſeq. p.115

V

Vacillatio quando faciat indicium ad torturam.q.52.n.3. p.92

Vadens ad Curiam affectatè reuelando delictum commiſſum, ſolicitans & perquirens ſtudioſiùs, quando indicietur ad torturam.ibid.n.7. p.93

Vagabundus vbi puniri poſſit.q.7. num.8. pag.10

Vagabundus quomodo citetur. q.11. num.12. p.19

Variatio quando faciat indicium ad torturam q.52.n.2. p.92

Vaſallus quando admittatur ad teſtificandum pro ſuo domino.q.55.inſp.3. num.23.& ſeq. p.100

Vaſtatores vinearum, & inciſores arborum alienarum, quomodo puniantur.q.20.n.19. p.33

Vehemens ſuſpicio in crimine hæreſis. q.187.n.4. p.398

Vendens rem duobus quando teneatur pœna falſi. q.150. part.9. n.31.& ſeq. pag.324

Venditor quando à teſtimonio arceatur, vel admittatur q.60.illat.11.n.59. pag.116

Veneficij grauitas & atrocitas.quæſt.122. part.1.n.1.& ſeq. p.276

Veneni præſumptiua probatio quando ſufficiat.q.122.part.4.num.8.& ſeqq. pag.277

Venenum vendens, emens, conficiens, aut retinens, qua pœna puniatur. q.122.part.3.n.6.& ſeq. p.176

Verba, *pleniùs, plenè*, vel *pleniſſimè*; aut *in omnibus & per omnia*, quid importent in gratia conceſſa.q.6.n.18. p.9

Verbum, *quicunque*, quos caſus comprehendat.q.10.n.2. p.17

Veritas conuicij an & quando excuſet à pœna iniuriarum. q.105. inſpect.5. num.27.& ſeq. p.229

Vicinitas. loci, in quo admiſſum fuit delictum, quando facit indicium ad torturam.q.52.n.10. p.93

Violatores ſepulchrorum qui ſint,& quomodo puniantur.q.20.n.20. p.33

Vir quando & quomodo poſſit vxorem ſuam verberare. q.143.§ verberatio, num.27.& ſeq. p.312

Vir quando poſſit vxorem ſuam expellere, & viciſſim vxor à marito aufugere.ibid.§.expulſio.n.32. ibid.

Viri teſtimonium quando admittatur pro vxore, vel reiiciatur. q.54.reg.4. num.10.& ſeqq. p.97

Vniuerſitas quandò teneatur pro delicto commiſſo à ciuibus ſuis.q.24.num.21. & ſeqq. p.40

Vniuerſitas an poſſit producere ciues ſuos ad teſtificandum in eius fauorem,

rem,& quam ipſi fidem faciant.q.60. illat.17.n.85.& ſeq. p.118
Vociferatio quando faciat indicium ad torturam aduerſus eum qui viſus eſt ſtatim exire domo in qua clamor ille auditus eſt.q.51.n.16. p.54
Vſufructuarius an poſſit propria authoritate vſumfructum cadere. q. 175. num.34. p.368
Vſurarius quando teſtis eſſe poſſit. q.56. art 9.n.51. p.106
Vſurarium aliquem eſſe an probetur per teſtes. q.60. illat.2.n.17. & ſeqq. pag.112
Vulnerati malum regimen, ſeu errore in victu inordinatio, & negligentia in curando quando & ex quibus dignoſcatur.q.127.p.3.n.10.& ſeq p 289
Vulnus quando dicatur mortale,quando periculoſum; quid in dubio præſumatur; quomodo vulnerans excuſetur dicendo quod vulneratus obiit non ex vulnere, ſed ex malo regimimine, vel ex culpa Medicorum. q.127.part.1.n.1.& ſeq. p.288
Vulnus fuiſſe mortale, nécne, quomodo probetur. q.127.part.2.num.6. & ſeq. ibid.
Vulnus an ſit mortale, nécne, quando Medicis credatur. q.127.part.4.n.13. & ſeq. p.289
Vxor pro marito quando poſſit teſtificari.q.54 reg 4.n.28.& ſeq. p.98
Vxores duas habens quomodo puniatur.q.140.part.1.n.1.& ſeq. p.304
Vxor an & quando pro adulterio amittat dotem.q.142.p.1.n.1.& ſeq.p.304
Vxor an dotem amittat propter oſculum luxurioſum.q.142.p 3.n.13.p.308
Vxor quando teneatur ſequi virum quocunque vadat. q.143. §. ſequitur. num.35. p.313

FINIS.

WLPINII.
SUCCUS
FARINACI

8/36